
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

~~VI C 10~~

184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

KW 184 E 19 34



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Koninklijke
Bibliotheek
te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Sereniſsimo & Potentiſſimo

PRINCIPI,

LUDOVICO XIII.

Galliæ & Navarræ Regi Chriſtianiſſimo, &c.

JO. BARCLAIUS S. D.

NOvo iſti generi ſcriptionis, nec forſitan in Latinis antea viſo, LUDOVICE Rex Chriſtianiſſime, ut faveas ipſe, & favoris publici viam regia humanitate aperias, facile poteris exorari. Nunquam enim hæc bella, hos caſus, regnorumque diſcrimina, & amores pudicæ juventutis, quos habet iſte liber, Tu illo flore ætatis, illa vividæ indolis lætitia, tam capaci ad ſeria & re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

miſſionem ingenio, contemnes. Videbis virtutum vitiorumque certamina, nullibi quam veſtris in Aulis atrociora. Deſpicies quid indulgentia Regum peccaverit, quidve audacia. Oderis publicæ paci infeſtos, gaudebiſque mulctari. Tuas ſæpe virtutes reperies: Tua in aliis Heroibus ſimplicius facta miraberis: Popularem denique tuum, tot fatis, tot hoſtibus exercitum Poliarchum, ipſa virtutis & dignitatis ſimilitudine habebis chariorem. Nec pollues ſanctitatem famæ tuæ, quæ Te virum & Regem ab inaſſueti candoris fortitudine celebrat, ſi amabis Argenidem. Satis denique ſe hic liber Tuæ Majeſtati probabit, ſi intelliges, in illo aliquot Principum laudes referri. Tua enim intereſt, ut, qui tot hiſtoriarum materiam Orbi daturus es, jam nunc literis faveas, Regum vitam quacunque ratione narrantibus. Ibunt Muſæ, exemplo licentiaque quam feceris, per Optimatum domos, miſcebuntque ſe juventutis colloquiis, & provectio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

vectiorum ſeria utiliſſime excolent. Nec aliud ingerent ſæpius quam tui nominis dotes, in quo omnia ad æternitatem famæ conſpirant, nobiliſſimo regno & indole nobiliori. Nam altiſſima Europæ in ſcena, ſolio emines gentis illius, quæ nunc armis peragravit arcana Orientis adhuc Franciſcum nomen horrentis; nunc vicinioribus bellis eo fato efferbuit, ut regiones ægre reperias quæ non aliquando Gallicæ gloriæ ditionique acceſſerint: cujus denique viribus, ubi ipſa ſibi conſentit, nihil nimium eſt, nihil impervium; quæ autem pietate & religionum amore præcipua, neſcit poſſe quod poſſe non debet. Jam vero iis Tuam Majeſtatem moribus numen finxit, iis caſibus pueritiam & juventutem Tuam erudiit, ut videatur aliquid à fortuna Tua majus Gallia expectare, quam dederit ipſa Tibi. Eo enim parente es genitus, qui vel confeſſione hoſtium ſæculi ſui ſummus, Magni cognomen ferre vivus debuerat, quod Vos modeſtius

 extin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

extinčto addidiſtis. Tali ſcilicet authore ingenerari debuit Tibi virtus, & ad gloriæ ſucceſſionem cupiditas inſeri. Is autem vix očtuenni tibi raptus; quippe hoc modo elucere optime potuit Numinis cura Tuæ Majeſtati propitia, propriæque virtuti ſeges dari, ne omnia Patri deberes. Nam eo ſublato motus ſenſim exarſere in Gallicis animis, plerumque ad vicariam contumacibus poteſtatem, & mox arma civilia; dum Tu, Nobiliſſime Regum, jam virilis conſcius ſenſus, properares enatare ex pueritia ad ætatem firmiorem. Præveniſti tandem annos, momentoque compoſuiſti patriam pene everſam. Sed ut crebrioribus triumphis tua ſe fama per hominum ora inveheret, ſæpe deinde arma gentilia novis ac pene anniverſariis tumultibus exſonuêre; totieſque oppreſſiſti factiones, hoc ipſo ſtupentes, quod præter ſpem Tui vindex adeſſes. Iviſti, circumtuliſti regia ſigna, denique pugnaviſti. Illico multis ciciderunt ſponte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

arma, multis excuſſa ſunt. Hi tuam virtutem amaverunt, illi timuerunt felicitatem. Tu vero magnitudine animi effeciſti, ut omnes dubitent, plus fuerit in fortitudine an clementiâ tuâ. Victor enim eas ut plurimum leges ſcripſiſti, propter quas vincere iſti voluerant.

Cæterum, quamquam imbutus regia armorum voluptate; non his tamen, plus juſto indulgens, paſſus es belli malis pacem eſſe infeſtam: nec acrior ſceptri vindex fuiſti quam deinde ſalutis ſingulorum: impio more ſublato, qui jubebat Gallos tuos, levibus inter ſe rixis commiſſos, paſſim jugulum ſuum dare, aut petere alienum. Hæc atrox & peſtilens lues tantum Gallici cruoris exhauſit, ut vix plura gladiatorum paria olim Romanorum arena conſpexerit. Uſu quoque & fama populari invaluerat inſania: quia illi vitio ex virtute, ſed corrupta, erat ſemen. Quoties totæ ſtirpes exciſæ? quoties emeritorum patrum ſenium, aut ignaram miſeræ prolis pueritiam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ritiam, hæc furia orbavit? An ſpes eſſet, adeo efferum morem, qui multorum toties Regum, & ipſa maximi tui Patris edicta, contumaci audacia eluſerat, ad Tuæ adoleſcentiæ vocem expiraturum? Voluiſti: ſed non perfunctorio nutu. Strinxiſti auctoritatis tuæ arma: haud mora confectus eſt. Addat Numen Tuæ vitæ illos annos quos à juventute Gallica perire vetuiſti. Tibi illa ſervabit; &, ſi tuæ Majeſtatis & patriæ res expoſcent, ſpiritum reddet, quem privata & intempeſtiva odia, niſi caviſſes, geminata morte merſiſſent.

Magnæ hæ quidem, Rex Chriſtianiſſime, pace belloque laudes. Adhuc tamen mihi intactum eſt quod in tuis præconiis potiſſimum eminet: Religionis cura, Numinis cultus. Subactæ provinciæ, ut ſanitatem pati incipiant: & in ultima illa ad Iberiam Galliæ ora, templis reddita ſacra, ſacris Pontifices, Pontificibus ſecuritas. Sed hæc magna majoribus factis deles. Quos non quotidie

tidie triumphos tuos audimus? quos non indies expectamus? Quoſcunque Religionum aut Regum cura tangit, mirantur, obſtupeſcunt; ſe felices exiſtimant, quod tuo ſæculo vivunt, pluresque vero affectu congerunt in Majeſtatem tuam laudes, quam adulatio in immeritos Principes ſolet.

Dum hæc ſcribo, dum plura quæ ſcribam occurrunt, vix mihi habeo fidem annorum tuorum paucitate. Nam veræ hæ laudes multis celebrium Principum ad ſenectutem ſuffecerint. Tu porro adhuc ſtas in juventutis exordio; nec parces ad illum cumulum laureas addere, divinæ indolis Princeps, ac, quod feliciſſimum in Rege eſt, labore atque curis à pueritia exerçite. Ut hic ergo veriſſimæ triumphus gloriæ per poſteritatis ſeriem inoffenſos agat curſus, ineundum eſt cum litteris fœdus: quo & illis præſens faveas, & Tibi illæ aliquando abſenti æternum paremque virtutibus tuis locum inter Heroas conſtituant. Pa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

rum enim eſt in hominum memoria, ſi eam non vetat conſeneſcere ſcribentium fides. Hoc Orientis domitor Alexander, hoc Cæſar, hoc veterum Regum nobiliſſimi ſenſere: nec aliam ſperaverunt triumphis ſuis ſortem quam quæ ex eruditorum favore contigiſſet.

Magis anxie de Literarum præſtantia ad alium ſcriberem, Auguſtiſſime LUDOVICE. Sed diu eſt quod mutuis beneficiis Reges Chriſtianiſſimi cum iis coiviſtis. Scimus totius Orbis bono quantum Muſis regnum ſit in Francia tua: quæ duplici quoque nomine Tuæ Majeſtati devinctæ ſunt. Nam præterquam quod Regum liberalitate, cura, hortatu, nunc in Galliis pulcherrime vigent; Italia quoque Medicæorum Principum munus agnoſcit, eas à patrum veterno excitatas: quam laudem Sereniſſima illa gens pulcherrimo ſtudio augere non deſinit. Ita paterno atque materno jure Tu patronus literarum, Tu omnes amabis. Sed hic arctius liber, Chriſtianiſſime

niſſime Rex, à Tua Majeſtate expectat foveri, quem multiplici ſuaviorum Muſarum mixtura regii amores, regia odia, ſpiritus denique regii implent. Vale. Romæ, Kalend. Jul. cIↃ IↃCXXI.

NOBI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

NOBILISSIMIS
ADOLESCENTIBUS
S. T.
BUGNOTIUS S.

DUdum expetiiſtis, ſuaviſſimi Muſarum alumni, ut Argenidis tenebras ſucciſivis ſaltem horis excuterem, ac ſalebras penitùs explanarem. Tantæ molis argumentum mutuus noſter amor tandem expreſſit, & ſatis obluctantem ad ea compulit, quæ moribus veſtris παιδευτικοῖς *deberi credidi. Si Authoris hujus nunc primum Notis illuſtrati doctrinam multiplicem altiùs in mente impreſſam tenueritis, tenueritis quod vobis ad honeſtam vitam, ſeu in ſeculo, ſeu in eremo; in aulis, vel aris degeritis, haud mediocri adjumento futurum ſit: ſpectabitis* virtutum vitiorumque certamina nullibi quam in aulis atrociora; *mox aulæ tropicos & vaniſſimam pompam, niſi ſapuerit, exemplo virorum fortium, qui hanc pariter ſcenam excurrent, pari virtute faſtidietis. Terſioris litteraturæ amantes eſtis? floſculis illis luxuriat Argenis, quorum vix alibi copioſior ſeges. Inſtituendæ vitæ illuſtria documenta, & morum candidorum ſpecimina placent? nulla alibi ditior officina. Conſtituendi aut conſervandi imperii ideas quæritis? habet Argenis ſublimioris Politicæ inſtituta. Dicam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

cam compendio, *noſtram Argenidem* multiplici ſuaviorum Muſarum mixtura regii amores, regia odia, ſpiritus denique regii implent: *nec paſcetur ſolum ea lectione animus veſter ad magna creatus; verum etiam ad majora ſemper aſſurget. Ne quid diſſimulem ſerio indignor, doctorum hominum monumentis omni laude majoribus abortivos partus ſæpe anteferri, ab iis ſane viris, quos doctrinæ quidem fama mendax, ſed nullum hactenus Muſarum ſuffragium aut merita in Parnaſſo laurus cætero vulgo ſupervexit. Scatet Argenis noſtra purioribus Hypocrenes aquis, omniſque doctrinæ genere cùm moralis tùm politicæ effloreſcit; & ne prolixioribus paſſim orationibus nimis intenſi animi enerventur, aut defeſſi nauſeent; lepido argumento dum ludit, ſolerter eoſdem ſic remittit, ut medicina dici poſſit, ſuaviſſimis condimentis temperata. Quis Odyſſeam vel Æneidem certiùs æmulatur? Quis diu ſuſpenſas mentes ſuaviùs allicit? Quis affectus accuratiùs diſcutit, acriùs caſtigat, ſtrictiùs coërcet? Quis cupiditatum inſolentiam, luxumque ac cæteras animi peſtes potentiùs invadit & exagitat? Denique vix alium reperire eſt, qui gravitati numeros, Venerem Minervæ, ſolidamque ſapientiam jucundæ varietati peritiùs junxerit, qui virtutem prudentiùs vel hoſtium animis, blandiuſque inſpiret. Non ergo famæ veſtræ ſanctitatem polluetis, ſi Argenidem amaveritis, quam vobis remoto omni fuco aut velo nudam ac genuinis fulgentem*

tem

tem illiciis exhibeo. Vos ſi tantillum hoc ſinceriſſimi animi pignus, quod ad amicitiæ aram depono, æqui bonique conſulueritis, ſi benignis oculis huic fœtui noſtro incubueritis, ego defæcatioris Minervæ aliis partubus dudum conceptis incumbam. Valete.

Ex Eremo noſtra prid. Idus Sextil.

NE lectio aurei hujuſce voluminis defeſſis ingeniis crearet faſtidium, in multa Capita hoc diſtinguere & compendioſa Argumenta cuilibet præfigere operæ pretium eſſe duxi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

IN
JO. BARCLAII
ARGENIDEM
A
D. THEANDRO BUGNOTIO
ILLUSTRATAM
EPIGRAMMA.

QUod te, BARCLAI, *magnum & memorabile nomen,*
Quæ te fama potens, quis ſequeretur honos,
Ni lux ingenii ſoli conceſſa THEANDRO
Excuteret noctem, quæ malè fœdat opus?
ARGENIS *& fruſtrà toto legeretur in Orbe,*
Hanc fruſtrà noſter ſollicitaret amor.
Nam quos alliciat quamvis ſit plena lepôris,
Ignoti cum ſit nulla cupido boni?
Hujus & occultus quis poſſit noſcere ſenſus,
Verbaque tam variis nubila facta modis?
Maxima pervigili debetur gratia curæ,
Quæ lux eſt operi clarior orta tuo:
Qui tibi pro ſcriptis poſthac referentur honores,
Hos tanto debes ipſe referre viro,
Qui lucem è media potuit deducere nocte,
Et cæcis donat lumine poſſe frui.

VINCENTIUS SABLONIUS
Carnutæus à Regiis tributis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34



Gente Caledonius Gallus natalibus hic eſt
Romam Romano qui docet ore loqui.

H. Grotius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

JOANNIS BARCLAII
VITA.

QUi fuerit Joannes Barclaius, aurea ejus monumenta ſatis produnt, Gallia prædicat, promulgat Anglia, Roma eloquitur. Natus eſt Aberdoniæ ex antiquiſſima Scotorum familia, dignus planè quem omnium gentium vota optent in civem. Patrem habuit Guill. Barclaium inſignem cum Mariæ Stuartæ Reginæ gratia, tum commercio litterarum, quas cum idem Guillelmus videret una cum avita religione ſordeſcere; Principem vero ſuam marceſſere in infamis carceris ſitu, dolore confectus migravit anno milleſ. quingent. ſeptuageſ. primo Lutetiam; inde Avaricum ſalutavit Muſarum Themidoſque libaturus aquis; donec Caroli primi Lotharingiæ ducis expetitus voto Muſſipontum acceſſit. Ab hoc ergo principe liberaliter acceptus ſupplicibus libellis, atque adeo ſcholæ juris civilis præficitur: deinde cum Anna de Malavilla contracturus nuptias ex Scotia Regias litteras accerſivit, quibus ingenuæ nobilitatis titulos futuræ ſponſæ approbaret. Geminam prolem maſculam habuit, ſed alteram mors præcox demeſſuit; altera fuit Jo. Barclaius, qui poſtquam ſub tanto patre adolevit, puriſſimas eminentioris doctrinæ aquas hauſit, quas poſteris libandas propinaret. Unde viceſimo ætatis anno cum Thebaidem Statii notis illuſtraſſet, obſtupeſcens gaudio pater quod ad hunc doctrinæ apicem filium provexiſſent Muſæ, voluit eum ex Scholaſtico pulvere, paterniſque focis inter aulæ Pariſienſis lumina rudimentum ponere veræ lucis, & pari Muſarum negotiorumque ſtudio creſcere, genere ac moribus ad ejuſmodi vitam eum ferentibus. E paternis ergo laribus eductus in regiam ibi Coſpeanum audivit arcana naturæ publicè reſerantem. Tum cogitavit in Angliam, ubi Jacobi Regis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

munificentiâ exceptus: & in lecta nobilium centuria qui regio conclavi præſunt, eſt conſtitutus. Ibi ſuæ Palladis ægide agitata hoſtium tela retundebat; ſolus prandente Rege, ſeu eodem jubente legebat. Et quamquam à Regis religione differret, nemo tamen propiore amicitiæ gradu apud illum fuit, nec unquam plebeiæ patuit invidiæ, quæ in eos deſævire ſolet qui principum amicitiis illuſtres ſunt. Illius nomine legationes obivit ad Rodolphum Imperatorem, ad Matthiam, Panoniæ Regem, & ad Emanuelem Philibertum ducem Allobrogum. Tandem uxorem duxit Aloyſiam Debonnaire, Quæſtoris militiæ Gallicæ filiam: ex quo fœdere conjugali emerſit gemina ſoboles virilis, tertia fœminea, ut ipſe hoc carmine eſt teſtatus:

Pinge meos (dixi) Pictor fidiſsime vultus;
Pinge. Feret longos iſta tabella dies.
Paruit his Pictor, digeſtiſque ordine conchis,
Ergo meam verbis duc, ait ille, manum:
Primum, inquam, qui me capiet locus, orbe pudico
Sit ſimilis templis, liminibuſque meis.
Non mihi plebeio ſpecies ſit vilis amictu,
Nec ſtola ſit luxu conſpicienda ſuo.
Sed faciles cultus, & quos velit eſſe maritus,
Præcipue falſus non tegat ora color.
Nam nec Arabs nobis, nec mittit Iberia vultum,
Nectit adoptivas nec mea dextra comas.
Sit mihi vir juxta, quem toto lumine figam;
Lumine, quod varium non ſinat eſſe pudor.
Sit mihi jurantis facies, non ulla dearum
Connubia his noſtris anteferenda thoris:
Nec ſiet ingrato qualis marceſcit amore
Frons mihi, ſed parili qualis amore nitet.
Adde quoque & Floræ ſinum, ſignumque Minervæ
Artificis: ſunt hæc Numina magna mihi.
Denique pinge lares, fac parvos ludere natos:

Hæreat

Hæreat hic dextræ, pendeat ille ſinu.
Has ubi reddideris formas, ne nomina pone,
Ut quondam, faceret cum rude pictor opus.
Sit ſatis hos verſus ſub imagine ſcribere noſtra:
Hæc ſunt, hæc animi pignora vera mei.
Nulla maritarum plus me dilecta marito,
Pluſque ſuum coluit nulla marita virum.

Huic autem triplici ſuæ proli timens quæ legi adverſus Catholicos promulgatæ erat obnoxia, iterum ſolum vertit. Non ſine tamen aliquo doloris ſenſu, & amicitiæ argumento eum Rex dimiſit: abeunti enim effigiem ſuam inſertam aureæ pixidi, multis gemmis diſtinctæ, dono dedit. Miſſa Gallia Romam deſtinat peregrinationis metam, quo amicis precibus Romani Pontificis Pauli V. vocabatur per Gondomarum legatum Regis Hiſpaniæ. Iſtic per quinquennium cum vixiſſet, tandem obtinente Gregorio XV. (qui & amore in eum Paulo V. ſucceſſerat, eumque & illuſtribus honorum titulis, & annua penſione una cum majore natu filio impertiverat) defecit hoc Europæ lumen, atque breviſſimæ, ſed acerrimæ febris æſtu ultimum diem clauſit anno milleſ. ſexcent. vigeſ. primo, Auguſti duodecimo, vir de Muſis optime meritus. Morti proximus locum ſepulturæ deſtinavit ſibi extra omne hominum commercium.

Libros doctrinæ ſuæ obſides reliquit plurimos, quos inter Argenis hæc noſtra gentium omnium donata linguis, multam feret ætatem, & plenum gloriæ authorem ſuum deducet ad poſteros: nec labem abſterget tam illuſtri authori geminæ ſatyræ ſtilus petulans, quam vix ex ephebis egreſſus publicæ luci dedit: enimvero & ſi Juvenalis, Perſii, Lucilii, Terentii, Varronis, Martiani, Minæi, Petronii, Apuleii, Horatii æmulus, tamen æmulus innocens, ut luculenter probavit ipſe in Apologia ſuâ: cum purgat & Icon animorum, ubi gentis cujuſque genium gnaviter exprimit: diluit præterea æſtum illum ju-

venilem non poëſis illa modo, quæ illuſtrem ipſi inter Scotiæ poëtas locum promeruit: ſed & illa Parenæſis ad ſectarios Angliæ, quam Romæ edidit. Mitto plures conceptos animo fœtus quibus præcox fatum obicem poſuit. Vix repererat Argenidem ſuam, cum ſubito expirat Philomela ſub ictu. Faceſſant autem quæ aſcititio Jo. Barclaii titulo inſignita protruduntur in vulgus; qualis eſt Alethophilus: ſic enim ſentit Hyeremias Drexellius Societ. Jeſu, in Aurifodinâ ſuâ; ubi inter poëtas non vulgaris notæ Jo. Barclaium collocans hæc ſcripſit: *Jo. Barclaius Latinus oppido ſcriptor & elegans, Iconem animorum, & Argenidem edidit, ſolutæ orationi ligatam hinc illinc miſcuit.* Et paulo poſt: *A Barclaii morte homines ſimplices, & prorſus albæ mentis quædam ejus nomine obtruſerunt edita, ac ſi litterarum hoc ævum à plumbo neſciret aurum diſtinguere.*

Ad immortalitatem Barclaii una ſufficiet illius Argenis, quam Richelæus ævi noſtri miraculum aſſiduis, ut ajunt, verſabat manibus, habebatque quaſi præceptricem ac directricem illius regiminis, quo deinceps Galliam venerabilem juxta terribilemque gentibus cæteris fecit. Sed hercle nemo niſi forte non amans, aut ignarus optimarum artium divini, ut ita loquar, iſtius operis admiratione non rapiatur: nam ſi cum rerum gravitate majeſtatem characteris ponderas, mirabere in una Argenide Pandoram donis omnibus à Diis auctam: apiculam variorum florum ſucco gravidam undequaque delibato: habet enim heroicum Tullii vigorem, Laconiſmum, & politicam Taciti, Livii antiquitatem, floſculos puros Petronii, ſales fabuloſos Naſonis, poëticam Maronicâ vix inferiorem. Ubi ſolutâ, nemo pene diſertius; ubi ſtrictâ, nemo ſolertius. Seria jocis, prophanis ſacra ſic temperat, nemo ut ſit ex templo, ex foro, qui non imbutus modo optimis artibus, ſed & optimis moribus inſtitutus ab hac Argenidis lectione abeat. Sed quam ſuaviter ſuſpenſos animos fallit! Quam ſolerter triumphantem de vitio, fortunæque

ludo

ludo virtutem ſub fictis nominibus, & ad ſuſtinendas perſonas idoneis in ſcenam inducit? quis fuerit Jo. Barclaius dicit compendio Hugo Grotius:

Gente Caledonius, Gallus natalibus. Hic eſt
Romam Romano qui docet ore loqui.

Neque te prætereat iſtud Naudæi in Bibliographiâ ſua, ubi ſic ille; *Prodiit tandem aurum ex marchaſitâ, & uniones ex matrice conchâ Icon animorum Jo. Barclaii; cui ego authori non modo præſtanti facundia; ſed omni genere laudis quæ ex litterarum ſtudiis elegantioribus provenire ſolet, ne ex veteribus quidem Romanis quemquam antepono.* Attamen inter tot opes naturæ prodigæ, Jo. Barclaio unum defuit vita prolixior, *quæ magnis eſt ſæpe negata viris:* ſiquidem vitam temporalem immortali commutavit Romæ anno ætatis nono cum ſemeſtri ſupra triceſimum.

Heu plangit, meminitque ſui Parnaſſus alumni,
Sicque gemit ſparſis Muſa ſecuta comis.
O fatum! Ah! noſtræ cecidiſti gemma coronæ:
Occidit ante ſuum noſter Apollo diem.
Parcite Pierides lachrymis, in lætius ora
Fingite; nam terris veſter Apollo micat.
Dum vivent æterna tui monimenta libelli,
Barclai, vives cuncta per ora virûm.
Hæc tua per totum te prædicat Argenis orbem,
Cum ſcelus imperii, ſed ſine dente notas.
Caſtaliis puras hauſiſti è fontibus undas,
Quas modo digeſtas ecce propino libens.
Has quicunque tumens prono non appetet ore,
Tantalus in mediis ardeat alter aquis.
Fercula diverſis dapibus condita miniſtro,
Hoc ſine non ſapiet docta Minerva ſale.

Erat Jo. Barclaio gracile corpus, ſtatura media, lene ſupercilium, glaucus & ſuavis oculus, coma ſubnigra, frons ad hilaritatem porrecta: denique is erat quem non plus Muſæ quam Charites amaverant.

EPISTOLA
JOANNIS BARCLAII
AD
PAULUM V.
SUMMUM PONTIFICEM.

BEATISSIME PATER,

SI *votorum copiam mihi numen antea feciſſet* , Beatiſſime Pater, *nihil optaſſem avidius quam quod tuæ clementiæ ſponte nunc obtigit; ut nempe mutata rerum mearum ſorte, tuam ſanctitatem placatam habeam, poßimque te non communi tantùm Chriſtianorum jure, ſed præcipuo aliquo parentem appellare. Equidem auguſtißimam tuam ſedem unicum veræ fidei virtutiſque domicilium, teque in eâ divinis auſpiciis collatum, Beatißime Pater, ſemper colui; ſed locorum divortio, & temporum culpâ, minor quam voluiſſem fuit hic cultus; & minor quam fuerit, fuiſſe eſt creditus. Urebar anxiis motibus quod offenſum tantum Patrem haberem, & placare non auderem. Sed nobilißimi viri, & hic omnia pro tua ſanctitate experti, Domini Didaci Sarmiento de Acuno, legati Catholici, opera atque verbis, primum de tuæ ſerenitatis clementia, omnia ſperare viſus ſum; mox non ſperare modo, ſed credere. Ingenti itaque gaudio ubi primum tuam ſanctitatem vocantem audivi, relictis retibus & navi tuam vocem ſecutus ſum: nec luculentius animi mei pignus dare potui, quàm quod ſpem mihi meiſque liberis undecim annis quæſitam apud Regem nunc maximè mihi benevolentem, non modo omiſi, ſed prorſus interverti ad tuam ſanctitatem pervolaturus. Urgeo profectionem meam quantum impedita mulierculis & infantibus familia ſinit. Habebis nos propediem omnes ſanctitatis tuæ pedibus ſtratos, nec aliam ſalutem aut fortunam habituros, quam quæ tuæ ſanctitati placuerit. Deus te, S. P. incolumem diu ſervet in Eccleſiæ utilitatem, augmentumque coronæ, quam quotidie in felicißimam immortalitatem texis.* Vale. *Londini, Idibus Septembris,* 1615.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

EPISTOLA
JACOBI
SCOTIÆ REGIS,
CAROLO
LOTHARINGIÆ DUCI.

JACOBUS Dei gratia Scotorum Rex, omnibus, ad quos hæ litteræ perferantur, ſalutem. Cum eſſet nobis relatum à dilecto noſtro conſanguineo Georgio Comite de Huntlie, nec non à dilectis noſtris Domino Patritio Gordonio Auchindoun, Domino Valtero Ogiluio de Fin-Sater Equitibus Auratis, Joanne Leſleo Domino ac Barone Balguane, Joanne Gordonio Domino ac Barone à Pitlurge, Valtero Barclaio Domino ac Barone Actolie, &c. & à Davide Barclaio, Domino ac Barone à Cularne, &c. ac etiam ab aliiſ regni noſtri primi ordinis nobilibus Guglielmum Barclaium prædictorum virorum Illuſtriſſimum cognatum in Galliam ante aliquot annos profectum, jam tandem ſub amantiſſimi fratris & cognati noſtri ditione in Lotharingia conſediſſe, ibique affinitatem genere moribuſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

que ſuis non indignam contraxiſſe, precibus à nobis contenderunt, ut noſtra teſtificatione exteras nationes de ejus viri antiqua nobilitate redderemus certiores, idemque maxime ut intelligat chariſſimus frater noſter ac cognatus Illuſtriſſimus Dux Lotharingiæ cæterique omnes apud quos dictum Guglielmum Barclaium habitare impoſterum contigerit eum ſuam nobilitatem nichil eſſe ementitum, quod facere interdum nonnullos humili & obſcuro loco natos nobis ſuggeſtum eſt, ſed ex antiquiſſimis regni noſtri familiis longa avorum ſerie ortum traxiſſe. Nos itaque verum eſſe, quod prædicti viri Illuſtriſſimi nobis narrarunt, re tota diligenti inquiſitione explorata comperientes, eorum ſupplicationi, eo quod juſtiſſimam videtur continere petitionem, libenter annuimus ac præſentium litterarum tenore tam prædicto fratri ac cognato noſtro chariſſimo, quam cæteris omnibus, quorum hoc ſcire intereſt, hoc locupletiſſimo teſtimonio ſignificamus, præfatum Guglielmum Barclaium ex conjugali toro natum antiqua majorum ſuorum nobilitate eſſe illuſtratum, ex quibus complures etiam Torquati Equites, ut fideliter accepimus, multis retro ſeculis extiterunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

terunt. Quod ut planius præfato fratri ac cognato noſtro Illuſtriſſimo Duci Lotharingiæ cæteriſque omnibus innoteſcat, hoc authoritatis noſtræ teſtimonium à nobis ſubſcriptum magno Sigillo noſtro communiri præcipimus. Datum Edimburgi decimo nono die Martii, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo, & Regni noſtri decimo ſexto.

JACOBUS R. S.

Cum Sigillo magno Regni.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Amico ſuo in ultimis
HARDUINO
G. B. S.

EST quod tibi, quamvis mei amantiſſimo, jure ſuccenſeam, & contractam indignatione bilem in te effundam. Ergone tibi ſatis non fuerit, notulas quas in Argenidem Barclaii ſubciſivis horis utcunque dictabam, conſanguineo meo in re litteraria adhuc rudi, vix ignoſcendo furto ſubtraxiſſe; eaſdem tu publicæ luci, ne expectatâ quidem morâ, quâ ego fœtum hunc meum lambendo gnavius effingerem, auſus ſis committere? imo ne emendatis quidem, ut audio, eis erroribus, qui ex inſcitia exſcriptoris irrepſere. Dici non poteſt quam graviter iſtud feram, & ſim laturus; maximè niſi huic editioni præfueris, aut, ſi non potes, peritus aliquis tui loco ei præſit. Ut ut ſe res habeat, volo hanc epiſtolam innocentiæ meæ, & furti tui teſtem huic operi præfigi; ut qui illud ad manus & oculos admoverint, ſciant in quem illius nævos debeant refundere, mihique alieni peccati labes non imputent. Vale.

HUMA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

HUMANISSIMO
LECTORI
HARDUINUS S.

INnocentis furti conſcium ac participem ſi te fecero, ne delictum puta, humaniſſime Lector; furtim enim has notas cum ſubripui, reipublicæ literariæ conſulebam. Inſcio ſuffuratus ſum, ſed familiari, quem inter & me communia cuncta ſemper credidi. Succenſet quidem ille mihi; ſed ejuſdem Reip. litterariæ precibus, quam juvero, ut ſpero, ſe facile patietur exorari. Cur enim uni ſibi, ſuiſque tantùm invidioſiùs premat, quod naturâ ſuâ poſtulat in publicum diffundi? Quaſi vero tantis litterarum diſpendiis ipſi modeſto eſſe liceat. Acceptam igitur referes & mihi hanc illius Argenidem unà cum notis, Argumentis, novâ clavi, & analyſi ſermonum, quibus aucta tibi reponitur: in quibus omnibus quidquid fabuloſa antiquitas amœnum habet, quidquid reconditum, dilucidè tibi explicatur. Sed quoniam adoleſcenti earundem notarum deſcriptori, haſce ſubripui, excuſabis, ſi præter editionis errores, adhuc aliqui nævi irrepſerint, quos propter feſtinationem, & locorum intervallum non potui detergere. Peccaſſem, fateor, in amicum, ſi quo modo poſſent in eum illi refundi: ſed & ex iis quæ habet ibidem eruditiſſima, & ex aliis ejus operibus doctiſſimis, facilè ſe apud non iniquum judicem ab eorum infamia liberaverit.

TABU-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

TABULA NOMINUM FICTORUM IN ARGENIDE.

Acegoras. Ginuillæ princeps.
Anaximander. Pontan. Marchio.
Aneroëſtus. Clemens VIII. Pontifex.
Antenorius. Querengus.
Aquilius. Imperator.
Archombrotus. Princeps regi Franciæ ſubditus, virtutibus heroïcis, ſummam facientibus ſpem, ornatus.
Argenis. Deficiens in Henrico III. Valeſiorum ſtirps, vel etiam alter ab rege locus, eodem tempore à tribus æmulis, Navarreo, Alenſſonio, & Guiſio, callidè petitus.
Arſidas. Dux Bullonius.
Arx non everſa. Londinenſis arx.
Auxilia Meleandro data. Litteræ, quas anno MDLIX. ad Franciſcum Galliarum regem Philippus Hiſpaniarum rex dedit.
Britomandes. Antonius Borbonius Henrici IV. pater.
Cleobulus. Villaregius.
Commindorix. Allobrogum Dux.
Dereficus. Fredericus Comes Palat.
Dunalbius. Ubaldinus.
Eriſthenes. Mainius Calignaci Comes.
Eurymedes. Bironii Mareſcallus.
Gelanorus. Turennii Marchio.
Gobrias. Harlæus, Sanciaci.
Hiero-Leander. Hieronymus Aleander.
Hippophilus. Hiſpaniarum Rex.
Horti Reginæ Mauritaniæ. Vigna di Madama in Roma.
Hyanisbe. Elizabetha Angliæ Regina.
Hyperephanii. Calviniſtæ.
Ibburanes. Barberinus, Vrbanus VIII. Papa.
Liphippus. Rex Hiſpaniarum.
Lycogenes. Duces belli civilis.
Lydii conjuges. Ancræus cum uxore, in Gallia.
Meleander. Henricus III.
Menocritus. Retii Mareſcallus.
Mergania. Germania.
Nicopompus. Barclaius.
Oloodemus. Elbovii Dux.
Peranhylæus. Bethlehem Gabor.
Poliarchus. Perſona eorum in quos belli civilis furor deſæviit: quales Henricus IV. Rex Navarræ, & Eſparnonii Dux.
Praxetas. Domus Albigniaci.
Procerum primus in aula Hippophili. Franciſcus Gomezius Sanctivallis, Lermæ Dux.
Phryges conjuges. Comes Somerſetti cum uxore in Angl.
Purpurati Sacerdotes. Cardinales Lerma & Cleſelius.
Radirobanes. Hiſpaniarum Rex.
Regio ab adverſo littore Siciliæ æmula. Anglia.
Seleniſſa. Regina Mater.
Sicilia. Galliæ Regnum.
Timandra. Jana Albretia Henrici IV. Mater
Timonides. Domus Albigniaci.
Vſinulca. Calvinus.

JOAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

JOANNIS BARCLAII ARGENIS.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Archombrotum appulſum in Siciliam, componentemque in arena caput maris erroribus circumactum, ſubitò Matrona confundit ſparſo crine miſerabilis. Hæc hoſpitem ad opem præſtandam Poliarcho, quem adorti prædones fuerant, enixè ſollicitat. Sed dum præſto eſt, ſtupet quatuor jam profligatis, cæteros in fugam averſos.

1 NONDUM Orbis adoraverat Romam, nondum Oceanus deceſſerat Tybri, cùm ad oram Siliciæ, quà [2] fluvius Gelas maria ſubit, ingentis ſpeciei juvenem pegregrina navis expoſuit. Servi ope nautarum cultum domini militarem ex alto comportabant, ſuſpenſoſque per præcincta ilia equos demittebant ad littora. Ille inſuetus navigii malis, procubuerat in arenam, quærebatque circumactum pelagi erroribus caput, ſopore componere: cùm acutiſſimus clamor primùm quieſcentis mentem implacidâ imagine con-

1 *Nondum orbis adoraverat Romam, nondum Oceanus deceſſerat Tybri.*] Antequam totus orbis Romano Imperio ſubjiceretur, & Tyberi Oceanus. Vel, antequam Oceanus fluvio Tyberi fama ceſſiſſet: quod evenit poſtquam Roma univerſum terrarum ambitum ſuæ ditionis fecit. Deceſſerat enim, id eſt, ceſſerat.

2 *Fluvius Gelas.*] Urbem ejuſdem nominis in Sicilia præterfluit, dictus eſt, vel ἀπὸ τῆς γέλης, à pruina, quam multam gignit; vel idem eſt quod γέλως id eſt, riſus, quia ripis ejus nihil amœnius, in quibus cum Nymphis Proſerpina amabat ſpatiari. Inde campi circumjacentes Geloi dicti ſunt. Æneid. lib. 3.

—— Campique Geloi
Immaniſque Gela fluvii cognomine dicta.

 1 *Sparſo*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

confundens, mox propius advolutus ſomni ocium horrore ſubmovit. Sylva erat in conſpectu, raris quidem, ſed in ingens ſpacium effuſis arboribus, ſubter quas tumuli, fruticum dumorumque caligine, velut ad inſidias ſurrexerant. Hinc repentè in campum erumpit fœmina optimi vultûs, ſed quæ corruperat oculos fletu, [1] ſparſo quoque in funebrem modum crine terribilis. Incitatus verberibus equus non ſufficiebat in curſum effuſæ, [2] nec mitiùs quàm in Phrygio aut [3] Thebano furore ululanti. Concuſſere illico juvenis mentem præter favorem in miſeros pronum, etiam reverentia ſexus, gemendique atrocitas: [4] Omen quoque in ſpectaculo captabat quod intranti Siciliam primum occurrerat. At illa, ubi potuit exaudiri; ô quicunque es, ſi virtutem, inquit, amas, ah ſuccurre Siciliæ, quam in fortiſſimo viro prædones nefarii oppugnant. Nec diu me orare patitur inſtans malum; nec leviter deprecari pro Poliarcho poſſum, quem non hinc procul graſſatorum ferox turba circumſedit improviſo facinore. Ego inter tumultum effugiens,

1 *Sparſo in funebrem modum crine.*] Phrygiarum inſtar mulierum, quæ ſolutis de more crinibus funera proſequuntur. Æneid. lib. 3. & 11.

Et circum Iliades crinem de more ſolutæ.

In fabula Niobes Metam. l. 6.

—— Stabant cum veſtibus atris
Ante thoros fratrum demiſſo crine ſorores.

Et Petron. Arbiter in Satyr. *Non contenta vulgari more funus paßis proſequi crinibus, &c.*

2 *Nec mitius quam in Phrygio.*] Vel more Iliadum, ut ſupra; vel certius, more Corybantum, id eſt, Cybeles ſacerdotum, qui ſacro correpti furore cymbala cum ululatu pulſabant. fuere ex utroque ſexu. Idam Phrygiæ montem tenuerunt; de his Martial. l. 5.

Quem ſectus ululat matris Enthea Gallus.

Claud.

Sed tu ſanguineis ululantia Dindyma Gallis
Incolis. ——

3 *Thebano furore ululanti.*] More Mænadum ſeu Bacchantum, quæ ſua Orgia in Cythærone monte Bœotiæ juxta Thebas, cum ululatu & ſuo Euohe celebrabant. Ovid. 3. Metam.

Vadit ubi factus facienda ad ſacra Cythæron
Cantibus, & clara Bacchantum voce ſonabat.

4 *Omen captabat quod intranti.*] Sic erat ſuperſtitioſa Gentilitas, ut in omen omnia traheret, maxime ſubita, & primum ſe offerentia. Inde Adagium, *ominabitur te conſpecto.* In Apophtheg. Plutarch. *Paulus Æmilius cum lachrymantem filiam reperiſſet, ſit fœlix, inquit, ô filia, omen accipio.* Ita Meleander infra lib. 2. Accipio, inquit, omen, ô filia. Adrianus ab occurſanti ſibi Mauro infauſtitatis argumenta duxit. Anchiſ. Æn. lib. 3.

Quattuor hic primum omen equos in gramine vidi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

giens, te primum opportunè, nec plus forſitan in illius ſalutem, quàm in gloriam tuam vidi. Hos quoque (nam dum ipſa loquitur, ſervi acceſſerant) ſeu juberi ſeu rogari à te fas eſt, provoca ad egregiæ pietatis officium. Hæc ut mulier inter anhelitus & ſuſpiria effudit, ad galeam ille enſemque reſpexit: & dum equum miniſtri admovent; ego, inquit, ô matrona, modò in Siciliam veni. Liceat hactenus homini extero nomen Poliarchi ignoraſſe. Sed fortunæ beneficium debebo, ſi qualem memoras ſtrenuum virum meo adventu levari voluerit. His dictis in equum exiliit, & duceret ergo juſſit. Servi omnino duo erant: Unus, & ipſe armatus, dominum ſequebatur; alius præſidio ſarcinarum, quæ colligi tam turbulentâ profectione non poterant, manſit in littore.

Jamque pervenerant ad ſylvæ confinia; cujus aditus in ſemitas variè ſectus memoriam mulieris ſic confudit, ut dubia quà quæri Poliarchum oporteret, novis gemitibus cœlum impleverit. Ambigebat tanto fletu territus hoſpes, an progredi præſtaret, an hærere; cùm ſtrepente ſubitò ſylva, clamor, & arma, & venientium equorum veſtigia mentem ad præſentiora pericula advertunt. Quippe tres armati veniebant, admiſſis habenis incitati, nudo ferro, vultúque aliquid ingens vel auſo vel timente. Veritus ille inſidias, & ut in ſubitis, quæ timeri vix debent, occurrunt, de matronæ fide ſolicitus, exigit, hinc eſſent in quos pugnari ipſa vellet; ſimul [1] digitis in amentum aptatis, haſtam, quam nemo violentius torquebat, in venientium dirigit ora, ne inultum occuparent. Sed hi fugam, non bellum adornabant; diverſiſque itineribus properabant elabi victori. Nam urgebat fugientes unus ille Poliarchus, cui tam prolixè matrona timuerat. ultimumque aſſequutus ita cecîdit, ut per caput cervicemque continuatum vulnus ad pectoris ima deduxerit. Hoc

1 *Digitis in amentum aptatis.*] Eſt amentum lorum quo jaculatores utuntur, ut longius haſtas emittant. Ovid. 12. Metam. *Inſerit amento digitos.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Hoc collapſo cùm pervicaciùs inveheretur in cæteros, humus ſcrobibus inæqualis deprehendit equi veſtigium, qui dominum celeri quidem, ſed innoxio caſu, effudit in gramen. Subitoque matrona, (nam Poliarchum agnoverat) ex equo ad jacentis auxilium ſe advolvit. Sed ille non lapſu, non vulneribus gravis, quæ duo acceperat, ne omiſſo quidem enſe proſiliit. Cumque ex Timocleâ (id mulieri erat nomen) audiſſet, ut ipſa in peregrinum juvenem incidiſſet, quamque ille humanus promiſiſſet auxilium, haud mora ad eum tanti beneficii gratias habiturus convertitur. At ille jam equum reliquerat, priorque loquutus Poliarcho, Si dii voluiſſent, vir fortiſſime, inquit, me antehac tuæ virtutis conſcium eſſe, iſtius matronæ lachrymas accuſaſſem, quæ coëgit ut veniam petere debeam, quod tibi tanto viro auxiliari voluerim. Tres armatos in fugam à te verſos, quamvis eſt eximium, minùs tamen mirarer, niſi me illa vis quâ ex iis tardiorem mulctaviſti, admoneret, quàm juſtus omnes terror in fugam abſtulerit. Poliarchus & ipſe blandiſſimus, egit gratias properati auxilii; neque ſuæ virtuti, ſed graſſatorum ignaviæ ajebat tribuendum, quòd illi fugiſſent.

Inter hæc verba in amplexus abierunt; & ſalutatione mutuâ functis non modò quid dicerent, ſed & cui loquerentur, vacavit cogitare. Tunc igitur alterius forma ad oculos alterius tota pervênit; & hæſere mutuâ contemplatione perculſi, id quiſque miratus in alio, quo ipſe viciſſim mirantem rapiebat. Ætas, forma, habitus, & arcanus luminum vigor; pares anni, & quamvis in diverſis frontibus una majeſtas. Cum tanta ſpecie monſtrum erat fortitudinem conveniſſe. Neque minùs Timoclea fortunam adorabat, quæ tantum par mirabili occurſu coëgerat. [1] Votum etiam fecit, ſi per eoſdem liceret, ſe ta-

1 *Votum etiam fecit.*] Vovebant olim templa, ludos, ſtatuas, tabellas, idque conceptis verbis maxime pro incolumitate Principis, & poſt pericula maris declinata. Ita Cic. de Aruſp. reſponſis.

I Se

[1] ſe tabulam, in quam pictor vultum utriuſque tranſtuliſſet, [2] Erycinæ Veneris templo daturam. Et quamquam varii caſus diſtulêre id votum, eo tandem ſe exolvit, his carminibus ad oram tabulæ inſertis:

Sic roſeis ſtat forma genis, ſic frontis honore
Fulget apex, tales accendunt lumina flammæ.
Humanum ne crede decus; non pulchrior altos
Phœbus agit currus. Non unquam ſydere tanto
[3] *Oebalii micuere Dii,* [4] *quos nauta ſolutis*
Puppibus, & jam-jam vincentibus invocat undis.
[5] *Nec tu Lemniacis Mavors formoſior armis*
Fræna quatis, [6] *Paphiiſve ſoles miteſcere blandus*
Cultibus, [7] *ab miſero tantùm metuende marito!*

Cùm

1 *Se tabulam templo daturam.*] Caligula habuit in matrimonio Agrippinam M. Agrippæ & Juliæ filiam, & ex ea novem liberos tulit; quorum duo infantes adhuc rapti unius pueraſcentis effigies habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris dedicata eſt. Inquit Tranquil. in Caligula. In tholis autem ſeu camera interioris templi, columnis, vel parietibus votivæ tabellæ affigebantur, teſte Statio 2. Theb.

His ego majorum pugnas, vultuſque tremendos
Magnanimûm effingam Regum, figamque ſuperbis
Arma tholis.

Sic Tibullus l. 1. Eleg. 3.

Fixa docet templis multa tabella tuis.

2 *Erycinæ Veneris.*] Cognomentum ab Eryce Siciliæ monte, ſic dicto ab Eryce filio Veneris, ibi humato. vide infra cap. 3.

3 *OEbalii micuere Dii.*] Caſtor & Pollux ab OEbalia Laconiæ regiuncula oriundi. Ovid. l. 5. Faſt.

Effugere OEbalidæ curſu potuere ſequentes.

4 *Quos nauta ſolutis puppibus, & jam-jam vincentibus invocat undis.*] Dii maris Caſtor & Pollux habiti ſunt, & à nautis ſæviente procellâ vocati tanquam ſalutares, tum quia pyratis mare purgaverunt; tum quia, cum ingens tempeſtas Argonautas, è quorum erant numero, è Sigeo digreſſos invaſiſſet, atque pro incolumitate Orpheus vota concepiſſet, geminæ flammæ circa Caſtoris & Pollucis capita viſæ ſunt: ſecuta eſt paulo poſt admirabilis maris tranquillitas, & clementia ventorum: quamobrem credita eſt divinitas quædam in his ineſſe. Et quoties hæ flammæ geminæ apparent, navigantibus ſalutiferæ putantur: ſi una tantum, periculoſa navigiis eſt; & eo magis ſi terribilis illa & dira peſtis quam nautæ Helenam vocant, ſuo adventu geminas flammas fugaverit.

5 *Nec tu Lemniacis Mavors, &c.*] Senſus eſt: neque tu ô Mars juvenibus iſtis, Poliarcho, ſcilicet & Archombroto formoſior es, cum armis indutus Lemniacis, id eſt, in inſula Lemno, Cyclopum manu fabricatis, currum tuum regis Odryſiis ſeu Thraciis quadrigis tractum.

6 *Paphiiſve ſoles miteſcere, &c.*] Neque tu Veneri blandior & gratior es, ô Mavors, cum unguentis delibutus Paphiis (Paphos autem Veneri ſacra & famoſa luxu) poſito furore bellico, ejus lenociniis vinci te ſinis.

7 *Ab miſero tantum metuende marito.*]

 Vulcano

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Cùm deinde Poliarchus collegiſſet ſe ab hoſpitis vultu, matronam familiarius intuitus, in illius exanimata ora ludebat, maximè quòd in latera atque tergum [1] diſſipati tanquam ad rogum crines jacerent. Rogabat quoque per jocum [2] an incidiſſet in Satyros. Timoclea autem ſimplici riſu; ne hos putes, Poliarche, deſperatione divulſos. Fugam inter virgulta præcipitabam tuo periculo conterrita, cùm obverſantibus ramis ſolutus eſt verticis nodus, & profluentem comam laxavit. Dum loquuntur, libertus interim Poliarchi, duoque Timocleæ ſervi, qui aberraverant, ſuperato callium flexu, haud procul à dominis emerſerunt ex nemore. Sola Timocleæ ancilla jam deerat: ſed & hanc procul vident pavido equo non benè moderari, & inutili virgâ cum clamore ferire contumacem. Satis illi in conſpectu hujus ſcenæ jocati, procurrunt hilares ad trementis auxilium. Interim hoſpes Poliarchum rogabat, quæ illæ in eum inſidiæ, quiſve graſſator: an odia, an prædæ cupiditas, tanti facinoris audaciam nefariis feciſſet. Sed matrona ſermonem occupavit, &, utrique neceſſaria quies eſt, inquit; huic à mari, alteri à pugna venienti. Neque hinc longè prædium meum. Illic rectiùs erit vobis; habebitiſque levandis corporibus, & mutuis ſermonibus locum. Non ægrè annuerunt tam commodè admonenti, famuloque recepto qui ſarcinas ad littus ſervabat, viam omnes exorſi ſunt.

Vulcano marito Veneris Mars metuende propter tuam laſciviam quæ à te fortitudinem expulit: nunc enim non es terribilis ut ante, ſed mollis amator. Solam Venerem à Marte adamatam fuiſſe fabulantur, & indicio Apollinis in flagranti delicto deprehenſam, à Vulcano una cum adultero nexam, eoque infami habitu, Deorum ludibrio expoſitam.

1 *Diſſipati tanquam ad rogum crines.*] Ut ſupra pag. 2.

2 *An in Satyros incidiſſet?*] Fugiendo Satyros, vel adverſus eorum petulantiam obnitendo comam laxaſſet. Laſcivi enim ſunt & in Venerem proclives Satyri: ſiquidem Pauſania aſſertore in Atticis, Euphemus ex Cariâ in extremas Oceani partes delatus, & in Inſulam Satyridum tempeſtate coactus, incolas rufos & caudatos reperit, qui ſtatim concurrere ad naves, nullâque emiſsâ voce, in mulieres impetum fecere: ſed his nautæ expoſuere barbaram, in quam petulantiſſime irruerunt.

Jam penè ad familiaritatem initiati juvenes erant, docebatque quærentem hoſpitem Poliarchus, primo mane ſe è regiis caſtris egreſſum; Agrigentum petere negotii causâ: per viam occurriſſe hanc Matronam in aulâ notiſſimam, quæ à Regis filiâ redibat. Aliquo fato ſervos (ut incurioſi ibant) per viarum anfractus divertiſſe in ſylvâ. Timocleam unam cum ſuâ anu in eadem ſecum ſemitâ perſeveraſſe; cùm obliquo ad latus itinere proceſſerunt quinque latrones, & in ſe unum tot equos effuderunt. Matronam ſuo & equi pavore divertiſſe, & fœliciſſimo errore ad tantæ humanitatis hoſpitem eſſe delatam. Fatis autem, & prædonum ſcelere factum (inquit) quòd primo impetu omnium in me ictus incaſſum cecidêre, ſuffecitque cædi illius qui primus occurrit, jaculum quod habebam. Conſerto deinde certamine unus dexteri mei cruris modicam partem libavit; alius ferrum levi vulnere adegit ad latus: quem ego indignatione concitatus poſtquam meo dolori immolavi, aliumque læſi in capite, infœlici flagitio territi omnes habenas verterunt; ut nec mihi liqueat, fœdius ne aggreſſi ſint ſcelus, an fugerint. Tunc quoque unius celeritatem ſic præcepi, ut ſub veſtris oculis dederit pœnas. Duos qui ſupererant, ipſi vidiſtis, ut mihi equi caſus fugientes ſubduxerit. Qui illi ſint, nec ſuſpicari poſſim, niſi ex Lycogenis caſtris latrones, qui vel obſervabant mea itinera, vel omnino per ſylvam ituris imminebant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

Archombrotus Poliarchi virtute captus, ei in ultimis adhæret. Apud Timocleam ambo divertunt. Quærentem Archombrotum unde prædonibus infeſta Sicilia eſſet, docet Poliarchus, furioſæ hujus factionis caput eſſe, quod Rex ſummam rerum infidis credit, ſecundi gradus impatientibus.

HÆc loquente Poliarcho, jam ad prædium matronæ pervenerant, quod non procul [1] Phthinthiâ, ad ripas Himeræ, hinc alveo fluminis cingebatur, illinc arbuſtis inter ſe implicatis, & lentato vimine miſcentibus nexus. Ipſam domum laterculo conditam, & in altum porrectam, latè fluminis camporumque oblectabat ſpectaculum. Sylva quoque, & in proximo colles, commendaverant ſitum. Familia ampla, & ex dominæ moribus caſta; quæ elato pridem viro, integerrimâ famâ claritatem ſtirpis adauxerat. Hæc tunc mutuis inter hoſpites ſermonibus finem impoſuit, officiosè obſecrans, ne offenderentur tenuitate hoſpitii. Succeſſere illi in tectum; invitavitque matronæ humanitas, & provectæ lucis tempus, ut illic pernoctaturi ad cœnam promitterent: quæ dum è familia curatur, interim Poliarchus delibuto aceto vulnera lavit, ne tumore arderent, oleoque deinde, quod Aſcyri floribus tinctum erat, permulſit; ſecurior notis inemptiſque remediis, quàm in Medicorum fide iniquiſſimam mercedem ex ſupervacuâ curationis morâ interdum captantium.

[2] Diſcubuere deinde in triclinium cœna perlata; riteque inſinuatis ſermonibus non dubitavit Timoclea quærere ab ho-

1 P*Hthinthia, ad ripas Himeræ.*] Siciliæ civitas eſt ad ripas Himeræ. Himera autem fluvius eſt, in duo ſectus cornua, quorum alterum dulcibus, alterum ſalſis aquis fluit.

2 *Diſcubuere in triclinium.*] Dictum à tribus clinis ſeu toris, quibus diſcalceati, & veſte quæ ſyntheſis dicebatur, induti olim ad epulandum accumbebant, reclinatâ ſuperiori corporis parte in cubitum, capite leviter erecto, dorſo pulvinis modice ſuffulto.

I *Opa*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ab hoſpite, quo nomine quave patriâ eſſet; an præterea conſilio, vel errore, appuliſſet ad inſulam. Ille ſe ab Africâ patriâ ſuâ, venire reſpondit; nomen, ac genus, diſſimulari eos velle, quibus in ſe arbitrium erat; dum rediret, Archombrotum juſſiſſe appellari: neque ſe adverſis actum ventis; ſed in Siciliam curſum fuiſſe, ut conſortio fortium virorum frueretur, quos apud Regem vivere fama vulgaverat. Nihil magis Poliarcho, aut Timocleæ mirum fuit, quàm quòd ille ab Africâ tanti candoris vultum afferret. Non reflexa tumuerant labra, non coacti in orbem oculi ſub fronte receſſerant. Ingentis quoque animi ſpecimen erat, quòd amore virtutis extra patriam trahebatur.

At ille ſoluto convivio interrogare Poliarchum magnopere cœpit, unde infeſta latrociniis Sicilia eſſet: quis ille Lycogenes, de cujus caſtris ſuſpicio erat eſſe prædones, qui in illum invaſerant; quis denique regni ſtatus, quæve bella urgerent. Poliarchus jam remotis arbitris, (quippe ad quietem ſeceſſerant, placueratque una ambobus cella) Multæ virtutes, inquit, in vitia, Archombrote, degenerant; & quod magis eſt, ſæpe videas eoſdem affectus, pro temporum ſorte, nunc virtutes eſſe, nunc vitia. Meleander, quod opinor non ignoras, paternum avitumque Siciliæ regnum tenet, mitiſſimi ingenii homo; ſed qui non ſæculo, non hominum moribus æſtimatis, ita cæterorum fidei credidit, ut ſibi credi par eſſe ex virtute ſentiebat. Illum quoque exiſtimem nimia fœlicitate laboraviſſe. Nam ſub initia imperii, quia pacata omnia erant, palàm cupiditates ſolvit, lenes quidem & multis Principum familiares, quæ tamen facilem prodiderunt, nec in injurias idoneâ ſeveritate acrem. Indulgere plus juſto venatui, in cujus varia genera annum diſtinxerat. Non conſilio amicitias ſortiri, impetuque eas colere, largiri immodicè, horrere à negociorum ſummâ, quam plerumque infidis credebat. Utinam, hoſpes, ſileri hæc poſſent.

Sed malo ſinceris indiciis, quàm iniquitate famæ rem omnem deprehendas. Nam omnia hoſtes urgent, attolluntque in pejus. Et hinc optimo Regi malorum omnium cauſa; invidiâ præcipuè & ambitione Lycogenis, regiis erroribus perfidiosè imminentis. Is priſcis Regibus ſuæ ſtirpis authoribus ferox, nunquam ſecundi gradûs ſatis patiens fuit, vir manu & conſiliis ſtrenuus, ſolertiſſime populo blandus; cæterùm nemini mortalium, crudelitate, perfidiâ, & quoties tutò licet, ſuperbiâ concedit. Haud ægrè apud Meleandrum candidiſſimæ virtutis principem fefellit pro amico. Dumque Rex animum curis exoneratum ocio paſcit, iſte ſuæ factionis hominibus curiam implet, publica munera, veluti ſui juris, amicis diſtribuit, ne qua deinde pars regni ſana eſſet.

Jamque furor, & ambitus, arma Lycogeni tantum non publicè in Regem induerant. Serò, & propemodum ſtrepente jam bello, excitatus Meleander, cœpit nominis ſui, & cauſæ propter quam purpuram accepit meminiſſe. Magnitudine animi nemini Regum inferior, acri ingenio, prudentiâ quoque eximius; & qui aliter capi non potuit quàm ſuâ bonitate: quæ dotes maximè in eo enituerunt, ex quo alienis vitiis ad ſuas virtutes coactus eſt. Quamquam tamen malè cogitare Lycogenem conſtabat, jus ſuum exequi in eum aliquandiu diſtulit. Satis viſum ſi occuparet conſilia hoſtis, & vires accideret. Sæpe quoque extorquere pœnitentiam ab ingrato ſeu ſperavit, ſeu meruit. At Lycogenes hoc ipſum indignatus, aliquem eſſe qui poſſet ignoſcere, palàm in eum eſt invectus. Animos maximè dabat, quòd Rex filiæ quam unicam habet, tantæ hereditatis fortunam deſtinat. Quis crederet? Archombrote. Eam rapere in violentum conjugium iſte adortus eſt. Arx eſt ad Alabi fluvii oſtium, in quâ Regis filia ſervabatur. Illuc furtim ſicarios immiſit qui puellam & Regem in his fortè munitionibus pernoctantem ad ſe perducerent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

cerent. Credidit Meleander [1] ope Palladis factum, ut inſidiæ in ſe filiamque, exitum non haberent. quippe graſſatores in ipſo facinore oppreſſi ſunt. Itaque omnibus grati animi ſignis remuneratus eſt deam. Nam & in nummis juſſit [2] noctuam effingi, & ſeu diis faciat, ſeu in conviviis remiſſio invitet, [3] non aliam quàm ex olea coronam capiti ſuo imponit. Illud quoque illuſtrius, quòd filiam, donec in matrimonium detur, Deæ aris præfecit. Videbis, Archombrote, [4] quoties nundinæ redeunt, Sacerdotii infulis cinctam, videbis [5] inter choros Sacerdotum virginumque operantem Numinis ſacris. At non tanta hæc in deos pietas bellum removit. Nam inexcuſabile Lycogenis crimen, non ſubita quidem, ſed ingens, & veluti matura defectio ſequuta eſt.

Is in titulum belli res publicas privatas & prætexens, nunc ſe inſontem ab Rege proditionis inſimulari querebatur; deſtinarique ſuppliciis; nunc populi injurias proclamabat diutiùs ferri non poſſe, & publicis armis coërcendam tyrannidem eorum qui Meleandrum ad ſæva conſilia agebant. Factione & clientibus valebat. Oloodemus, Eriſthenes, Menocritus, præcipuarum provinciarum

1 *Ope Palladis.*] Cujus bellicam fortitudinem Theocrine imitata fuerat, nocturnos graſſatores hoſtilibus armis invadendo. Erat autem Deæ ſimulachrum galea & ſcuto terribile, haſtam quaſi vibrans, unde ἀπὸ τοῦ πάλλειν, vibrare dicta eſt. Malunt alii à Pallante gigante interfecto.

2 *Noctuam effingi.*] Palladi noctuam ſacram eſſe voluere, quod ſapiens etiam abſtruſa dijudicat. Olim corniculam huic conſecratam eſſe, ſed propter nimiam loquacitatem locum ceſſiſſe noctuæ. Auctor eſt Ovid. 2. Metamorph.

3 *Non aliam quam ex olea, &c.*] Divæ Palladi facientes olea, cujus illa inventrix eſt, coronabantur. Mantuan.

Vimina pacificæ per templa legantur olivæ.

4 *Quoties nundinæ redeunt.*] Nundinæ paganorum feriæ habitæ ſunt: ut his qui nundinandi cauſa in urbem venerant, lites componendi, accipiendi leges facultas eſſet: quod ſacrum velut anniverſarium ſine piaculo nec prætermitti poterat nec ſupprimi. Plura habes capite duodecimo.

5 *Inter choros ſacerdotum virginumque.*] Ex 2. Metamorph. Ovid. ubi de Aglauro & Herſe, liquet Virgines Palladi ſacras Palladiique cuſtodes ſolitas eſſe Deæ operari, donec eſſent viro maturæ.

Ibat, eratque decus pompæ comitumque ſuarum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ciarum rectores cum eo conſenſerant. Multi levis animi vitio in Meleandrum acti ſunt; plures contribuere ſe rebellibus, capti diſſimulatione Lycogenis prementis vitia de more tyrannorum. Aderat ergo ſuperbus, pugnamque poſcebat. Neque Rex certamen detrectavit, & ipſe ingenti exercitu ſuccinctus. Decimus quintus dies eſt, ex quo non procul hinc [1] in Gelois pugnavimus campis. Acris acies fuit, non his languidiùs pro ſcelere, quàm nobis pro publicâ ſalute certantibus. Tandem imminente jam nocte, inclinavit ad Regem victoria. Et Lycogenes palantibus ſuis, receptui ſignum dedit, ut pro fugâ ſpecies eſſet militaris obſequii. Nec Meleandro conſilium fuit inſtare perculſis, ſive civili ſanguini parcebat contentus viciſſe, ſive noctem & inſidias verebatur. forſan & timuit, cùm Optimatum apud ſe præcipui faverent Lycogeni, ſuſpectarum manuum ſimulationem in extremam fugientis perniciem experiri. Quippe Lycogenes ſuos omnes ad aperta facinora non eduxit. Haud pauci ſunt circa Regem, lævis averſiſque animis, & illinc quidem militant, iſthinc favent. Sic infeſta omnia Meleandro; infidæ purpuratorum ſententiæ, conſilia ad hoſtem delata, neque domi quàm in campis periculoſiores inſidiæ. Itaque quamquam campum obtineret, quem pugnando hoſtes inſtiterant, tamen ad pacis conſilia animum adjecit. Nec victoriæ ſuæ fiſus, tanquam adhuc integro bello manſit in caſtris. Poſt privata hinc illincque commercia, Legati Lycogenis ad Regem perveniunt, [2] ſpecie impetrandæ occiſis ſepulturæ, re autem ut de fœderibus mentionem injicerent, quæ adeo fuit grata, ut illi ab hoſte Oratores timeri ſe rati, dicere pacis legem auderent victoribus. Equidem Meleandro quamcunque placere pacem exiſtimem;

1 *In Gelois campis.*] Quos fluvius Gelas alluit. De quo cap. I.

2 *Specie impetrandæ ſepulturæ.*] Æneidos libro II. Latini ab Ænea Victore poſtulant:

Corpora per campos ferro quæ fuſa jacebant
Redderet, ac tumulo ſineret ſuccedere terræ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

mem; ut illi qui jam ad Lycogenem coïerunt ictis fœderibus ſpargantur; ægrè in unum redituri. Ita novis artibus ſpatium erit, quo vel inter ſe commiſſos, vel conſeneſcente factione apud populum exoſos, impietas ſua perdat; aut certè exſatiati inquietudine rerum novarum, ipſi ſe ad reverentiam Majeſtatis à ſeditione recipiant. Ego pacem cum ſuperbis ac perduellibus, non probabam; præterea ætatis & generis timebam invidiam, ſi me juvenem externumque Rex (ut ſolet) tantis conſiliis adhibuiſſet. Siquidem juxtà tecum peregrinus ſum, Archombrote; nec me aliud Meleandri partibus junxit, quàm quòd illius calamitas omnibus gentibus abominandum exemplum eſt; quæ quietem nunquam agent, ſi vitiis Principis iraſci liceat, & inſidiari bonitati. Dum igitur inviſa fœdera peraguntur, hoc potiſſimùm tempus habui quo Agrigentum contenderem. Sum armorum telorumque ſtudioſus; nec alibi præſtantiora ſunt, quàm quæ illic [1] quidam ex Lipara hoſpes excudit.

CAPUT III.

ARGUMENTUM.

Injectâ mentione de Argenide, hanc à Poliarcho effliĉtim amari hoſpes advertit. Provectâ jam noĉte in ſomnum lapſos diſcurrentium ſtrepitus excitat. Conſurgunt attoniti, cultuque tumultuariè compoſito ædium culmen ſuperant, ex quo proſpectus facilis fuit in ignes qui emicabant ex montibus. Emiſſo ſervo cauſam jubent explorari. Interim rogantibus quis ille mos Siculis, Timoclea qua ratione iſtæ faces negotii publici & à publico procurandi ſignum dent, fuſè declarat.

AVIDE Poliarchi orationem Archombrotus exceperat, favenſque partibus Meleandri, cùm acriter in factioſos dixiſſet; Regis autem filia, Poliarche, quam hic latro ſibi in prædam deſtinaverat, inquit, quibus annis ſit, dicere placet? Equidem inter rara pulchritudinis & morum exempla eam eſſe, ſæpe in Africâ audivi, appellarique

1 *Quidam ex Lipara hoſpes excidit.*] In hiſce Æoliis inſulis vigebat ars fabrilis teſte Plinio, Solino, &c.

larique Argenidem. Ad hæc verba oculis Poliarchi modico tremore errantibus, ne valida quidem verba, aut intrepida fuerunt; ſtrictimque eam retulit ad annos viginti perveniſſe. Nec latuit Archombrotum tam ſubita in Poliarcho mutatio; ingenſque deſiderium ſubiit, deprehendendi quænam illa tempeſtas in ejus vultum inundaviſſet. Igitur ut experimentum caperet, an regiæ virginis oblata memoria, an verò occulta vis rei alterius ſuggeſſiſſet hos motus, nonnulla de Lycogene diſputavit, deque fœderibus quæ tunc publicè agitabantur: & ut omiſſo frontis horrore, ſatis Poliarchum conſtare ſibi vidit, revocato ad Argenidem ſermone, de puellæ ſpecie & ſtudiis intentiùs quæſivit. Sed neque ad ſecundum hoc fulmen ille conſtantior, paucis ſe ab trepida narratione expediit. Ab Archombroto deinde rogatus de amicis Meleandri, & per quos ſtaret regnum; Non adeò, inquit, fata deſpexêre Siciliam, ut nulli ſint ſuo gradu & amicitiâ Regis digni. Inter illos, Archrombote, eminet Cleobulus conſiliorum prudentiâ eximius, Eurymedes quoque, & Arſidas inclyti bello, nec deteriores ingeniis. Sunt præterea duo externi, de Sacerdotum cœtu qui purpuram geſtant, amiciſſimi Siciliæ, Ibburranes, atque Dunalbius, quorum nunc operâ maximè Rex eſt uſus, ne indecorè cum Lycogene paciſci videretur. Poſſem & alios referre, quorum fidem in regem nulla vis tempeſtatis libavit. Hos facilè ubi in hac Regiâ aliquandiu vixeris, famâ atque virtutibus ab cæteris ipſe ſecernes.

Jam provecta nox erat, & quies neceſſaria fatigatis; itaque veluti conveniſſet, loqui ambo deſierunt. Necdum tamen curæ ſecretæ in illo vigilandi dormiendique confinio anxias mentes reliquerant. Archombrotum ingens imago oberrabat paulò antè auditi diſcriminis; nec gravius quicquam erat quàm ad pacem res ſpectare. Quando enim verſaretur in acie? quo campo, quo telo, ſuum animum & virtutem approbaret Meleandro? Præterea,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tacito ſecum riſu volvebat, quòd ad pugnas omnemque fortunam tam alacer Poliarchus, ad virginis nomen obſtupuiſſet; huic enim, præter virtutem & animum, nihil ad tantarum nuptiarum ſpem à fortunâ aut genere datum credebet. Quòd ſi, inquiebat, Argenidem Rege natam privatus iſte amat, quis dubitet omnium diſcriminum in amando perire memoriam? & magna audere amatores, & imis eximi vilitatem cùm amantur? Neque minùs Poliarchum arcanis intentum conſiliis ſpes ac terror multiplici cogitatione ſuſpenderant. Tandem in ſomnum uterque labebatur; cùm paulatim diſcurrentium hominum fremitus totâ domo percrebuit. Neque mora, aſtitere à Timocleâ ſervi ad hoſpitum fores, qui eam ad ipſos venire admonerent. Conſurgunt attoniti, primo ſopore utique graves, quo diſcuſſo cultuque tumultuariè compoſito, occurerunt Timocleæ: quæ poſtquam excuſavit, quòd hoc noctis fatigatos inquietaſſet, Magna, inquit, res eſt, ô hoſpites; & eô terribilior, quòd per has tenebras quid ſit, incertum eſt. [1] Collucent in camporum tumulis publici ignes, quos nefas accendi, niſi regio juſſu, & cùm gerendis rebus celeritatem ſalus publica imponit. His dictis, in ædium culmen utrumque perducit. Plumbum non in acumen faſtigii ductum; ſed leniter, & ad ambulationis voluptatem accumbens, oneraverat tectum. Nec ſtipatum nebulis erat cœlum; aberatque tunc Luna, quæ ſæpe incendiorum nitorem procul cerni fulgore ſuo vetat. Ex hoc ergo ſolario, ſudâ in nocte, proſpectus facilis fuit in ignes, qui undiquaque emicabant ex montibus. Neque diu in ea contemplatione hæſerant, cùm hominum fremitus cœpit audiri, ex vicinis domibus, oppidoque, quod procul non aberat, per ipſum noctis ſilentium

1 *Collucent in camporum tumulis publici ignes.*] De his ignibus ſic Apuleius, *Per vices incenſæ faces ex omnibus Regni ſublimibus locis uno die ſignificabant quid eſſet opus.* Et 2. Commentar. Cæſaris, *Celeriter ut ante imperaverat ignibus ſignificatione facta, ex proximis caſtellis eo concurſum eſt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

lentium ad vacuas utique aures horridiùs allabens. Jubebant hoſpites diligentes obſerari ædium fores, ne qui prædones nocturno tumultu uterentur ad facinus: ſed Timoclea, quidquid hoc eſſet tam publicis celebratum tranſmiſſumque indiciis, ajebat nimis maturè cognoſci non poſſe. Phthinthiam in proximo oppidum eſſe. Si placeret hoſpitibus, per unum ex ſervulis ſuis quid illic ſentirent homines, poſſe intelligi. Laudato mulieris conſilio deſcenderunt ad fores, ſervoque emiſſo imperant explorare conſternationis materiem, nec cunctanter referre quæ audiret. In triclinium interim turbati ſuccedunt; ſuſcitatoque foco, cùm matrona ipſis media conſediſſet, interrogant, quis ille mos Siculis, quæve omnino nocturnorum ignium utilitas eſſet. Nam &, inquit Poliarchus, plus jam anno in Siciliâ vixi, & nunc primùm illos aſpicio. At Timoclea, Num tu verò in cujuſque collis jugo arborem non vidiſti in longitudinem mali defixam; cujus apex, in caveæ modum, ferro undique per radios præcingente laxatur? Annuente Poliarcho; Hæ ſunt, inquit, publicæ arbores, ad idipſum conſtitutæ, ut ad Regis imperium impoſitis in vertice facibus negotii ſignum dent, quod illico oporteat per populum procurari. Et hos [1] ignes Angaros vocant. Qui primi illos conſpiciunt, ſtatim & ipſi ſuorum montium juga pari fulgore illuſtrant, & ab his porrò admonentur qui longiùs colunt; donec totam inſulam flamma mirabili celeritate percurrerit. Populus interim in armis ſtat, ad obſequium cui deſtinatur paratus. Et haud mora à Rege nuncius pervadit in proximam urbem, publiceque quid ille fieri velit enunciat. Inde cives recentibus equis deferuntur in proxima oppida; à quibus & in alias urbes eadem celeritatis fides exigitur. Ita continuatis officiis Sicilia ad Principis nutum penè mo-

1 *Ignes Angaros.*] Angari Perſica voce ſunt Regum nuncii, unde ἀγγαρεύω, id eſt, cogo ad officium præſtandum. Atque hanc vocem noſter Author ad publicos ignes metaphoricè tranſtulit.

1 *Cum*

nè momento erecta eſt. Neque temerè hos ignes excitamus. Semel antea illos vidi, [1] cùm ſicarii ſolum Regem aggreſſi hoc modo quærerentur. Dii faxint, ne nunc cauſâ triſtiori, & in peractum ſcelus accenſi ſint. Adhuc non probabat Poliarchus rationem, ſubridenſque, Expectabam ô matrona, ut hunc morem ab antiquiſſimâ [2] facum religione deduceres, quas in veſtræ Ætnæ vaporibus orba Ceres accendit. Quid autem in publicum commodum hic tumultus? aut quid Principis intereſt res ſuas nocturnâ trepidatione potiùs quàm diurnis miniſteriis agi? Sed matrona; non prorſus, Poliarche, huic inſtituto utilitas abeſt; maximè cùm hoſtium claſſis furtim in Inſulam timetur appulſura. Nam qui portubus præſident, iſtâ flammâ admoniti, tum catenas ſuis clauſtris objiciunt, tum in tranſtris remiges habent, ſi opus eſt, navigia in pugnam provecturos. Sed & populus ſub ſuis ducibus, tribuniſque à ſignis non recedit, ut nec ſi fefellerit in litore hoſtis, in imparatam Inſulam poſſit invadere. Eſt & alius publicorum ignium uſus; ſi quis reus quem publicè interſit ulciſci, vel fugam extra Siciliam adornat; vel in ipſâ regione, amicorum aut montium fide contegitur. Nam his ignibus ſemel accenſis, nefas eſt ullam ex Silicia navem ſolvere; & quiſquis ſuâ domo communicaverit reum, hunc eodem crimine pœnaque leges cenſent.

Ab his Timocleæ ſermonibus diverterunt in alios, quærebantque inter ſe, quid potiſſimum crederent huic conſternationi cauſam dediſſe. Poliarchus ultima omnia verebatur. In Lycogene nihil fidum: Patêre Meleandrum inſidiis, tum corruptis ſuorum ingeniis, tum ſui animi

1 *Cum ſicarii ſolum Regem aggreſſi.*] In Arce, ubi pernoctans Meleander à ſicariis circumventus eſt, & à Theocrine ſervatus.

2 *Facum religione quas in Ætnæ vaporibus orba Ceres accendit.*] Hæc cum Proſerpinam ſuam, quam Orcus rapuerat, quærendo, univerſum terrarum Orbem perluſtraſſet, facibus in Ætna monte accenſis; ad hujuſce rei memoriam Siculi per noctem, accenſis facibus, Perſephonem vocitantes diſcurrebant. Hæc ſacra & Eleuſina & Theſmophoria dicta ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

animi magnitudine juſtos metus averſante: dumque viciſſim civilis belli incommoda loquuntur, Timoclea, hoſpitibus hos verſus porrexit; quos amicitiâ Regis, ſtudioque literarum notiſſimus Nicopompus in Lycogenem condiderat; libero furore execratus, quòd ille & ſceptrum Meleandri, & Argendis nuptias, concupiiſſet.

Quæ terris funeſta lues! ô fœdera mundi!
O Sceptra! ô Regum cognata potentia cœlo!
Quæ tantum inſanas voluit dementia gentes!
Scilicet ut veſtrâ ſedeant cervice tyranni,
Ah miſeri! juſtos amor eſt [1] *evertere faſces*
In dominos ſævire juvat; jus, fáſque, piumque
Occidit, & cæcam [2] *nil purpura tardat Erinnym.*
[3] *Qualiter irato fudit cùm ſæva* [4] *Gigantes*
Terra ſinu, tumidiſque procul monſtravit Olympum;
Illi acres ſubiere nefas, [5] *humilemque per Oſſam*
Speravere polos, donec [6] *lucente procellâ,*
Reddidit injuſtæ fulmen ſua corpora matri.
[7] *At tu, quem furiæ, ceu primum à fronte Ceraſten*
Attol-

1 *Evertere faſces.*] E ſolio deturbare Reges. Metonym. Faſces enim inſignia ſunt Romanorum principum, eoſque lictores Regibus, Conſulibus, &c. præferebant.

2 *Nil purpura tardat Erinnym.*] Regia dignitas furorem Tyranni non frænat. *Erinnys* furia dicta ἀπὸ τοῦ ἐρρεῖν τὸν νοῦν.

3 *Qualiter irato, &c.*] De Gigantomachia fuſe Claud. & Ovid. 1. & 5. Metamorph. Sic ille,

Neve foret terris ſecurior arduus æther,
Affectaſſe ferunt regnum cœleſte Gigantes.

4 *Gigantes Terra ſinu.*] Dicuntur enim ex terra matre progeniti, imbuta Titanum profligatorum à Diis cruore.

5 *Humilemque per Oſſam.*] Montem in finibus Theſſaliæ, de quo Metamorph. 1.

—— ſubjecit Pelion Oſſæ.

6 *Lucente procella, Reddidit injuſtæ, &c.*] Excuſſo Jovis fulmine Gigantes ſub terram detruſi ſunt, quæ *injuſta mater* hic appellatur, quia natos in cœlum armavit. Metamorph. 1.

Jamque erat in totas ſparſurus fulmina terras, &c.

7 *At tu, quem furiæ, ceu primum à fronte Ceraſten Attollunt.*] Ceraſtes ſerpens eſt cornutus; nam κέρας, id eſt, cornu. Furiis autem angues ſunt pro crinibus: unde Ovid. 4. Metamorphoſeôn:

Cæſariem excuſſit, motæ ſonuère colubræ.

Et infra:

—— duos mediis abrumpit crinibus angues.

Id eſt, à fronte avulſit. Senſus: Tu Lycogenes ſimilis es ſerpenti cornuto, qui in fronte alicujus Eumenidis erigitur, tu primus es anguium in fronte jacentium, id eſt, primus & dux factioſorum.

1 *Sceptrum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Attollunt, miſeris ſignum exitiabile terris,
Tu regni turbare decus, tu turpibus auſis
Aggreſſus [1] *ſceptrumque patris,* [2] *gnatæque beata*
Connubia; [3] *ô impar, furiiſque Ixionis ardens,*
Et tantùm amplexus vacuæ ludibria nubis!
Quas pœnas veſane dabis? quo funere raptus
Horrida Tartarei [4] *metues ad verba tyranni?*
[5] *An cita præcipiti vinctum rota differet orbe?*
[6] *Vel jecori procumbet avis?* [7] *vel fulmine tactum*
Ætna capax monſtri, rapidos quà plurimus ignes
Egerit Enceladus, crepitantibus hauriet antris?
[8] *Sol pater, armentis ſi pabula grata* [9] *Pelorus*
Educat

1 *Sceptrumque patris.*] Meleandri Siciliæ Regis, Patris Argenidis.

2 *Gnatæque.*] Argenidis Meleandri filiæ, & unicæ hæredis.

3 *O impar, furiiſque Ixionis ardens, Et tantùm amplexus vacuæ ludibria nubis.*] Tam impar Lycogenes Argenidi, quam impar Ixion Junoni, cujus amplexus cum temere ambiiſſet, ſuppoſitam ab Jove nubem pro Dea amplexus eſt, unde nati Centauri nubi velocitate pares.

4 *Metues ad verba Tyranni.*] Seu Plutonis, qui principem inter judices Erebi locum tenet; ſeu ipſorum judicum Minois, Æaci, & Rhadamanti, quorum intereſt cuique merita ſupplicia irrogare.

5 *An cita præcipiti vinctum rota differet orbe?*] An rota perennis cum Ixione te diſtrahet. Vel differetne rota Ixionis vincti ſupplicium, ut incumbat tuo. Iſte Ixion cum ſuum cum Junone concubitum jactaviſſet, indignatus Jupiter hunc fulmine detruſit in Orcum, ubi perenni rota diſcruciatur, inquit Ovid. l. 4. Metam.

Volvitur Ixion, & ſe ſequiturque fugitque.

6 *Vel jecori procumbet avis.*] Vel ceſſabit vultur rodere Tytii jecur, quod renaſcente Lunâ renaſcitur; eo quod vim Latonæ inferre conatus eſſet. Vel alia tuo jecori incumbet avis ſimilis, ut parem pœnam luas, qui paris culpæ reus es? inde Petron. Satyr.

Cui vultur intimum jecur pererrat
Et pectus trahit intimaſque fibras.

Et Ovid. l. 4.

Viſcera præbebat Tytios lanianda novemque
Jugeribus diſtentus erat. ——

7 *Vel fulmine tactum Ætna.*] Eodem cruciandum ſupplicio, ſub Ætnâ Siciliæ monte, quo Enceladus, qui fumum & ignes eructat (tanta eſt ſupplicii atrocitas) nam hunc Gigantum omnium longe maximum, eo quod adverſus Jovem conjuraſſet, ipſe fulmine ictum Ætnæ monti ſupponit, inquit Virgilius Æneid. 3.

Fama eſt Enceladi ſemiuſtum fulmine corpus
Urgenti mole hac, ingentemque inſuper Ætnam
Impoſitam. ——

8 *Sol pater, armentis.*] Ad illud alludit, quod in Odyſſea legitur de gregibus Solis patris, quos Phaëtuſa aliæque Solis filiæ, paſcebant in Peloro Siciliæ promontorio. Hic invocantur numina Siciliæ.

9 *Pelorus.*] Unum ex tribus Siciliæ promontoriis, pabulis fertile, hodie *Cabo de la terre del Faro.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Educat alme tuis, ſeptiſque fidelibus ambit;
[1] *Tuque Erycis victor*, [2] *tuque ô Erycina*, [3] *Cereſque*,
Voſque dii [4] *indigenæ*, *quæque* [5] *hoſpita Numina ritè*
[6] *Trinacrii caſto placamus thure coloni;*
Ferte piis vires; nec ſit violabile Regum
Numen, ut & tutus veſtris honor excubet aris.

CAPUT IV.

ARGUMENTUM.

Servus ubi rediit, nuntiat Poliarchum ad capitale ſupplicium quæri. Suadet Timoclea ſimulato diſceſſu hunc in abdito ſub ædibus ſpecu latere. Poliarchus conſilium probat, ſalutatque in ſpeciem longioris diſceſſus Archombrotum atque Timocleam.

ERANT in illâ lectione, cùm nunciatum eſt rediiſſe Timocleæ ſervum. Omnes ergo ſuſpenſis animis circumſtant intrantem. Nec diutiùs poterant dubitare, & interrogare trementem non audebant. Neque is ratus quod afferebat coram hoſpitibus evulgandum, ſevocat Timocleam, delatoque indicio, cum ſtupente pauliſper muliere, & ipſe videbatur obriguiſſe. Tandem Timoclea, ut maximè ſubitis conſiliis mulier valebat, manu prehenſum, ne cum cæterâ colloqueretur familiâ, in interiorem

teriorem

1 *Tuque Erycis victor.*] Hercules, qui Erycem filium Veneris provocatus ad ceſtuum certamen ſuperatum interemit; Syracuſanis Herculem promptum numen & maximi cultus fuiſſe ferunt, quod ope Proſerpinæ Cerberum inferis eduxiſſe diceretur.

2 *Tuque ô Erycina.*] Venus, quæ in Eryce monte, ubi filius ejus Eryx ſepultus eſt, à Siculis colebatur. Templum & montem deſcribit Polybius lib. 1. & Strabo in 6. de quo ſic Virgilius:

—— Vicina aſtris Erycino in vertice ſedes
Fundatur Veneri. ——

3 *Cereſque.*] Cui ſacra fuit Sicilia, vel ob fertilitatem; erat enim frumenti adeo ferax, ut non immerito *Romani imperii horreum* fuerit appellata, ſive quod ibi imperaſſet.

4 *Indigenæ.*] Ut Proſerpina, Alphæus, Arethuſa, &c. quaſi inde geniti, ex Siciliâ ſcilicet.

5 *Hoſpita numina.*] Ut Pluto, ſeu Orcus, & cæteri, qui in Siciliam appulerunt hoſpitioque excepti ſunt.

6 *Trinacrii.*] Siculi ſic dicti ἀπὸ τῶν τριῶν ἀκρῶν, à tribus promontoriis, Peloro, Pachino, Lilybæo. Nam Ovid. 13. Metamorph.

--- tribus hæc excurrit in æquora linguis,
E quibus imbriferos verſa eſt Pachinus ad Auſtros:
Mollibus expoſitum Zephyris Lilybæum: ad Arctos
Æquoris expertes ſpectat, Boreamq; Pelorus.

1 Per-

teriorem thalamum rapit, monitiſque ut ſequerentur hoſpitibus, oſtium tremens adducit; & jubet palàm ſervum quæ audiſſet nunciare. At ille, Vix in oppidum perveneram, (inquit) cùm plerique occurrerunt, ut in tumultibus ſolet, nec ipſi quò irent ſatis certi. In omnium foribus micabat lucerna, diviſique in coronas haud modicâ admiratione marcebant; cùm me ad proximum cœtum applicuiſſem, audio Poliarchum [1] perduellionis reum eſſe, & ad capitale ſupplicium quæri; in hanc quæſtionem publicè ignes accenſos. Ego errorem nominis veritus, quod in multos cadere poteſt, curiosè quæſivi quis ille Poliarchus, & quo facinore damnaretur. Vox omnium fuit, Poliarchum eum eſſe, qui plùs anno in Siciliâ, hoſpes, armis, & amicitiâ Regis inclytus fuiſſet. De crimine neminem eorum ſatis ſcire. A Rege damnatum; & quidem diligentiſſimè veſtigari. Ab hoc cœtu digreſſus ad alium, eadem rurſus accipio; & cùm nemo ſuo diſſenſu incertum rumorem faceret, rem ſatis exploratam nunciare non diſtuli.

His auditis, Archombrotus, ſimulque Timoclea, in Poliarchum contemplationem injiciunt. Pallens ille ac tremens, non ut conſcio metu, ſed indignatione periculi, nec contumeliam ferente virtute, identidem à ſervo requirebat, an vera & comperta memoraret; & Matronâ, ſatiſne compos animi eſſet is ſervus. Nec ſeciùs quàm inani ſomnio præcinctus agebatur. Vocem deinde aliquandiu tenuit; ne in tanto animi tumultu quicquam excideret in fortunam aut Regem indignum. Sed tanta res, domuſque incertum an ſat fida, cunctationem non ferebant. Manum igitur atque oculos attollens in cœlum; Vos, inquit, Dii Siciliæ, & quotquot præterea Superi jus faſque conſer-

1 *Perduellionis reum eſſe.*] Graviſſimum inter majeſtatis crimina eſt crimen perduellionis, & ſub illo tamquam ſpecies ſub genere continetur; eſt autem perduellio hoſtiliter adverſus Rempublicam vel principem animatum eſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

conſervatis; [1] Vos Genii, Lareſque Meleandri, qui me hoſpitem excepiſtis, obteſtor, ac veneror, ut ſi quid in Regem remve publicam Siculorum offendi, ſi ope, manu, conſilio violavi fidem hoſpitii, aut omnino traduci commerui hac publicæ quæſtionis infamiâ, tum me inter inimicorum manus atque ludibria quàm poteſt funeſtiſſimo exitu conficiatis. Sin omnia contuli ad ſalutem imperii, inundatque hæc in inſontem invidioſa calamitas; date, ô dii, ſaltem ut Regi populoque purgatus, tutò ab Inſulâ excedam, liceatque non fœdam aut ignobilem mei memoriam in hac gente relinquere. Te verò, Matrona, in communionem periculi non voco. Hoc ipſo noctis concubio recedam in agros, meæ fortunæ contagione tuas ædes liberaturus. Fremebat interim Archombrotus; & adeò unius diei amicitia valuerat, ut extrema omnia Poliarcho polliceretur. Ex vultu impetuque, & loquendi ratione, utri hoc periculum eſſet neſcires; niſi quòd adhuc licentiùs Archombrotus videbatur iraſci. Sed matrona ſic quaſi ſervuli indicio fidem non haberet, diſſimulans, alios qui referrent certiora ſe protinus legaturam dicebat. Subſiſtere tamen in triclinio ſervum jubet, hoſpiteſque extra illius conſpectum in proximum conclave ad conſilium ducit.

Illic verò non diutiùs gemitus tenens, deflebat fortunas Poliarchi. Neque ſe enim de illius innocentiâ, ſed neque de Regis iracundiâ dubitare. Quippe ſagaciſſimum ſervum niſi fideliter exacta renunciare non auſum. Se quidem ſuam domum, opeſque offerre Poliarcho, iis ipſe quà poſſet ad ſalutem uteretur. Sed quid, inquit, hæc tecta, aut tua Archombrote ſocrietas, poſſit in Regem?
Jam

1 *Vos Genii, Lareſque*] Jurisjurandi formula, qua Deos domeſticos, Genioſque præſtites innocentiæ ſuæ teſtes Poliarchus invocat, ante quorum aras hoſpitii fœdus icerat. *Lares* autem ſunt Dii domeſtici; *Genii* vero, qui genitis committebantur. Unde Tibull.

Ipſe ſuos adſit Genius viſurus honores.

Genios adeſſe regnis & Regibus Auguſt. apud Feſtum Pomp. docet.

Jam aderit miles armatus, jam ædes aut apertæ nos prodent, aut obrutæ in nos ruent. Nam nec ſperari poteſt toti familiæ integram fidem fore, nullumque ſervorum, ſi hîc clàm hæſeris, Poliarche, noſtri furti ſecreta temeraturum. Scitis quid inter tam ſubitos metus ſuccurrerit? Latens iter, & præter me hodie nemini notum, effoderunt ſub terra qui has ædes condidere. Id triplici errore diſſectum totidem oſtia habet, quibus in varios campos erumpit. Illic facillimè potes tegi, Poliarche, ſubducique diſcrimini. Simula modò te atroci rumore perterritum à me abire, ut ambo defungamur periculo; nec aut tu tanquam nocens, aut ego receptatrix, invidioſo tumultu obruamur. Cùm verò limine exceſſeris, continuus arborum ordo, qui à meis foribus ad Himæram eſt, eò te ducet, unde non procul fluminis ripâ arcanus in promiſſam ſpeluncam eſt aditus. Ego nemine familiarium conſcio per domeſticas latebras cum face in eandem fluminis viciniam evadam. Exceptum deinde in hæc antra ope deorum ſervabimus, dum tempeſtas exſæviat. Hoc ſecretum Archombrotus ignorare non debuit; & ea indole violare non poterit. Libertum quem unum hîc habes, id celari magnopere intereſt, ne timoris tædio, aut præmiorum fiduciâ, mutetur. Poliarchus in gratias ad Timocleam effuſus, id verò conſilium in eam noctem probari ſibi dixit. Neque enim in ſpeluncâ hæſurum, niſi ut certò intelligat quæ hæ larvæ Siciliam in ſe agant. Exploratæ fidei libertum, ab ultimorum ſecretorum notitiâ arceri non poſſe. Nam & ejus miniſteria in illâ tempeſtate potiſſimùm exigi. Ab Archombroto non petendum, ut tantam rem ſilentio premat. Dignum ſe pejori calamitate fore, ſi de illius fide auderet dubitare. In hæc verba de triclinio excedunt: juſtiſque mox armis, ceu pugnam capeſſeret, inſignis Poliarchus, procedit ad Timocleæ fores. Illic ſtupenti familiæ, & quæ hæc rerum mutatio eſſet furtim quærenti, paucis exponit, denunciatum ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

periculum illis ignibus quos videbant. Se igitur fugere, ne aut ab his ipſum prodi neceſſe ſit, aut cum ipſo hos perire. Salutavit deinde in ſpeciem longioris diſceſsûs Archombrotum atque Timocleam; conſcenditque in equum, & liberto veſtigiis hærente in præſcriptum à muliere iter ſe conjecit.

Periculi immanitas, & propemodum pudor, ſtimulatum juvenem angebat. &, ô me veſanum, Gelanore (ita libertum appellabat) quòd ulli mortalium poteſtatem fecerim in hoc caput! Quid attinebat ignotum, nec [1] cultu ad meam ſortem idoneo, in hac gente errare? [2] Aut quid fabulæ aliud docent, quæ Lycaonem ad Jovis hoſpitis jugulum nobis effingunt; quàm Principes qui inſperato exitu luunt quòd ſe externis crediderint, non magis alieno ſcelere quàm ſuâ ſtultitiâ violari? Volui patêre injuriis. Bene eſt: lædor ex merito, Gelanore. Hæc ipſa dum loquitur, [3] ſubit memoriam cauſa quæ eum in Sicilia tenebat; cujus veneratione illico motus, timuit ne pro tantæ ſpei fœlicitate, in quam illic vivebat, ſceleratè doluiſſet de oblato diſcrimine. Gelanorus fidiſſimo metu in domini periculo turbatus, cenſebat debere Poliarchum genus ſuum & fortunas omiſsâ ſimulatione detegere. Nam ſi ſibi perſonam detraheret, ſi ſe ad faſtigium ſuum reciperet, ſponte excuſaturum Meleandrum acerbiora judicia, hoſteſque veniam petituros. Nihil ſapis, retulit Poliarchus. Poſt acceptam injuriam maximè intereſt me celari; dignitatis meæ reverentia pejùs fortè accenderet cogitantes poſſe me læſum dimitti ſemel tantùm; at ſemper meminiſſe injuriæ. Nihil referebat Gelanorus, ſententiæ incer-

1 *Cultu ad meam ſortem idoneo.*] Rex enim erat Poliarchus, ſed tunc in privato habitu degebat in Sicilia.

2 *Aut quid fabulæ aliud docent, &c.*] Fabula Lycaonis, qui jugulo Jovis ad ſe divertentis inſidiatus eſt, fusè deſcribitur, l. 1. Metamorph. ἐπιμύθιον, ſeu applicatio fabulæ Poliarcho, qui ſe externis crediderat etiam cum diſcrimine capitis.

3 *Subit memoriam cauſa, quæ eum in Sicilia tenebat.*] Erat Argenis, cujus amore flagrans inter tot diſcrimina in Sicilia degebat.

1 *Sua*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

incertus, & aſtra, quæcunque tunc micabant, in opem, & mentem, ſibi atque patrono, inter ſilentium compellans.

Interim Timoclea munitis foribus, familiares jubebat ſecedere ad quietem: nolle ſe quicquam nocte turbari; ortâ luce omnia diligentiùs exploraturos. Obire deinde ſingulorum cellas cœpit, tanquam domeſticis curis intenta, reverâ ne quis rebus quas furtim agitabat moleſtus inſpector accederet. Ubi acquieſcentibus univerſis, tuta res viſa, intrat exiguam cum Archombroto cellam, in quâ ſecretum effoſſæ ſpeluncæ aditum peritus artifex abdiderat. Stratus erat aſſeribus locus, quorum inter ſe oræ clavis inſertis nectebantur; niſi quòd duos ex iis nullum ferrum cæteris commiſerat; ut faciles eſſent, ſi quis hos vellet ab ſimulatâ compage revellere. Supra illos oblonga ſtabat menſa, vetabatque calcari; ne quoniam aliis non hærebant, ad perambulantium quaterentur veſtigia, proderentque ſecretum. Pauciſſimos illuc intrare ferebat Timoclea; ipſa raro locum viſebat. Tunc verò ſublatis aſſeribus ſpecum aperuit, graduſque in imum ædium ducentes: mox concuſſi ſilicis ignem ſulphurato excipiens, præparatam facem accendit; viamque auſpicatur cum lumine. Sequebatur Archombrotus, [1] ſuâ & mulieris causâ nudum enſem manu tenens. Gradus ad viginti erant, per quos ſubibatur ſubterranea porticus, quæ in longum porrecta abibat denique in varios calles; ne poſſeſſo ab hoſtibus uno ore, obſtrui poſſet fugiendi utilitas. Terra huic operi apta fuerat; quippe adeò ſpiſſa, ut quà ſtare illam velles, cætera quæ egerebantur nulla ruina ſequeretur; rurſuſ-

1 *Sua & mulieris cauſa nudum enſem manu tenens.*] Æſtimabant priſci nudo enſe ſubmoveri umbras. Ita Ulyſſes in Odyſſea, & Æneas in 6. Æneidos iter ad inferos carpens:

Tuq; invade viam vaginaque eripe ferrum.

Et infra:

Corripit hic ſubitò trepidus formidine ferrum
Æneas, ſtrictamque aciem venientibus offert.

Platonici & inter Chriſtianos etiam nonnulli aërea corpora Dæmonibus ineſſe exiſtimant. Unde Poëta apud Homerum eos ſignificat intenta ferri acie terreri, quaſi poſſint vulnerari; aërium enim corpus acie ferri facile diſſipatur.

rurſuſque non difficilis accipiendis foſſorum ictibus, quos nec objectis ſaxis interpellabat, nec cedente arenâ fruſtrabatur. Longus ille, & arcuato opere continuus fornix, quamquam arva & incumbentem domum ferret, adhuc tot annis vitium non fecerat. In aditu modicum ſpatium calce liniverant, ut picturâ & literis imbueretur. Sed piger, nec ſolutus ſyderum luce aër, gravi humore imagines corruperat. Adhuc tamen cerneres effigiem aræ hominiſque imponentis ſimulata thura in focum, propter cujus verticem ejuſmodi verſus utcunque legebantur:

Dî quos ſub vacuâ fas eſt tellure precari;
Seu Jovis hîc regnum eſt, ſeu Ditem hæc antra verentur,
[1] Seu qui cæruleis incinctum continet Orbem
Fluctibus, hîc [2] trifidi poſuit fundamina ſceptri;
Has precor ô fidas dominis ſervate latebras.
Non iſtam fraudes ſcelerent, non turpia noctem
Furta, nec attonitâ radians face [3] triſtis Enyo
Terreat, aut diræ vanis [4] ſtridoribus umbræ.
Sit pacata quies, ſint ſancta ſilentia rebus,
Donec caſta domus, nec parci grata nepotes
Thura ferent vobis. Hîc ſontibus incubet horror,
Hîc Erebus; placidaſque bonis mulcete tenebras.

CAPUT

1 *Seu qui cæruleis, &c.*] Seu locus iſte Neptuno ſacer eſt.

2 *Trifidi ſceptri.*] Per *trifidum ſceptrum*, id eſt, tridentem, imperium pelagi intelligit Hieroglyphicòs. Virgil. Æneid. 1.

Non illi imperium pelagi ſævumque tridentem,
Sed mihi ſorte datum. ——

3 *Triſtis Enyo.*] Pro furiâ impropriè ſumitur, nam propriè Bellona eſt. Martial. lib. 1.

Nec te decipiat ratibus navalis Enyo.

4 *Stridoribus umbræ.*] Finguntur umbræ à Virg. l. 6. Æneid. volitare & ſtridere more apum:

Centum errant annos, volitantque hæc littora circum,
Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reviſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT V.

ARGUMENTUM.

Dum Archombrotus, & Timoclea in ſpecum per ſecretos aditus pervadunt, de gratioſis in aulâ & Regum familiaribus ſermonem haud perfunctorium faciunt.

HÆc raptim legebat Archombrotus; ſed gravior de Poliarcho cura à loci contemplatione mentem reduxit. Timoclea percunctantem docebat, quamquam Poliarchus erat externus, neminem fuiſſe Siculorum propiori amicitiæ gradu Regi admotum; neque bonos invidiſſe. Sed neſcio quod hodie fatum, inquit, deſævit in illos qui Regibus fuere chariſſimi. Ita eſt, retulit Archombrotus; [1] hic cometes paucis annis quas aulas non perſtrinxit? At Timoclea, Verùm, Archombrote, cæteris omnibus ruinæ ſuæ cauſa, vel in ſe, vel in dominis fuit. Iſtum tantæ virtutis, ſub moderatiſſimo Rege, quis caſus afflixit? Retulerisne ad exemplum Lydios conjuges, qui nuper in gente externâ impotentis fœlicitatis pœnas dederunt; hic ad regium limen, in ſuo ſanguine fuſus, illa ex carcere ad lictoris ferrum educta? Notiſſima refero, Archombrote. Sed quid ea in ſcena ſimile Poliarcho? nihil illis ad regnum deerat, præter nomen & purpuram. aſpernabantur pares eſſe gentilibus, nec qua virtute tantum ſupercilium tollerent, habebant. Teneros quoque annos cæci calcabant, illius qui hæc bona & aſſerere verè poterat, & fortiter ſuſtulit in rudimentum poteſtatis. At Poliarchus, non libavit regiam gazam: non præſidiis, non caſtellis fundabat ſuas vires. Apparebat denique inſtar Solis hanc virtutem in tranſcurſu lucere Siciliæ. Longè aliter iſti Lydi, & (haud abſimile fortunæ ludibrium) par aliud conjugum ex Phry-

1 H*Ic Cometes.*] Hoc malum. cauſa pro effectu. Cum fulget Cometes in æthere longa volumina trahens, ſi Solis geminatur orbis, ſi idem Sol deficit, ſi Luna laborat, ſolemne, mala, peſtes, bella præſagire. Cometeſque creditur cauſam dare malis; hic autem damnat invidiam erga eos qui Regibus gratioſi ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ex Phrygiâ. Nempe illi ſubjicit Archombrotus, quos nuper ex regiæ penetrali, in quâ omnia poterant, veneficii crimen mittebat ad laqueum, niſi Princeps adhuc memor amaſſe, carcerem damnatis munus dediſſet. Ita eſt, inquit Timoclea. Scis igitur quàm multum peccaverint, ipſe quidem tanquam immemor primæ ſortis, & à multis amari dedignatus; illa invidiam non verita abdicati conjugii quod primum erat nacta: uterque autem [1] averſæ Junoni non litans, ignaruſque ſuum quoque [2] deabus fulmen eſſe.

Miraremur hæc, matrona (ait Archombrotus) niſi crebræ humanarum rerum vices penè omnium rerum admirationem ſuſtuliſſent. Cerne Aquilii aulam, cerne Hippophili. Quid Procerum primos juvit poſt exhauſtum immenſæ potentiæ curſum, ad purpuratum Sacerdotium confugiſſe, [3] tanquam ad aram? Nempe ut precioſius eſſet funus expirantis dignitatis. Sed non ideò mehercule plebeiæ invidiæ unquam accedam, quæ in omnes deſævit, qui Principum amicitiis illuſtres ſunt; ipſiſque Regibus obloqui audet cùm homines ſibi gratos cæteris anteponunt. Inſignis hæc eſt, inquam, in Reges injuria, velle eos arceri à ſuavitate amandi, & à fide quam omnes in iis expectamus, qui per noſtra beneficia creverunt. Amicum tu aut ego habeamus; in eâ lenitate conquieſcamus; Solis Regi-

1 *Averſæ Junoni non litans.*] Non ſibi concilians Junonem,

—— *Cui ſunt vincla jugalia curæ.*

Virgil.

—— *Nec tellus nec pronuba Juno*
Dant ſignum. ——

Illa autem deſerebat conjugem ut nuberet alteri, violabatque priorum nuptiarum ſacrum, & alias celebrabat, quibus Juno non favebat.

2 *Deabus fulmen eſſe.*] Ulciſci poſſe Deas. Pallas enim à patre Jove fulmen, clypeum, & ægida accepit. Virg. 1. Æneid.

Ipſa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem.

3 *Tanquam ad aram.*] Servis, obæratis, maleficis in aſyla frequens perfugium erat. Ita Cornel. Tacit. 3. Analium: *Complebantur templa peſſimis ſervitiorum. Eodem ſubſidio obærati adverſus creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur frequentiſſime ſervi.* Servulus apud Plautum,

Ego interim hanc aram occupabo.

De maleficis ſerviſque Plutarchus περὶ δεισιδαιμονίας. De obæratis idem libello de vitandis uſuris.

1 *Herculi*

Regibus lex barbaræ inhumanitatis dicatur, ne quem eximium habeant, aut cujus familiaritate delectentur? Quid cùm ſpontè amari ſe ſentiunt? cùm ingenii & affectuum paritate, imò cùm fide & beneficiis provocantur ad amandum? Ne tum quidem audebunt illi impetui indulgere, quem natura dulciſſimum habet? Certè neque [1] Herculi Philoctetem, [2] neque Achilli Patroclum invidemus; paucique inter Heroës ſunt, qui non aliquem præter cæteros charum, in vitæ & ſecretorum conſortium admiſerint.

Hîc Timoclea: Mihi quoque, Archombrote, nunquam placuit tam iniquæ obtrectationis audacia; quæ quamquam publicæ utilitatis larvâ contegitur, plus inſani tumoris tamen habet, quàm ſolidæ pietatis. Plurimi enim Regibus iraſcuntur, non quòd aliquos gratiâ ſuâ ſubvehant, ſed quòd ſibi gradus ille non pateat: & in gratioſis, quos tam acerbè devovent, haud raró nihil magis quam ipſa felicitas diſplicet. Certe ut ex domeſticis nonnullos ſeligimus, ac veluti adoptamus noſtras in curas; fidemque eorum familiaritate & muneribus tam penſamus quàm ſollicitamus in futurum; ita ni Princeps ſibi quæſierit ejuſmodi vicariam opem, iiſdemque rationibus aluerit, non ſufficiet publicis laboribus, [3] non [4] mecaſtor vel ſi firmiores noſtro Atlante cervices incumbentibus negotiis opponat. Nam quod modo referebamus caſum eorum, quos

1 *Herculi Philoctetem.*] Philoctetem ſic charum Hercules habuit, ut ei moriens arcum & ſagittas Hydræ veneno imbutas dono dederit. Ita Senec. actu 5. Hercul. OEtæi,

Arcumque poſcit, accipe hæc, inquit, ſate Pæante digna, munus Alcidæ cape, &c.

2 *Neque Achilli Patroclum.*] Tam ſtrictus inter ambos amicitiæ genius intercesſit, ut inter illuſtriores priſcorum temporum amicitias numeretur. Næ arma ſua Patroclo commendavit Achilles, & mortem ejus Hectoris nece ultus eſt. Homeri Iliade, & Virg. Æneidos lib. 1. & 2.

3 *Non ſi firmiores noſtro Atlante, &c.*] Atlas Mauritaniæ Rex, ſeu ob peritiam in Aſtronomia, ſeu ob cognominatum ſuo nomine præruptum montem, ſuſtentare cœlum humeris dictus eſt, & ex aſpectu Meduſæi capitis in montem à Perſeo transformatus. Ovid. Metam. lib. 4.

4 *Mecaſtor.*] Supl. *adjuvet*. Juramentum ſolis commune mulieribus, ut inferius iterum patet.

1 *Aula*

quos diu regiis amicitiis florentes ab ſuo denique axe fortuna excuſſit, nihil inde collegeris, niſi interdum fieri poſſe ut Reges injuſtè amicos ſuos deſerant, aut ſi indignos amaverint, errore deprehenſo præcipites eos agant ex ſuggeſtu, quem invidioſè conſcenderant. Sed quod ſæpe eſt, fac conſtantis animi eſſe Regem, feliciterque inveniſſe quos amet; videbis intactam utrimque benevolentiam utiliſſimè perennare. Ridebis, optime hoſpes, quod mulier apud te hæc diſſeram. Verum in [1] Aulæ tropicis educata, frequentiſſimè vidi hoc argumentum inter peritos agitari, quorum ſapientiam ipſa quoque experientia ſæpe probavit. Sed hæc clades Poliarchi, quæ nos modo ſolicitos habet, forſitan præter omne exemplum eſt: nam & Meleander probiſſimi ingenii Rex eſt: & iſte nec fidem deſeruit, nec improbè exultavit in tantâ fortunâ: ut in hoc illius diſcrimine non aliam quam fatorum eſſe culpam exiſtimem.

Sic loquente Timoclea, hæſit Archombrotus, ſubito aquæ murmure percepto, quæ in vicino fluebat; rogavitque matronam, quis is ſonus, & an illic perpetuus eſſet: ſimul quantum in lumine facis licebat, humum intuebatur; ne temere in fluenta incideret. At Timoclea; Fons, inquit, eſt, ingenti vi aquæ è vicinis collibus huc illabens, fiſtuliſque ad ulteriores campos deductus, qui commodiſſimo curſu facit ne ſitiant qui iſthic latuerint. Et haud multum inde progreſſa, magni ambitus lapidem oſtendit, qui fontem largo impetu cadentem præcipitabat in ſubjectos canales per foramina toto fundo diſtributa. Pulchritudo, & copia aquæ, tum nativa frigiditas, & quicquid in aquis laudamus, eò plus Archombrotum rapuerunt, quòd ex Africa veniebat, ſicca ut plurimum, & fontium deſtituta ſolatio. Itaque quamquam ad Poliarchum feſtinabat, captus juvenili voluptate, manus primum mox & ora

1 *Aulæ tropicis.*] Galli, *intriques de conr*, ἀπὸ τοῦ τρέπειν, vertere.

1 *Sive*

ora fonti admovit, quâ placidius manabat, inde etiam plurimum bibit curis & vigilia accenſus. Objurgabat intempeſtivum potum Timoclea: fontemque impenſius miranti; Hunc ſpecum Majores mei, inquit, non in viæ tantum & fugæ commoditatem ornaverunt: ſed & quâ licuit, longiori habitationi voluerunt aptatum, ſi quem fortè diutius latere ſua fortuna coëgiſſet. Cerne hoc ſpatium quernis tabulis ſtratum, ligno eodem utrimque latera & fornicem ambiente; ne prorſus inſalubris capiendo ſomno locus ſit nuda liberaque exudantis undique terræ frigiditate. Aſpexit Archombrotus illud cubiculum ad ſemitæ dexteram intra effoſſum ſpeluncæ latus declinans, & ipſa loci caligine offenſus, quam modicus ignis non ſatis ſubmovebat, averſatuſque indigni domicilii omen, non ſine ſuſpirio cogitavit, quantus vir illi diverſorio deſtinaretur. Liberiori quoque dolore Timoclea ita locum affata eſt: Tu igitur hoſpitem Poliarchum accipies, tu juvenem fortiſſimum & omni luce dignum tuis tenebris celabis? Sed bene eſt ſi te illius ſalute nobilitaveris! O fortunæ vim, quæ ſæpiſſime facit, ut ei de ſuis in nos injuriis gratias habeamus! Nam & illa peccavit clariſſimum virum ad latibula iſta cogens; ſimulque eximie favit, quod his ſaltem in antris paſſa eſt ſpem ſalutis illius deliteſcere.

CAPUT VI.

ARGUMENTUM.

Vbi ſe ad conſilium in antro compoſuere, cenſent dimittendum eſſe Gelanorum, qui patronum de luce abiiſſe promulget: ſic enim fore ut laxetur portuum cuſtodia. Dimiſſus Gelanorus tres lecticas funebres ferri videt, multos comitari pullatos: auditque ad corpora legatorum iri quos Poliarchus cæciderat. Devotis iſtis pergit ad Regem. Occurrit Timonides quem commento ſolerter eludit. Mox in Arſidam incidit, quem unum vitæ ſuæ conſcium Poliarchus eſſe volebat.

INTER hæc emenſi viam erant, & os ſpecus Archombroto monſtrabat Timoclea, quod non operosè reſeraretur. Vectes introrſum duo oppoſitum egreſſui lapidem tene-

tenebant, ſic in terram nitentes, ut nullâ vi quæ exteriùs moveretur quati poſſent. Sed qui intra ſpecum erant eos facilè obliquatos ab exiguis levabant ſcrobibus, quibus ita fulciebantur ne ab impoſito oſtii onere poſſent recedere. His ergo exemptis, ſaxoque deducto, ubi ſpeluncam Archombrotus aperuit, egreſſa Timoclea jactavit manu facem, ut cum Poliarcho convenerat, rurſuſque ignem ſuppreſſit, ne ex morâ in alios quàm quos optabat ſuſpicioſus fulgor incideret. Ille cùm non aberaſſet à viâ, ſtabat ad flumen, expectabatque ſignum, quo dato pervenit ad matronam. Sed quid illius & famuli equis fieret, diu quæſtio fuit. donec Gelanorus; ite, inquit, ad conſilium in ſpeluncam; dum de equis deliberatis, ſtabunt religati ad has alnos, quæ procul omni viâ propter flumen conſurgunt. Dum illi deſcendunt, dum adhuc trepidi nihil in rem meditantur, Gelanorus equos revinxerat, aderatque ad ſpeluncam; in quam ubi receptus eſt, lapidem quo viæ aditus celabatur reductis fulciunt vectibus, & ad conſilium ſe componunt. Cenſebat Poliarchus dimittendum eſſe libertum, qui omnia exploraret, quod ſibi facinus objiceretur, quæ hæc nova in Rege ſævitia, num denique amicorum in extremis fides duraret. Salubre (inquit Timoclea) conſilium, Poliarche, ſi non ſcires nibil priùs homines à Gelanoro quæſituros, quàm ubi deliteſcas. De illius fide non dubito; ſed ſi in hoſtes inciderit, fortaſſe per tormenta exprimenr verum. Indignatus Gelanorus, ſe in ſalute domini, non verberibus, non equuleo, frangi poſſe reſpondit. Habere ſe præterea quo eludat inimicos. Iturum ſe attonito maximè ſimilem; & ſi quis ex ignotis aut ſuſpectis de Poliarcho roget, jam de luce abiiſſe voce ad fidem compoſitâ eſſe dicturum. Neque rem à vero abhorrere, quandoquidem ſub terrâ ſecretus à ſole receſſerat. Quærentibus mortis genus mentirurum ab equo in Himæram flumen caſum; quippe fuiſſe Regis edicto perterritum, ingreſſumque nocte flumen, neque vadum tenuiſſe.

nuiſſe. gravem armis, & ſubtrahente ſe equo, fluctibus hauſtum. (& tunc fortè commodè ad hanc fraudem Himæra plùs juſto abundabat.) Addam, inquit, nihil fuiſſe in me opis, cùm viderem iratis vorticibus dominum in mare deferri. Hoc commento, fama tui interitûs ſpargetur, quâ nihil noſtris rebus commodius. Nam & inimicos ſatiabat, & cæterorum miſerationem inveniet, qui de extinctâ virtute magnificentiùs loqui amant. Laxabitur deinde cuſtodia, quæ jam portus & navigia aſſervat; & omiſsâ quæſtione, quam audimus in te decretam, non ægrè aut latebis aut fugies. Nec aliud mortis genus tutiori mendacio fingemus, quàm quòd nihil ex te reliquerit. Tuum præterea equum quò temerè volet patiar ire; tanquam mors domini hanc fecerit libertatem.

Placuit omnibus Gelanori calliditas; ſed adjecit Poliarchus, ſi incideret in Arſidam, cui inter Siculos maximè fidem habebat, rem ut erat nihil cunctaretur effundere; rogaretque ſuis verbis ne indignâ calamitate jacentem adire vereretur. Aut ſi id minùs poſſet, quæ ſaltem ex re eſſent, perferenda concrederet. Conſulebat etiam Archombrotus, ne perfunctus officio Gelanorus protinus rediret ad ſpecum: (nam nec ſatis poſſe pultantem exaudiri; & ſuſpicioni locum fore, ſi qui viam in proximo obirent:) Sed ad Timocleæ fores accedens, uteretur in matronæ familiares larvâ eâdem quâ cæteris impoſuiſſet, patronique tanquam extincti fata expreſſis proſequeretur gemitibus. Inde ſecretò Timocleæ ope ad Poliarchum eſſe venturum. Agitavere præterea, quid ſupellectili, quid familiæ Poliarchi faciendum. Inſtruxerat enim domum, quæ non indecora, aut impar regiæ amicitiæ eſſet. Sed nec familiaribus fidebat. Unum enim ſuæ gentis habebat Gelanorum. Cæteri erant externi, ac plurimùm ſibi ignoti: nec multùm de bonis laborabat; aſſuetus in abdito veſtium circumferre ſummi pretii gemmas, & modi-

cum auri; ne fortunæ omnia in abſentem licerent. [1] Sive igitur tanquam damnati hominis bona ad ſe traheret Meleander, ſive illa mercenarii ſervique diriperent; juſſus eſt nihil movere Gelanorus; ſed tanquam à convulſæ domûs excidio cervices ſubtrahere. His præceptis exornatum dimiſerunt. Ipſi Archombroto atque Timocleæ jam non diu licebat cum Poliarcho eſſe. Servuli enim primo mane ad officia ſurrecturi timebantur, aliquo ludo fortunæ tunc potiſſimùm ſeduli cùm minimè velles. Hos matronæ in Poliarchum ſtudia deprehendere, utrique pernicies erat. Rogant itaque ut in ſolatium virtutem adhibeat, quæ nec clades mereri, nec cùm immeritò accidunt, dejici poteſt. Se quidem quàm ſæpiſſimè liceret ad colloquium redituros. Tum pulvinum in quod recumberet, faceſque (plures enim Timoclea intulerat) tradunt; & remenſo ſub terrâ itinere in thoros referuntur. Poliarcho quæ mens fuerit, quantum iracundiæ queſtibuſve in illâ ſolitudine indulſerit, illinc intelligas, quòd non plùs de vitâ quàm de mortis decore laborabat, ſciebatque ex ſpiritu ſuo pendere quos ſupra ſe habebat eximios.

Gelanorus poſtquam domini equum admotâ virgulâ libertatis admonitum avertit in curſus, & ipſe in ſuum conſcendit, deſtinatum iter ingreſſus eſt, cumque ferè ad ſylvam perveniſſet, in quâ pridie Poliarchus pugnaverat, tres lecticas ferri vidit, multoſque in equis comitari; poſt hos, peditum examen procedere. Quæ hæc pompa duceretur ſcire libuit. Propinquanti liquebat lecticas eſſe funebres, homineſque [2] pullatos. Territus

ferali

1 *Sive igitur tanquam damnati hominis bona ad ſe traheret Meleander.*] Suis enim bonis & facultatibus excidebant rei atque damnati, eaque vendebantur, ut poteſt intelligi ex Dione Chryſoſtomo de Socrate, Oratione 55. Cæterum ſubſtantiam non habebat quæ publicaretur, ſicuti fieri ſolet morte condemnatis; fuerat autem condemnatus Socrates morte, ſed iniquiſſima.

2 *Pullatos.*] Pulla, eſt veſtis atra quâ utebantur in funeribus. Hic mos etiam hodie viget. Ovid.

—— *Stabant cum veſtibus atris.*

Tacit. Annal. l. 3. *atrata plebes, trabeati Equites, &c.* Juven. Sat. 3. *pullati Proceres, &c.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ferali auſpicio rogavit ab extremi agminis uno, cujus exequiæ ducerentur. Ille ad corpora legatorum iri reſpondit, quos pridie Poliarchus contra jus gentium cecidiſſet. Cohorruit Gelanorus; & quæ hæ fraudes, quodve piaculum eſſet, ſecum ipſe volutans, quò certiora cognoſceret, ivit cum illo agmine, donec hominis cadaver quem in limine ſylvæ Poliarchus fugientem peremerat, inter ferales luctus vidit attolli in lecticam. Tunc ſatis conſtitit, graſſatores qui in Poliarchum inciderant, à Lycogene ad Meleandrum fuiſſe legatos. Sed cur præcipitata ultio erat? [1] cur dies non dicta Poliarcho? Ergo legati latrocinarentur impunè? & Rex in hoſtes quàm in ſuos pronior eſſet? Danda fortitudinis præmia fuiſſe victori, & legatis in ſcelere occiſis crucem quoque pro funere.

Hæc confuſâ & tumidâ pietate volventem tanta ira inceſſerat, ut jam ægrè aut colorem obtineret aut vocem. Satius viſum à ſpectaculo recedere cui furioſè indignari inceperat. Igitur [2] devotis hoſtibus, quà ad Regem propior curſus erat, concitat equum. Penetranti ad alteram ſylvæ oram, jam ſole provecto, viſi complures per viam procedere; nam & militaris hæc erat, & tunc regiis in propinquo caſtris frequens. Inter cæteros occurrit Timonides, non obſcurus ex Meleandri familiâ; qui & de Poliarchi vice anxius ad hoc ipſum errabat, ut quid eo eſſet factum, acciperet. Is poſteaquam Gelanorum agnovit, ô te, inquit, opportunum! ubi autem in tanto tumultu Poliarchus? At ille promiſſæ artis memor, dejectos oculos in Timonidem vix attollens, Poliarchum vixiſſe

res, &c. Dion. Halicar. in funere Coriol. καὶ τὸν ἄλλον ἅπαντα κόσμον μέλασιν ἀμφιασμοῖς χρώμεναι τὸν ἐνιαύσιον ἐπένθησαν χρόνον.

1 *Cur dies non dicta.*] Diei dicendi formula: Ap. Claudi huc ad me Nonis Septembris adeſto, ut te accuſari audias, quod vindicias contra libertatem dederis. Dicta in hunc modum die in rebus capitalibus vades poſcebant. Poſtquam dies dicta venit, accuſator in roſtra aſcendens, reum per præconem ex roſtris citavit. Livius de Judicio Scipionis.

2 *Devotis hoſtibus.*] Ut 15. Metamorph.

Hoſtilique caput prece deteſtatur euntis.

xiſſe reſpondit. Tum verò in Timonide pietas, atque amor, potior fuit præſentium rerum metu. Vaticinanti ſimilis ſtetit. deinde ſingultibus in hæc verba laxatis, ô infœlicem cum Meleandro Siciliam! vertit habenas. Viſa res non mediocris ſolatii Gelanoro, fictam domini mortem adeò veros, nec occultos gemitus invenire. Neque multùm Timonides proceſſerat, cùm ad illum iterum redit, &, quod, inquit, viri maximi fatum fuit, Gelanore? quàm ſubitò, aut à quibus oppreſſus eſt? Cùm edictum in ſe Regis metueret (retulit Gelanorus) auſus eſt per tenebras vadum in Himæra explorare: ſed imbribus tumens flumen conantem diripuit, & quantum in ſyderum fulgore conjeci, in proximum mare devolvit. Rurſus exclamavit Timonides; & nunciaturus maximam cladem, illico viam ad Regem inſtituit. Sic furenti, non procul Arſidas occurrit; cui uni Poliarchus furtiva conſilia à Gelanoro credi voluerat. Hunc Timonides raptim implet funeſti nuncii horrore; petentique ubi eſſet Gelanorus, oſtendit venientem. Simul his ipſe quidem, ut cœperat, verſus regia caſtra ſtimulat equum; Arſidas vero ad Gelanorum pergens, ſalutemque obiter ferens, de patrono protinus quærit. Sed ille eſſe arcana quæ afferret reſpondit, quibus publicum ſatis aptum non eſſet. declinaret à viâ Arſidas; ſe cùm nemo obſervaret ſequuturum. Paruit monenti Arſidas, cui jam non parvam ſpem inſinuaverat, nihildum Gelanorum de Poliarchi obitu queſtum eſſe.

Solitudo in convalli proxima erat, quò poſtquam convenere, ita prior Gelanorus; Vivit ô Arſida, Poliarchus; ſed te unum vitæ ſuæ conſcium cupit. In effoſsâ ſub Timocleæ ædibus viâ, matronæ fide celatus eſt. Me autem ad te miſit, ut doceres quis ventus hanc tempeſtatem exciverit, & ſi perculſum non faſtidis, ad ſe quoque perducerem. Arſidas nullum ſe periculum defugere dixit; duceret modò Gelanorus ad ſpecum, cupidumque Poliarcho

con-

conjungeret. Imò, inquit Gelanorus, arte opus eſt quâ Timocleæ familiam capiamus, ne reſciant illic latêre Poliarchum, & in ſordidorum hominum poteſtatem ſummi viri fata perveniant. Prior ibo, ſubornatiſque gemitibus, quod jam apud Timonidem cœpi, illius ſimulatam mortem deflebo. Tu quoque, Arſida, quoſcunque conveneris, illâ fabulâ utiliter eludes. Fiet Poliarcho vita ſecurior, ſi credetur extinctus. Medio die ad Timocleæ limen pervenies, quaſi per æſtum acquieturus. Nec ſuſpicionem faciet, ſi in ædibus matronæ jam olim tibi notæ familiaritatis jure diverteris. Eſt præterea quod te moneam; Juvenem illic eſſe in Siciliam heri advectum. Ex Africâ, niſi diſſimulat, ſolvit. Speciem, & cùm loquentem audiveris, ſapientiam laudabis. fides in Poliarchum ſumma eſt, cui vix dieculæ commercio junctus, nunc in ultimis adhæret. Ille tibi, aut patrono meo, ſuſpectus eſſe non meruit.

His inter ſe conſtitutis ſparguntur in diverſa; & Gelanorus quidem quà compendium ad Timocleam erat; Arſidas, cui diutiùs vacabat, lento gradu in publicam viam divertit. Sed deceptus Timonides [1] tragœdiam latè ferebat. Nam in quemque de notis incideret, author erat obiiſſe Poliarchum. Rumor inde in plures, & pro hominum forte diverſis affectibus, ſed ubique ingentibus, exceptus. Statuerat eo die Meleander [2] Hypsâ flumine ſuperato, ire Magellam; quò ipſo jubente Argenis filia Syracuſis advenerat. Jamque pronunciato diſceſſu colligebat miles vaſa; & Rex, dum apta itineri hora eſſet, in proximis vallo campis ſpatiabatur. Medius proceribus erat, haud dubius multos ex illis ſpecie amicitiæ atque officii circumſtare inimicos; cùm ecce in caſtra Timonides redit nunciatque amicis quicquid acceperat de Poliarchi fato. Dicto citiùs atrox fama dimanavit in milites. Neque ægrè credebatur.

1 *Tragœdiam latè ferebat.*] Ferale commentum de morte Poliarchi.

2 *Hypſa.*] Flumine Siciliæ, de quo Silius l. 14.

Nec non qui potant Hypſamque Malimque ſonorus.

debatur. Ipſum denique Regem adire Timonides luctuque efferatus ita loqui non timuit. Multum eſt, Domine, quòd gratulemur Lycogeni. Fato functus eſt Poliarchus. Ad hæc verba hæſit Rex incertiſſimâ mente perculſus. Amiſſi juvenis calamitas & jactura, eo magis horrentem agitabat, quòd in ſe tanquam authorem hæc fatorum culpa reciderat. Lachrymæ deinde propemodum ſubibant, & triſte venturarum rerum auſpicium. Sed nec publicè dolere tunc ſecurum, cùm in ejus vultum plerique imminerent ex amicis Lycogenis, frontem, oculos, verba adnotaturi. Obfirmato itaque ore, ne aut lætitiæ aut doloris ederet ſignum, pauca de genere interitûs quæſivit, rediitque in tentorium, certus nemini lætam eſſe Poliarchi perniciem, niſi qui & ipſum Regem periiſſe concuperet. Multis militum reverentia Regis obſtabat, ne coràm lamentarentur. Fidiſſimi procerum vel ſuſpiriis conſtantiam fallentibus deflebant amiſſum, vel indignatione majori, inter mutua colloquia, fatorum temporumque injuriam non premebant. Illos Rex diligentiſſimâ memoriâ diſtinguebat à cæteris, tanquam dignos quibus unis ſe crederet, ſed nec ſine pudore intuebatur, ratus ſe ut interfectorem Poliarchi invidioſè ab illis deſignari.

Mirum fuit, extitiſſe qui auderet ſubito calore effundere hos verſus, furtimque deponere in veſtibulo Prætorii, quà Regem abire oportebat.

Flos juvenum, ſeu te id Stygiis timet omne ſub oris
Quo pallent alii manes; [1] *ſeu ſydere cœlum*
Auxiſti, Siculas non reſpecturus ad oras;
Da faſſis veniam; [2] *gravibuſque accedere vindex*
In miſeros ne quære diis. Satis auſa luemus
Gentibus inviſi, memorique in ſæcula famâ

Hoc

1 *Seu ſydere cœlum auxiſti.*] Seu relatus es inter Deos, vel ſemideos, & Heroas per Apotheoſin. Habes apud Senecam Apotheoſin, Herculis OEtei actu 5.

2 *Gravibuſque accedere vindex In miſeros ne quære diis.*] Ne fulminantem Nemeſim & juſtam Deorum iram in nos concita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Hoc monſtrante nefas. [1] *Tene ergo laceſſere flammæ,*
Te potuit ripis haurire furentibus amnis?
O Superi! qui [2] *nos ignes, undæve piabunt?*
Ipſi amnes, ipſæ meruere piacula flammæ.

CAPUT VII.

ARGUMENTUM.

Vbi cladis Poliarchi effuſa fama pervaſit ad regiam & ad aures Argenidis allapſa eſt, illa irrepere in thalamum, & liberior in luctum lachrymas ſolvere. Sed ut videt Seleniſſa eam ſtilum longiorem aptantem ad jugulum, nihil cunctata in frementem inſilit, donec Argenis domito gemitu ad vultus redit.

CÆTERUM dum profectio à caſtris ornatur, jam effuſa in populo fama, Poliarchi cladem vulgaverat, Magella nque pervenerat Fortè in thalamo ſedebat Argenis, cultumque non quem tranquillis rebus haberet, regiâ virgine tamen dignum inter puellas adornabat. Seleniſſa alumna Argenidi erat, ſecretorum omnium conſcia; & tunc illius comam fingebat, cùm una ancillarum ex atrio, in quod fortè proceſſerat, redit, nunciatque Poliarchum obiiſſe. Fefellerat primò Argenidis aures, cui tunc intentior de nocturnis ignibus, & Poliarchi inimicis, cum Seleniſsâ ſermo. Et ad Seleniſſam quidem allapſa ancillæ vox, ingenti tumultu animum, omniaque præcordia concuſſit. Tum verò furtivis nutibus, oculiſque ſilentium ſubinde jubentibus, monebat miniſtras ut premerent vocem; ſed jam ſuſurrantium garrulitas ſedem impleverat. ſubitoque horrore Argenis attonita, necdum certa quid ancillæ loquerentur, rogavit quoſnam caſus aut clades inter ſe muſſarent. Seleniſſa reſponſum intercepit, excidiſſe de miniſtræ manibus ſpeculum, quod die natali Argenidis

1 *Tene ergo laceſſere flammæ.*] Ignes Angari, accenſi in tumulis.

2 *Qui nos ignes undæve.*] Aquis, ut Æneas apud Virg. 2. Æneid.

—— *Donec me flumine vivo*
Abluero. ——

Silius Ital. l. 8. Punici belli:

Oro Cœlicolas ac vivo purgor in antro.

Flammis vero reos expiari teſtes ſunt Paliceni lacus, ſeu Crateres. Ita Theophilact,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

genidis Meleander dederat: illud nunc dominæ iracundiam reveritas queri. Sed non perſuaſit jam ſponte metuenti. Ergo de ſede Argenis exiliit, proximamque puellarum manu prehendens, & in eam ardentibus intuens oculis; Si jam, inquit, mentiri audebis, ſcias te hodie ultimò in conſpectu meo eſſe. Dic verò numquid triſte de Rege allatum eſt? Abominata illa dirum de Meleandro omen, & tanquam adhibitura ſolatium; Imò, inquit, ô Domina, omnia quæ oportet de Rege audimus. Victor, & valens, ut noſti, expectatur. In tantæ fœlicitatis mixturam parva clades eſt, extinctus Poliarchus. Non aliâs fortiùs ſuas partes, quàm tunc in Argenide obiit pudor. Strenuè revocavit abeuntem ſpiritum, eodemque momento & conſtituit, & diſtulit mori. Ac ne ullam ſuſpicionem mulieribus quæ aſtabant relinqueret: Regem, inquit, diis curæ eſſe non dubito, qui civilibus motibus ſecundum jus exitum dabunt. De Poliarcho loqui pertimuit, ne in ipſo nomine hæreret, jam penè collectis gemitibus victa. Cumque diutius coactæ frontis ſcenam non ferret, in arcanam penitus cellam ſola ſe penetrat, tanquam ſubiti negotii causâ: jamque fores obſerabat, ne quis ſuperveniret ſuprema meditanti. Sed non fefellit illa rabies Seleniſſam. In veſtigiis itaque Argenidis hærens (& alumnæ hoc licebat) redeuntem in clauſtra januam ſuſtinuit manu, ſpecieque obſequii dominam in illo ſecreto ſequuta eſt.

Tum demum obſeratis foribus liberior in luctum Argenis, & lachrymas ſolvit, & direptum manu cultum laniatis crinibus projecit in terram. Lectulus ex ebore erat, quem humilem purpureis tapetibus ad diurnam quietem auxerant. In illum tota corporis mole procubuit. Neque Seleniſſa loquebatur; ſed tacita expectabat, donec ſponte primus turbo lachrymarum concederet. Sed ut vidit nunc mitiſſimis ferventem gemitibus, nexiſque manuum articulis lacertos oculoſque invidiosè tollentem in cœlum, nunc ſæviùs intra ſe, & errantibus luminibus, obloquen-

obloquentem; [1] longiorem denique ſtylum, qui ad varios uſus deſinebat in acumen, aptantem in jugulum; nihil cunctata in frementem inſiluit: & brachium jam penè ſceleratum tremulis manibus tenens, laborabat dignos queſtus in furioſam expedire. Nam ſpiſſiſſimis ſingultibus luctus obſtabat. Diu par miſerabile in hoc ſtatu perſeveravit, ut utraque invalidâ manu eſſet, & nec illa ferro uteretur, nec iſta eriperet; ambæ immobiles, & in alterna tantùm ora defixæ. Argenis præcipuè in humerum cervicem reclinaverat; ore quoque incurioſè hianti Seleniſſam intuita, Nihil, inquit, nihil agis, Seleniſſa. Utcunque obſtiteris, mori licebit. Hactenus rectè monſtraſti; conſtantem, memorem, piam eſſe. Quid illa præcepta jam aliâ pietate pervertis? Mihi quidem, tibique, ſolatium erit, quòd inviolato pudore in tumulum ſuccedam. Putaſne me ſuperſtitem Poliarcho eſſe poſſe? [2] Ille me intactam à Lycogene præſtitit. Reddam nunc vitam; & hoc ipſum eſt pudore quem ſervavit, & merito ſuo minus. Ego, ſi neſcis, Seleniſſa, Poliarchum occcidi: crimen non expiabo niſi ſanguine abluerim. Quid illi cum Siciliâ, niſi propter Argenidem, fuit? In hæc verba dolore confuſa ſpiritum quoque amiſerat. Elabitur manu ferrum, & ipſa in Seleniſſam, tunc quoque malè fortem, incubuit.

At illa non de Argenidis modò, ſed & de ſuâ vice ſolicita, omnem medicinam adhibebat parum exaudienti, nunc alterno dolore aggemens, & citò expiraturos luctus credens, ſi liberrimè ſolverentur, nunc in alumnæ ſupercilium rediens: Patris etiam admonebat, quem tumultibus

1 *Longiorem ſtylum qui ad varios uſus, &c*] Duplex uſus acus muliebris, vel enim componendis crinibus ſubſerviebat, vel picturæ, ſeu vernis texturæ veſtium quas commendabant, ſi matronarum manibus factæ fuiſſent. De quo Mart. l. 14. epiſt. 20.

Figat acus tortas ſuſtineatque comas.

De ſecundo, Val. Flac. l. 6. Argonaut.

Barbarica chlamys arcet acu.

Dicebatur & *diſcerniculum* & *calamiſtratorium* juxta uſum.

2 *Ille me intactam à Lycogene.*] Cum Poliarchus ſub Theocrines habitu graſſatores nocturnos, raptum Argenidis molientes profligavit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tibus publicis fractum, ſi ipſa moreretur extremo vulnere ſauciaret. [1] Eſſe hanc enim veluti purpureum & fatalem patris crinem; quem ſi evelleret inſtar Scyllæ Minoëm amantis, duplicato parricidio, gnatam & patrem in eadem exitia eſſe tracturam. An præterea avidæ famæ, & ſpontè iniquæ, perſuaderi poſſe credebat, tam violento amori pudicitiam ſuperfuiſſe? Sed hæc fruſtra apud ſurdas tunc aures jactabantur. Tunc verò in furentem & ipſa ſævire audaciùs; Nolle ſe tam fœdum exitum ſpectare, niſi vivere promitteret, ſe ad auxilium proclamaturam. Jamque ad fores videbatur proceſſura; cùm Argenis laciniam veſtis ducens iterum in amplexus revocat, &, ô mater, inquit, cur à tantis doloribus vetas abire? An Poliarchum ſi defuncta prior eſſem, fuiſſe victurum exiſtimas? Non fallis, Seleniſſa; ab cunis ad id quod ætatis meæ eſt, quid velis, quid commendes, intellexi. Quod jam fieri prohibes, cùm meâ manu patravero, ipſa potiſſimùm laudabis. Si quid è mortuis ſupereſt, amat me etiamnum Poliarchus. Ibo fœlix ad ſponſum, & ſine invidiâ caſtiſſimas miſcebimus umbras. Ad extremum, ſi extinctis ſenſibus toti in tumulos condimur, hoc cum vitâ malum effugiam (horreo loqui) ne interfectorem Poliarchi venerari neceſſe ſit. Scis cujus imperio ignes heſterni micuerint. An dubites illinc fortiſſimo viro fuiſſe exitium? Sed pater eſt. Impietas erit parentem averſari. Sic igitur inter Poliarchum & patrem partiemur affectus, ut depoſitâ vitâ, quod mihi utriuſque beneficium eſt, neutri poſſim iraſci vel favere.

Contra Seleniſſa dedecus cædis urgebat ad quam amor impu-

1 *Eſſe hanc veluti purpureum, &c.*] Alludit ad fabulam Scyllæ filiæ Regis Megarenſium, quæ Minois paterni hoſtis amore capta, ut eum beneficio aliquo demereret, patrem purpureo capillo, in quo ſitum erat regni totius fatum, ſpoliavit; quem capillum Minoi obtulit, tanquam futuri conjugii dotem, verum cum ab illo ſperni ſe videret, doloris impatientiâ in Cirim avem mutata eſt; Niſus vero in aliam ſui nominis, quæ pœnas à filia repetens eam ubique inſectatur. Vide Ovid. Metamorph. l. 8.

1 *Poliar-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

impuliſſet; tandemque, veluti melioribus fatis admonita; quid nos autem [1] Poliarchum, tanquam proclamatum, deflemus? famæque tam ſæpè ludenti certiſſimo dolore jam credimus? Neſcis in fabulis [2] errorem Pyrami vulgari, ut diſcamus periculoſum eſſe ex primis indiciis furiosè decernere? Quid ſcis an in paria fata nunc voces Poliarchum, quibus ille ſuam Thisben imprudens damnavit? Poliarchum audimus occidiſſe. At quàm multa fingere rumor ſolet? Quis cadaver inſpexit? quis maculatum ſanguine enſem? Forſitan nunc ſecurus, & deſpectis hoſtibus lætus, ſi cecideris, per tuum vulnus animam efflabit. Mitte qui certiora renuncient; & ſaltem in hoc vive, ne eum, ſi vivus eſt, perdas. Triſti riſu diducta Argenis cervicem movit? & quàm, inquit, vana ſpe extremos luctus differs? Hoc commento nec tibi, ô mater, nec mihi perſuades. Sed hoc dabo Poliarcho, aut veriùs diis, ne temerè credam hoc facinus eſſe patratum; eâ lege ne cùm certiùs de clade conſtiterit, moleſta ſis vitam & ſenſus poſituræ. Hoc principio læta anus, quæ ſciret atrocia ex luctu conſilia primo impetu pertimeſcenda eſſe, cùm autem moram pati inceperunt, ſua ſponte excidere, juriſjurandi arbitrium penes ſe fecit; & per deos, deaſque, ſed præcipuè [3] per genium Poliarchi, [4] ſacramentum Argenidi præ-

1 *Poliarchum tanquam proclamatum.*] Septem diebus per intervalla mortuos conclamari author eſt Servius; *quia* inquit, *ſoleat plerumque vitalis ſpiritus tunc excluſus putari.* Unde traxit Terent.
Deſinite. Jam conclamatum eſt.

2 *Errorem Pyrami.*] Cum Thiſbe præiſſet in locum deſtinatum, & leonem fugeret, relictum fera bellua velum cruentavit: quod Pyramus ubi tabo aſperſum advertit, devoratam ſuam Thiſben credens, ferro ſibi necem attulit. Rediens Thiſbe, ubi funeſtam hauſit tragœdiam, eodem ſe ferro confodit. Ovid. Metam. l. 4.

3 *Per genium Poliarchi.*] Genius Deorum filius, & parens hominum habebatur. Tametſi binos genios ab ipſo natali die, cuique mortali Deorum munere datos, bonum ſcilicet & malum, Empedocles reputarit; Menander, unum, alii Junonem & Genium ſuum ſingulis dederunt, quaſi præſides & oppugnatores. Teſtem aſſumi genium, teſtis eſt Claudian. de 6. Honor. conſulatu:
—— *Juratur Honorius abſens.*
Neque per genium ſolum jurabant, ſed etiam per fortunam, per ſalutem, per caput.

4 *Sacramentum Argenidi præivit.*] Plautus, *Præi quod vis.* Et Tull. *Ut nobis voce præirent.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

di præivit, nihil illam toto biduo, quicquid audiret deinde, vel ſciret, ſuæ vitæ nocituram. Annuente virgine, & in verba quæ Seleniſſa conceperat jurante, monere anus cœpit, ut recomponeret comas, ne cuiquam ad tam arcani doloris notitiam indicium eſſet. Formam, quamquam in Argenide ſumma erat, tamen magnitudo animi vincebat. Domuit ſcilicet gemitus, momentoque in vultus rediit quos ante dolorem habuerat; niſi quòd in oculis rubor tumebat, quem admotâ gelidâ temperavit.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

Rex Meleander filiam Argenidem ad Imperia natam rerum ſummam prolixè edocet. Tum quæ res ad ignes adverſus Poliarch. excitandos ſe impulerit, dicere non omittit. Argenis ad mentionem Poliarchi deficit, & in ſpondam attonito Rege transfertur.

ADHUC colligebat animum, & in lætius ora fingebat, cùm una ancillarum ad fores pultavit, monuitque jam Regem in limine arcis eſſe. Neque mora, Argenis, tanquam aliud egiſſet, redit in thalamum, etiam porrectiori vultu quàm res publicæ merebantur; ſive quò à ſuſpicione ſui luctus abeſſet, ſive ut inter ſimulationis doloriſque certamen, in juſtum temperamentum omnia verba, omnes geſtus redirent. A prætorianis inde excepta, qui non procul excubabant, per media regiæ atria ſucceſſit ad portam. Haud procul erat Rex, qui [1] ad genua accedentem, ponentemque dexteræ oſculum, ſuſtollens,

1 AD *genua accedentem, &c.*] Legimus victrices dextras imperatorum ob fortia facinora milites deoſculari, apud Romanos patrii moris fuiſſe. Præterea in genibus numen & miſerationis ſedem eſſe arbitramur, etenim ſupplicantes ad genua procumbimus. 3. Æneid.

— *Genua amplexus genibuſque volutans Hærebat.*

Placet Servii notam in hunc verſum adſcribere. Ajunt Phyſici conſecratas Numinibus eſſe ſingulas corporis partes, ut aurem memoriæ, hinc eſt; *Cynthius aurem vellit, & admonuit.* Frontem Genio, unde venerantes Deum, tangi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſens, & mox [1] levi manu verberans genas, uſquene valuiſſet rogabat, maciem ſimul, palloremque incuſabat, quibus inter bellorum metus deteriorem formam fecerat. At illa haud licuiſſe per pietatem reſpondit, Patrem & Regem in caſtra profectum, ſaltem votis curiſque non proſequi: ſumptâque lugendi materiâ, nonnihil lachrymis, quæ frequentiſſimæ inſtabant, indulſit. Rex eam bono animo eſſe jubet: annuiſſe deos votis: reſtitueret placidis rebus vultum, quem adverſæ exhauſerant. Populus ſe circùm effuderat, non minùs quàm ſenectutem Meleandri, ſpeciem Argenidis virtutemque reveritus; quæ eâ arte diſpenſabat ſupercilia, oculos, nutum, ut & populus humanitate captus acclamationibus exultaret, & ex Optimatum frequentiâ nemo neglectum omiſſumve ſe crederet.

Salutantium ſupplicumque concurſu Rex obſeſſus pauliſper in atrio hæſit; in quo fons erat non plus aquis notabilis, quàm arte ſignorum, quæ illic [2] hoſpiti Coccalo ajebant Dædalum poliviſſe. [3] Aquæ in altitudinem redeuntes originis, per varias fiſtulas atque formas micabant; mox in ſubjectum alveum recidentes, fervebant ipſo tumultu labendi, reddebantque colorem mari ſimillimum. In medio [4] Galatea, tanquam in pelago, lugebat

recèns

tangimus frontem. Dextram fidei, unde,

— *atque animum præſenti pignore firmat.*

Genua miſericordiæ, unde hoc tangunt rogantes. Habes alibi Apophthegma Chryſippi philoſophi, qui correptus quod ſuam ſortem ita deprimeret, reſpondit, in genibus ſuo Regi, (Dionyſio Syracuſano) aures eſſe.

1 *Levi manu verberans genas.*] Ut moris eſt cum pueris adblandimur.

2 *Hoſpiti Coccalo ajebant Dædalum poliviſſe.*] Hic Siciliæ Rex Dædalum peritum artificem, Minois Cret. iram fugientem, excepit hoſpitio; in cujus rei gratiam Dædalus ei ſimulacra prius imperfecta expolivit; unde dicitur videndi & ambulandi facultatem dediſſe imaginibus. Sic Plato Comicus in decipiente τὰ Δαιδάλεια πάντα γίνεται δοκεῖ.

3 *Aquæ in altitudinem redeuntes originis.*] Non altius excreſcit aqua extra alveum quam origo, inquit Cardanus, & uſus docet.

4 *Galatea lugebat extinctum Acim.*] Nympha marina Nerei & Doridos filia à Polyphemo adamata, quem cum illa fugeret, indignatus Cyclops ſaxo de rupe avulſo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

recèns extinctum Acim, qui jacebat in littore, & tanquam inciperet ſolvi in flumen, duos fontes ore ſolvebat & vulnere. In confinio aquæ, contumax Cyclopis imago, ſimul alio ſaxo imminebat ſecuræ Galateæ, ſimul audiebat indignantem his verſibus; quibus artifex ſubjectum marmor inciderat:

[1] *Durior ô ſaxo quo nunc meus occidit Acis,*
Aſperior ſylvis & Polypheme tuis;
[2] *Auſa lues. Deus hoc faciet, quem tu inſcie fati,*
Quem non mortalem paſſus es eſſe virum.
Nam Deus Acis erit, vivetque perennibus undis.
Quid facies? nullas hæc timet unda minas.
Jam ſons corda tenet; jam ſons tenet omnia. qualis
Acis erat, dat nunc candidus auctor aquas.
[3] *Cincinnique ſui memores labuntur in orbem;*
Errat & in tremulis annulus ille vadis.
Quàm bona cæruleis periit jam purpura venis!
Nec tamen in gelido ſanguine friget amor.
Quò meus Acis abit? quò vos humerique, manuſque?
O quanti numen conſtat habere novum!
Hei mihi! [4] *ne ſe hominem plus vulnere ſenſerit eſſe,*
Quàm nunc thure dato ſentiet eſſe deum.

Hoc conſpectu Argenis cladis admonita, dum Rex cunctaretur in obviis, ſolitario dolore ſe paſcebat. [5] Erat ſibi Galatea; [6] meliorem Acim flebat. Sed quis ille Polyphemus?

pe avulſo Acim interfecit, hunc Dii maris converterunt in fluvium. Ita Ovidius Metam. l. 13.

1 *Durior ô ſaxo.*] Quod vibraſti in Acim. Ovidium imitatur in eadem Metam. ubi ſic ille,

Durior annoſa quercu, fallacior undis, &c.

2 *Auſa lues. Deus hoc faciet, &c.*] Pœnas dabis Acidi jam inter immortales relato, quem inter mortales diutius agere noluiſti, ignarus ejus fati.

3 *Cincinnique ſui memores.*] Cincinni crinium non amittunt ſuam naturam, ſed in circulos flectuntur in aquas converſi.

4 *Ne ſe hominem plus vulnere ſenſerit eſſe.*] Non tam meminerit vulneris, quod ulciſcatur, quam oblati thuris & votorum quæ remuneret.

5 *Erat ſibi Galatea.*] Comparabat ſe Galateæ Argenis.

6 *Meliorem Acim.*] Poliarchum ſuum.

Erbeſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

mus? Quamquam eo deſtinabat Lycogenem, tamen & culpæ paternæ invita meminerat. Jam ad interiora Aulæ proceſſerant; & purpuratis ad corporum officia dilapſis, penè ſoli familiarium obſequiorum miniſtri cum Meleandro perſtiterant. Lætus Rex hoc ſecreto, & ab his quoque cum Argenide diverſus, Tua, inquit, ætas & ſexus, mea gnata, expertem facerent publicorum conſiliorum, niſi te diſciplina & indoles erexiſſet ad magna; & præterea quòd utcunque ſis fœmina, tamen in te recumbit fortuna Siciliæ, & viris imperatura es. Aſſueſce me vivo illis curis, ſine quibus regia dignitas ſuſtineri non poteſt; & quod potiſſimum in regnante eſt, diſce ſilere. Peſſimo loco ſumus, Argenis, niſi pati injurias ita poſſumus, ut videamur non ſenſiſſe. Nam ſi pondere quod nunc urget flecti nolumus, fortaſſe frangemur. Scis à me defeciſſe Lycogenem; multas urbes in partes abſceſſiſſe. Pejùs nocent qui intra viſcera hærent, meiſque conſiliis incubant, veriùs me captivum quàm Regem obſervantes. Prælium quo nuper certavimus, videbatur Lycogenem admonuiſſe quid poſſem. Victus erat, & niſi faviſſet nox, ne munitionibus quidem tutus vim meorum tuliſſet. Tum verò Optimatum illorum haud pauci qui apud me erant, quos arbitros conſiliorum habueram, diutiùs ſua ſtudia non preſſere. Fœderibus opus eſſe clamabant; validam populi partem conſenſiſſe Lycogeni: hos ſervare præſtaret, an deſperatione incenſos in mutuam cladem excire, tantùm parricidas dubitare. Jam & ipſum Lycogenem audebant excuſare; & hunc quidem prælio victum eſſe non bello: ſed præterea, ut funditus perdi poſſet, non tamen expedire. Quo enim oculo Siculos inſpecturos qui eorum delicias ſuſtuliſſet? Acriùs pro ultione defuncti, quàm pro viventis decore certaturos. Occuparem igitur tempus, dum acie victor, pacem civium beneficium meum facere poteram. Non diſſimulabo, Argenis, plùs inter has voces timui, quam in campo, cùm Lycogenis ſigna fulge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

fulgerent. Prodi dignitatem meam videbam, & timeri poterant graviora ſi decipi abnuiſſem. Feciſti, gnata, præcipue, ut regnum retinere quacunque pace mallem, quàm exheredem te facere obſtinata defenſione majeſtatis. Sed nec leges expectarunt à me Rege atque victore. Tabulas à Lycogene obtulere, quarum ſumma hæc erat: Meleander Rex, Siciliam pleno jure obtineto. Lycogeni apud eum amicitiæ gradus eſto, qui fuit. Eidem & maris, & Syracuſani agri præfectura ſervetur. [1] Erbeſſum, & Heracleam, cum præſidiis habeat in fidei pignus. Cavebant præterea ne liceret meminiſſe injuriarum, ullove judicio, quicquid per hos tumultus actum eſt, vindicare.

Non erat meæ dignitatis, Argenis, conditiones ad paciſcendam pacem accipere; ſed nec recuſare, fortunæ. Inter utrumque ambiguo, Ibburranes atque Dunalbius egregiam operam dederunt, ne quid præter majeſtatem facere crederet. Nam infulas numinum quibus ornantur, convenientiſſimas ſciebam, ut veluti ex officio ad concordiam hortarentur armatos; majorem etiam fidem (quia externi ſunt) fore, hinc illis inſtar ſequeſtrorum commeaturis. Panormi tunc erant; acceptiſque codicillis, quos perplexos illis ſcripſi, facilè quid vellem intellexerunt. Ergo nunc ad me, nec ad Lycogenem delati, tanquam invitos ad ea coëgerunt quæ potiſſimùm cupiebamus. Ita conditionibus ſum aſſenſus quas ferebat Lycogenes; niſi quòd intra duas cohortes præſidium eſſe juſſi, quo Erbeſſum & Heracleam teneret. Idque maximè cavi, ne præſidii ſpecie totas illic habeat legiones; in me captato tempore invaſuras; neve ſuſpecta ſit lenitas mea ad omnia arbitria inimici tam facilis. Hæc legatos jubebam nunciare Lycogeni; & ſi conditio placeret, poſtero die ad nos redire. Neque mora in his erat; ſed ad me adventantes triſtis

1 *Erbeſſum, & Heracleam.*] Siciliæ urbes. Heraclea autem ſita eſt inter Pachinum & Lilybæum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſtis caſus afflixit. In Poliarchum inciderunt. Diriguit Argenis ad rei mentionem; & ut perturbatio oris lateret, ſponte tam violentam tuſſim commovit, ut qui deinde horror aut rubor ſuffundi cœpiſſet, facilè ad excuſſos ſpiritus referretur.

Diu expectante Meleandro, cùm utcunque ipſa ceſſaſſet: Peſſimo fato (inquit ille) in legatos Lycogenis Poliarchus invectus eſt. Dubium conſilio an errore. Sed ferro non pepercit. & tres ea clade extincti ſunt. Duo ſupererant, qui ex fugâ calentes ad me perveniunt. Hîc tumultu cuncta complere, lamentari indignum exitum ſociorum, ita meam fidem appellare, ut penè criminarentur. Cumque advocatis extemplo Proceribus, concilium illis dediſſem, jam non ſoli invidiam mihi fecere. Multi ex meis partes eorum queſtu acerbiſſimo implerunt. Summa clamorum fuit, oportere Poliarchum dedi ad pœnam, ne credi vulgo poſſet immiſſus qui mea fide tutos occideret. Nec mitiùs quàm capite inquirendum in tanti exempli facinore. Hæc jubentibus propiores quàm conſulentibus urgebant. Sed obſtabat ingens in me meritum Poliarchi, qui prælio mihi victoriam conciliaverat. Et virtus experta, ſuſpicioni ignobilis facinoris non patebat. Cleobulo quidem, atque Eurymedi cæteriſque qui in concilio ſani erant, incredibile erat id ſcelus. Reum illi audiendum cenſebant, facilè quæ ſibi objiciebantur excuſaturum. Igitur miſſurum me affirmo, qui eum ad dicendam cauſam accerſerent. Fore enim ſine exemplo ſi defenſione ſublatâ opprimeretur. Hoc audito pejùs hoſtes accenſi ſunt; eripi enim debitæ vindictæ Poliarchum, ſi ulciſci differrem. Num enim poſt tantæ audaciæ nefas, niſi vi & ingratiis rediturum? Imò niſi prohiberetur, exceſſurum ex inſulâ, & in patriâ jactaturum quàm impunè illuſiſſet Siciliæ. Cùm me diutiùs confusâ flagitatione laceſſerent, rogavi, quid igitur facto opus. Nam abeſſe Poliarchum; & in abſentem ſupplicia fruſtra conſtitui. Vox

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

illorum omnium fuit, fugam ipſius occupandam; quod perfacile eſſet, ſi juberem nocturnis ignibus provinciæ ſignum dari: Ita enim occluſis portubus tanquam in cuſtodiâ hæſurum; futurumque exemplo peregrinis ſcelera ubicunque poſſunt fieri, poſſe quoque vindicari. Credidi (Argenis) è ſalute Poliarchi, ut aſſentirer quæſtioni; ne negatâ ultione accenderem ſuo ſe arbitrio vindicaturos. Nam & ubi incolumis ad judicium veniſſet, multa poſſe occurrere quæ eum furentibus eriperent. Primâ igitur nocte publici è ſpeculis ignes in Poliarchum fulſerunt. & mihi in malis ſolatium fuit, quòd militum vulgus ægrè ejus periculum audivit. Sed ſperanti meliora, primo mane ſupervenit Timonides maximi luctûs auctor, nunciavitque Poliarchum periiſſe. Non potuit Argenis dolori imperare; ſed ingenti ſuſpirio victa, primumque in genua ſubſidens, mox tanquam expiratura, procubuit. Exclamat Meleander, factoque proximorum concurſu, inter manus puellarum in thorum illata eſt. Aquâ deinde ori perfuſâ, veſtibuſque laxatis, liberior ſpiritus ſudorem compeſcuit. Percunctabatur Seleniſſam Meleander; quod ægritudinis genus; & num primùm filiam urgeret. ſe quidem dum ambo colloquuntur adverſæ valetudinis ſigna notaſſe, inquietos oculos, & ſæpe reprehenſos ab errore. Sed nec eundem fronti colorem conſtitiſſe. Seleniſſa aptè diſſimulabat, jam biduum eſſe ex quo illa ſatis cibum non caperet; hinc ſe febriculam ſuſpicari; Experientiâ tamen ſcire, hoc linquentis animi frigus in Argenide breve eſſe, nec gravioris mali indicio ſuſpectum.

Dum in his rebus ſunt, interim à Lycogene litteræ Regi redduntur, quibus ſignificabat ei præſtò ſe futurum, ut in Palladis ſacrario (id rex ſanctiſſimum habebat) jurejurando pax perpetraretur. Se poſtero die, ſi Regi videretur, eſſe venturum. Rex ei renunciari jubet, id magnopere ſibi placere; ſciret ſe in craſtinum expectari. Dimiſſo nuncio, Eurymedem vocat, virum ſemper animis

ſucceſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſucceſſuque egregium. Nam & juvenis ſemel [1] in Olympiâ curſu, iterum [2] luctâ in Iſthmicis, [3] coronaverat patriam oleaſtro [4] & apio. In paucis deinde Regi charus, & prætorianis Præfectus, ſemperque arci rector, aut urbi, quamcunque Rex iniiſſet; & fidem per hæc bella incorruptam præſtiterat. Huic Rex quæ videbantur imperavit; curarentur intentiùs eâ nocte excubiæ; cohortes, quæ à ſuſpicione perfidiæ aberant, in ſtationibus locarentur; vigilum numerus duplex eſſet; Cavendum, ne quid ſuo adventu moveret Lycogenes; Eum enim non tam conciliatæ pacis fiduciâ, quàm factionis ſuæ viribus tutum, ad aulam accedere. Poſtquam mandata hæc dedit, quia Argenidi meliùs erat, in ejus triclinio cœnavit; illic (ut erat mitiſſimi animi Princeps) maceratum curis animum nonnihil refecturus. Reliquum noctis, quantum per ſolicitudinem licebat, ſomno datum. Sed Argenidem interim dolor per indigna & horrenda conſilia ducebat.

CAPUT

1 *In Olympia curſu.*] Ludis ab Hercule inſtitutis in honorem Jovis circa Olympiam Eleæ regionis urbem, ob ſuperatum Augeam Elidis Regem. In hoc certamine juventus ſe Pentathlo, ſeu Quinquertio exercebat, cæſtibus, curſu, ſaltu, diſco, & palæſtra, in quibus victor ſeu Olympionices oleaſtro coronabatur, & per muri ruinam ſublimis in curru in urbem patriam revehebatur.

2 *Lucta in Iſthmicis.*] Iſthmici ludi inter ſacra certamina numerabantur, quæ ſingulis annis in Græcia celebrarī ſolebant: in honorem Neptuni ſeu Palæmonis inſtituti ſunt à Theſeo, dictique Iſthmici à Peloponenſi Iſthmo, in cujus faucibus peragebantur.

3 *Coronaverat patriam.*] Mos fuit cum victori corona dabatur, ut proclamaret præco non illos, qui vincerent, ſed patriam coronari.

4 *Et apio.*] Horatius libro 2. Od. 7.

—— —— *Quis udo*
Deproperare apio coronas
Curat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

Arſidas inviſit latentem in ſpecu Poliarchum; is in ejus collum invadens petit quo piaculo meruerit ſacer eſſe Siciliæ: Arſidas exponit quantam ſeditionem legati Lycogenis in caſtra intulerint. Ergo quo tutiſſimè emitteretur ex inſula inſignis latronis capillitio tegi, quod ſtatim Timoclea protulit, ipſa Poliarcho author eſt.

NEQUE ſatis placida, aut ſecura Poliarcho nox erat, Timocleæ quoque ædibus novâ tempeſtate ferventibus.

Cum enim Gelanorus diſceſſiſſet ab Arſidâ, rectâ viam ad Timocleæ limen habuerat. Illic apud ſervulos fictum patroni exitum cautè deflevit. Matrona totam ſcenam ex arte proſequuta, coram familiaribus rogabat Gelanorum, quonam fato Poliarchus periſſet; & ille liberiùs apud intelligentem mentiebatur. Supervenit etiam Archombrotus, fictiſque probè doloribus vocem ſuam & vultum mutavit. Aderat inter hæc Arſidas; quem ut ad hoſpitium divertere nunciatum eſt Timocleæ, ipſa ad veſtibulum confeſtim proceſſit. Cumque ille excuſaret, quòd nimiâ familiaritatis fiduciâ ad ejus limina de itinere deflexiſſet; & matrona, id ipſum beneficium vocando ageret gratias, ſuccedunt intra tecta; moxque Archombroto ſociantur, quem prior Arſidas cœperat, utpote externum, ſalutare. Tempus prandii erat, [1] quod Siculi ſupra cæterorum Græcorum mollitiem, curabant. Hoc confecto, cùm ad ſumendum cibum digrederetur familia, ſolique cum Timocleâ Archombrotus & Arſidas ſupereſſent; Scio, Arſida, (inquit illa) te ad pium officium adveniſſe. Poliarchum, licet in infeſtâ fortunâ, quæris & amas. Ut ex Gelanoro didiciſti, apud me eſt. Quæ illum cauſæ perculerint neque hîc quæro, & meliùs apud ipſum à te accipiam. Tum Arſidas; Dii, inquit, in præſens ſilentium commo-

1 *Quod Siculi ſupra cæterorum Græcorum mollitiem.*] Nam Siculi deliciis infames, unde Σικελικὴ τράπεζα proverbio ceſſit,

commodent noſtris rebus. Cæterùm quod ſecreti (matrona) nunc agimus, nulla ætas tacebit; ſed in ambiguo tuæ domûs fortuna eſt. Si fidem ſervabit, ſi hoc grande virtutis depoſitum, cùm tutò licebit, Orbi reddet; [1] pluſquam Saturni Latium poſteris erit. Sin tumuli omen hîc habet ſub terrâ Poliarchus, pollutæ erunt ſedes: [2] quicquid dirarum in Siciliâ narratur, in his antris, in hoc Ditis adyto, vulgaris infamia inveniet.

Parata fax erat, quam cùm accendiſſet Timoclea, ad Poliarchum ituros præceſſit. Neque diu in illis latebris fuerant, cùm vident aſſurgentem ex pulvino, & adventantium lumine excitatum. Is poſteaquam Arſidam vidit, cæteris obiter ſalutatis, in illius collum invaſit. Fidem deinde amici collaudare, & ſubinde rogare, an latitantem reumque Poliarchum agnoſceret. Et vides, inquit, hanc matronam? Si hæ latebræ mihi pudendæ ſunt, culpam deprecari non poteſt; ſin ſalutare hoc capitis mei furtum, illi me debeo. Coëgit apud ſe potiſſimùm in hoc tui bine eſſe. Dic autem, Arſida, quo piaculo meruerim [3] eſſe ſacer Siciliæ. An Rex de Meleandro [4] Cercyon, [5] aut Buſiris eſt factus? Aut vos Siculi habetis [6] Dianæ Tauricæ ſignum,

1 *Pluſquam Saturni Latium, &c.*] Senſus eſt: Iſte locus ſi Poliarchum ab ſuis hoſtibus ſecurum fecerit, majori apud poſteros gloria celebrabitur, quam ipſum Latium, famoſum ob regnum Saturni aureum. Inde Latium dictum eſt, quia ibi Saturnus latuit, inquit Virgil. 8. Æneid.

——— Latiumque vocari,
—— quoniam latuiſſet tutus in oris.

2 *Quicquid dirarum in Siciliâ.*] Notat Gigantem Enceladum; Scyllam, & Charybdim, Cyclopes, &c.

3 *Eſſe ſacer Siciliæ.*] Execrabilis. Tractus ſermo ex more Gallorum. Nam quoties Maſſilienſes peſtilentia laborabant, unus è pauperibus ſe alendum integro anno publicis ac purioribus cibis offerebat. Hic poſtea ornatus verbenis, circumducebatur per civitatem, cum execrationibus, ut in ipſum civitatis mala reciderent, & ſic in mare projiciebatur, ait Servius in Virg. l. 1. *Hunc qui occidiſſet, parricidii non damnabatur,* inquit Feſtus.

4 *Cercyon.*] Latro inſignis apud Eleuſinam Atticæ civitatem, tanto corporis robore, ut validiſſimas incurvaret arbores, quibus viatores diſcerpebat: à Theſeo occiſus eſt & eodem affectus ſupplicio. Ovid. l. 7.

Cercyonis lethum vidit Cerealis Eleuſis.

5 *Aut Buſiris.*] Neptuni filius, hoſpites ſuos Jovi immolabat, ab Hercule occiſus. De quo Virg. 3. Georg.

Aut illaudati neſcit Buſiridis aras.

6 *Dianæ Tauricæ.*] Huic templum in Taurica regione, ubi carne tantum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſignum, & hoſpitis ſanguine gravem deam placatis? Ad hæc Arſidas non pauca de Meleandri rebus queſtus, expoſuit quantum ſeditionis inſtar regiis caſtris intuliſſent legati Lycogenis, & cum illis purpurati aliquot Regi infidi. Tantis malis victum Regem, cùm res in tumultum excederet, & Poliarchus fugere ex Inſula diceretur, annuiſſe, ut publicè ignes fierent. Poliarchus non ſine indignatione Arſidam audiebat, crebroque, & mutatis veſtigiis acer, & loquuturo ſimilis erat; Cumque ille deſiiſſet, tum verò Timocleæ manum corripiens, Te autem, inquit, teſtor (nam quamvis præſentiſſimi dii ſunt, tamen nec uſquequaque per ſua numina fallentes perdunt, nec continuò adſunt cùm ritè invocantur) Te inquam, Timoclea, teſtem volo. Adfuiſti facinori. Vidiſti pugnantem. Num inſidias ſtruxi? num quæſii in quos certarem? num obvios laceſſivi? Incogitantem adorti ſunt. & ergo vel ſub illis pereundum mihi erat, vel ſi viciſſem, in me armanda Sicilia? Quod verò meditati ſceleris argumentum? Unus eram; & infirmiſſimum pugnæ ſolatium, mulier comitabatur; Matronæ ſervuli, meuſque libertus, in pacatâ ut credebatur ſylvâ præiverant, ut nec ad illos certantium ſonus pervenerit. Quò autem miſerrimum Regem fortuna adegit? A conjuratis & perduellibus miſſos inſtar juſtorum legatorum venerari; litare ſuorum ſanguine cupiditati hoſtium, & infra eorum crudeliſſima vota famam habere.

Plura quæ dolor, & conſcientia, admovebat ingerentem, vetat Arſidas de famâ publicâ dubitare. Dicere omnes, niſi à Lycogene corruptos, eſſe in paucis eximiam fortitudinis laudem, unum, & itineri non pugnæ paratum, ex tot graſſatorum manibus victorem evaſiſſe; riderique à militibus fœdiſſimè querentes, quod quinque, aut plures, ab uno oppreſſi ſint. Sed jam aliud quærendum,

humana litabatur. Unde Lucanus:
Et tauro Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Et Eurip. *Αὐτὴ δὲ θυσίαις ἥδεται βροτοκτόνοις.*

I *Ipſum*

dum, Poliarche. Indigna eſt, ut ſe hodie habet, tuâ virtute Sicilia. Exi parumper. Da Regi, ne cogatur aut periculosâ ſuis rebus ſanctitate te tueri, aut cum flagitio inimicis relinquere. Adhuc in te ſic peccavit, ut poſſit excuſari. Cædem enim vel lui, vel purgari judicio, adeò mos eſt, ut [1] ipſum Martem ferant, cæſo Halirrhothio, in Areopago cauſam dixiſſe. Quòd ſi ſecuri & legitimi fori ſpes eſſet, ſuaderem, Poliarche, ut ultrò tui copiam faceres accuſantibus. Neque enim aliud in te decretum, quàm ut ad Judices venias; cauſa autem eſt, quam vel iniquis probes. Sed odium & impietas hoſtilis, non expectaret [2] judicum urnam. Inſidiis, aut impetu, facinus urgerent. Horreo loqui. Abi modò Poliarche. Permitte hanc Inſulam non in totum eſſe ſceleſtam. Poliarchus ſe verò ſi liceret abiturum reſpondit; Nec quid minùs poſt tot beneficia quàm pacatum diſceſſum, ingratiſſimam terram poſſe præſtare. Malè merito Regi ideò minùs ſe iraſci, quòd à fortunâ illum plecti ad inimicorum ſatietatem jam videat.

Inter eos deinde quæri cœptum, quâ tutiſſimè ratione emitteretur ab inſulâ; placuitque in ruſtico habitu eum eſſe. Arſidas [3] ex Brutiis uxorem habebat, poteratque [4] Meſſanâ ad ſocerum ſine ſuſpicione tranſmittere. Is impoſitum ſuo navigio Poliarchum recipiebat in Italiam deferre. Timoclea habere ſe præterea dixit, quo vultum fugientis egregiâ fraude mutaret. Fuit, inquit, in Panormi finibus latro, non ſpernendæ calliditatis arte diu inultus.

1 *Ipſum Martem ferant, cæſo Hallirrhothio.*] Erat ille inſignis latro, cæſus à Marte, qui cum capitis cauſam dixiſſet, Deorum ſententiis primum hic latis abſolutus dicitur. Sic alii: Halirrhothius amabat quandam mulierem, cujus pari Mars amore tenebatur; hic vero æmulum indignatus, illum occidit: quam ob cædem Neptunus voluit Martem dicere cauſam in Areopago coram duodecim præcipuis Numinibus.

2 *Judicum urnam.*] Judicum ſententiam, lapillis in urnam jactatis.

3 *Ex Brutiis.*] Populi in extrema Italia, ſupra Lucanos, in ea parte, quæ olim Siciliæ juncta dicitur.

4 *Meſſana.*] Urbe propinqua Peloro promontorio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tus. Quippe [1] vultus illi triplex, ut de Geryone quædam anus fabulis memorant. His dictis modico riſu cunctata eſt, quantum in triſtiſſimis rebus decebat. Ætas homini media erat, rara barba, & tenuis: ſed in ſinu capillitia duo, ex quibus totidem barbæ pendebant; hæc horridior, & in ſenilem effigiem cana; fuſca alia, in primæ virilitatis ſpecimen colebatur. Has larvas tanta ars concinnabat, ut nemo aſcititiam formam deprehendere, nemo arguere furtivos vultus poſſet. Igitur modò ſenex, nunc junior, interdum demptâ perſonâ cernebatur. Sic impunè latrocinantem mutabilis forma non ſuppliciis tantùm, ſed & ſuſpicioni diu eripuit. Nam juvenili graſſatus ſpecie, mox ſenex occurrebat quærentibus; rurſuſque fallebat juventutis imagine, ſi ſub canis peccaverat. Pater tunc meus provinciam regebat, qui fatigatus [2] peſſimi Chamæleontis ingenio, tandem captum meritiſſimâ cruce fregit. Sed miratus fraudis ingenium ad naturam accedentis, pilos juſſit apud ſe aſſervari. Si placet hos producam, aptabimuſque Poliarcho.

Non expectavit donec ullus annueret; ſed exceſſit ex ſpecu; neque diu morata attulit hæc gemina juventutis & ſupremæ ætatis ſimulachra. Horum alterum cùm impoſuiſſent Poliarcho, frendenti, quòd ſibi alienis & improbis vultibus ad ſalutem opus eſſet, ſtatim ſic alius fuit, ut vel Argenidem fallere poſſet. Opportuniſſimæ fraudi benè precati, rogare perſeverant, ut eâ uti velit. Timoclea quoque idoneas veſtes primâ nocte delaturam ſe promiſit. Nam debere in iis latebris Poliarchum in ignoto habitu eſſe, ut ſi qua illic fortuna tuliſſet curioſos, in proximos campos ſui oris ſecurus fugere poſſet. Jamque erant diſceſſuri,

1 *Vultus illi triplex, ut de Geryone.*] Hic Hiſpaniæ Rex tricorpor fingebatur, vel propter tria regna, vel propter conſentientes trium fratrum mentes. Dives armentis, ab Hercule cæſus. De quo Virg. Horat. Ovid. in Metamorph. & tandem Lucretius. l. 5.

Quidve tripectora tergemini vis Geryonaei.

2 *Peſſimi Chamæleontis.*] Cujus exemplo in plures formas ſe transmutabat. Unde tritum adagium: *Chamæleonte mutabilior.* De quò Plin. & Ariſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ceſſuri, cùm Arſidam Poliarchus ſevocat; Archombroto & Timocleæ excuſans quòd cum eo ſecretus loqueretur; & colloquendi cauſa erat, quòd neceſſitudinem, quæ ipſi cum Argenide erat, amicorum fidiſſimus ſciret. Eum igitur obteſtatur, ne quàm primùm ad Argenidem gravetur contendere; ſe de Virginis vice multò graviùs quàm de ſuâ anxium eſſe. Scire enim ſuam cladem illi immodicè dolituram. Quid verò quòd extinctus dicebatur? Triſtiſſimæ famæ errore, ad ſæva & ultima conſilia poſſe amantem adigi. Iret Arſidas, & mœrentem ſublevaret. Ne illa fleat incolumem. Si dii exitum præſtiterint, in Italico ſe littore expectaturum ejus imperia; aut ſi juberet, tunc etiam quamlibet periculoſo furto ad eam eſſe iturum. Plura nec dicere tempus ſinebat, nec Arſidæ volebat committere; qui operam prolixè pollicitus, tamen quia jam veſpera erat, hortante Timocleâ, nec diſſuadente Poliarcho, in craſtinum diſtulit iter. Sumptâ cœnâ redituri ad Poliarchum erant, cum veſtibus quas matrona promiſerat. Is interim allatis à Timocleâ cibis perfunctoriè veſcebatur; &, quò illum à præſentium malorum ſenſu averteret, nonnihil jocatus Arſidas, Quid doles, vir fortiſſime, inquit, ſi te ſpecus, ſi mutatus habitus ab hoſtibus teget? Tu unus; tu plurimos fugis; at [1] ſuperos omnes, cùm unus inſequeretur Typhœus, fugæ non puduit; nec fortaſſe evaſiſſent, niſi Ægyptus animantium turpibus formis paventes condidiſſet. Audi quantâ audaciâ Nicopompus familiaris tuus in illorum metu verſatus, divinis vultibus rictus & roſtra induxerit. Tradidit deinde librum, in quo erat poëſis varii argumenti; jam jamque abiturus, hos verſus, quos ille legeret, ungue ſignavit.

Jam

1 *Superos omnes, cùm unus inſequeretur Typhœus.* His Terræ & Titani filius, cum in ingentem corporis molem adoleviſſet, eò vecordiæ provectus eſt, ut Jovem cœleſti ſede ſerpentinis manibus deturbaret: ſed tandem Jovis fulmine ictus eſt, & ſub Inarimem inſulam detruſus. Ovid. l. 5. Metam.

Emiſſumque ima de ſede Typhoëa terræ
Cœlitibus feciſſe metum, victoſque dediſſe
Terga fugæ, donec feſſos Ægyptia tellus
Ceperit, & ſeptem diſcretus in oſtia Nilus.

Jam propè congeſti ſuper aſtra Typhoëa montes
Extulerant; tremuere Dii; [1] *nec ſæva Tonantem*
Fulmina, nec certæ Phœbum juvere ſagittæ.
Non [2] *ferro inſignis Mavors,* [3] *non Gorgone Pallas;*
Non animi, non ora manent; miſeroſque reliquit
Sanguis, & in capto [4] *pallebant ſydera cœlo.*
Horridus aëriâ cumulans faſtigia brumâ,
Exſuperanſque Notos, [5] *cœlo conjungitur Atlas,*
Inque ſolum [6] *præbet ſuperis iter. Aſtra recumbunt*
Verticibus, Libycis hærent veſtigia campis.
Ergo per immenſos humeros, mentique ſeveram
Caniciem, & rivis gelidos manantibus artus,
Defluxere polo Superi: Ne fidite terræ
Cœlicolæ; [7] *Dirum peperit veſana Typhœum.*
Qualiter imbelles volucris timor agmine mixto
Exercet curſu Damas; Cùm prima per arva
Suſtinuere fugam, ſtant omnes impete preſſo,
Hauſturæ ſonitum, ſeu quem latratibus horrens
Aura feret, ſeu quem [8] *venantia cornua mittent.*
Tum ſubitò effuſæ celerant veſtigia, quà dat
Sylva locum. Sequitur falſi terroris imago
Longa, nec auditi ceſſant ſimulachra pericli.
Haud aliter toto fugiunt vaga numina mundo.

Nil

1 *Nec ſæva Tonantem fulmina.*] Non Deos juvêre arma ſua; etſi poſtea Jupiter recepto cœlo fulmine Typhœum deturbarit.

2 *Ferro inſignis Mavors.*] Mars ferreorum armorum author, *Mavors* dicitur per Epentheſin, quod magna vortat.

3 *Non Gorgone Pallas.*] Sua Ægide, ſeu clypeo, in quo pinxerat Meduſæ caput, ad terrorem hoſtium, qui quaſi ad Perſei Meduſæum caput rigerent. Ovid. Metam. l 5.

4 *Pallebant ſydera.*] Dii, quibus planetarum ſunt nomina.

5 *Cœlo conjungitur Atlas.*] Mons Mauritaniæ in Lybia, ut ſupra, opertus nive, in quem Atlas aſpectu Meduſæi capitis dicitur transformatus. Propter altitudinem, cœlum vertice ſuſtinere fertur.

6 *Præbet ſuperis iter.*] Per hunc montem è cœlo fugiſſe Dii crediti ſunt metu Gigantum, & in Ægypto quæſiſſe latebras, variorumque brutorum rictus induiſſe.

7 *Dirum peperit veſana.*] *Veſana* dicitur *mater Gigantum* Terra, ut ſupra.

8 *Venantia cornua.*] Venantium tubæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Nil certum miſeris. Superant monteſque, lacuſque,
Planaque, nec furvis ſatis eſt ſibi noctis in antris.
[1] *Eſt regio,* [2] *incertus patriæ* [3] *qua flumina Nilus*
Dividit, & ſeptem ſuccedit in æquora rivis.
Si qua fides, illic mortalia corpora primùm
Aſpexere diem, [4] *retinens cùm terra ſupremi*
Ætheris informes [5] *animavit Apolline* [6] *glebas.*
Hæc [7] *furto placuit tellus, hîc feſta deorum*
Agmina ſub [8] *Phariæ latuere crepidine ripæ.*
Huc quoque [9] *Sylvanos, huc &* [10] *nemora alta tenentes*
Egit cura Deas, Paneſque auxere tumultum.
Haud procul, ignaræ fati, ſecura [11] *bidentes*
Gramina carpebant, queis ruſtica fiſtula ſignum
Lene dabat: placidis ſuberant magalia ſeptis,
Plenaque ludentes poſcebant ubera nati.
Has videt, incerto luſtrat dum ſingula viſu
Juppiter, & felix, inquit, pecus. Ergo Tonantem
Fata premunt, nullumque timet grex iſte Typhœum?
Ite procul radii, ſemperque inviſa poteſtas;
Pax humiles ſi tanta fovet. Sic dixit, & albo
[12] *Vellere criſpatus demiſſos induit artus,*

Cur-

1 *Eſt regio, &c.*] Deſcriptio Ægypti.

2 *Incertus Patriæ.*] Nili origo neſcitur; unum eſt ex quatuor fluminibus, quæ ex fonte Paradiſi terreſtris nunc ignoto derivantur.

3 *Qua flumina Nilus Dividit.*] Per ſeptem oſtia in mare effunditur Nilus. De quo Silius Italicus:

Septeno impellens tumefactum gurgite pontum.

4 *Retinens cum terra ſupremi Ætheris.*] Cum puras qualitates adhuc ſervaret contractas ex confuſione priſtina cœli & terræ.

5 *Animavit Apolline.*] Quia Sol rerum pater eſt, terra vero parens, unde axioma Philoſoph. *Sol & homo generant hominem.*

6 *Glebas.*] Nam homo ex limo terræ plaſmatus eſt.

7 *Furto.*] Latebris.

8 *Phariæ crepidine ripæ.*] Scilicet Nili ripa, propter celebrem Ægypti urbem, quæ Pharos dicitur; Sunt autem hac in ripa cavernæ frequentes, quæ ſuperſtagnantes aquas recipiant.

9 *Sylvanos.*] Ipſi Satyri in illo ſuperûm diſcrimine commoventur.

10 *Nemora alta tenentes.*] Dryadas & Hamadryadas.

11 *Bidentes.*] Quaſi biennes oves, ſeu (ut Feſto placet) quæ ſuperioribus & inferioribus ſunt dentibus, vel (ut Varroni) quæ duos eminulos habent.

12 *Vellere criſpatus.*] Ridicula Metamorphoſis Jovis in Arietem.

1 *Men-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Curvaque celatæ ſinuavit cornua fronti,
Quâ cœlum & terras ſolitus, quâ dira movere
Tartara, ſeu pacem, ſeu bella indigna juberet.
Nec mora, [1] *mentitis aries balatibus ibat:*
Permiſtuſque gregi (mirere Typhoëa captum?)
Et fallebat oves. Fraudis laudavit Apollo
Ingenium, & ſimiles ſeſe curvabat in aſtus.
Sed timuit terras, [2] *corvique horrentibus alis*
Plauſit in alta viam. nec præpetis inſcius alæ,
Ter Superos circum, facili dedit omina gyro.
Proh pudor! aſpiciunt, paſſimque exempla ſequuntur
Cœlicolæ. Variis tecti [3] *Memphitica monſtris*
Arva tenent, metuuntque ſibi; dum ſpondet inanes
Interea ſupplex non exauditus ad aras
Vota, & fruſtratis fumant cultoribus ignes.

CAPUT X.

ARGUMENTUM.

Arſidas de eximiis, indole virtute, ſcientia, viris, & quam rari ſint, & quantum ſit genus inhumanitatis non illos excellere, apud Archomb., in hortis Timocleæ, occaſione Poliarchi ſublimiter diſſerit.

INTERIM Archombroto & Arſidæ, in Timocleæ hortis, nondum inſalubris veſpera per diverſos ſermones agebatur; & occaſione Poliarchi, de iis ſermo erat qui indole & virtutibus præſtant. quàm hæ raræ in mortalibus gemmæ, quàm ſæpe contemptæ ab ingeniis quæ ad ſervitutem facta, liberis tamen ut plurimùm imperant. Dum iſta loquuntur, abſtulit Arſidam cura virtutis, & præſentium faſtidium rerum, ut cum impetu doceret, ſine ſcelere

1 *Mentitis aries.*] Jupiter transformatus ab Ovid. l. 5. Metamorph. ſic deſcribitur:

Duxque gregis fit Jupiter, unde recurvis
Nunc quoque formatus Lybis eſt, cum cornibus Ammon.

2 *Corvique horrentibus alis plauſit, &c.*] Apollo tranſmutatur in Corvum, qui Apollini ſacer eſt. Ovid. 5. Metam.

Delius in corvo; proles Semeleïa capro;
Fele ſoror Phœbi; nivea Saturnia vacca;
Piſce Venus latuit; Cyllenius, Ibidis alis.

3 *Memphitica arva.*] A celebri urbe Memphi dicta eſt Ægyptus.

1 *Jacere.*]

lere & periculo, contumelioſè haberi non poſſe eximios viros; ſed & genus inhumanitatis noxioſiſſimum eſſe, non illos extollere, & præmiis ſolicitare de publico. Nunc (inquit) perverſam rationem fortuna inſtituit, ut in multis gentibus propè ſit ad egregii animi indicium arceri à regiis, aut in illis [1] jacere. Adeò timida aut barbara fœlicium vitia amant exarmare virtutem; quaſi eâ potiores futuri ſint, ſi egenam aut neglectam ſuperbi calcaverint. Archombrotus, ſeu ſapientiam Arſidæ eliciebat ad imbuendum animum, ſeu agebat Regum cauſam, ſe quidem, quòd ad Poliarchi caſum erat, abominari dixit tam protervam fortunæ licentiam; cæterum, nihil mirum tot curis totque ſumptibus Reges exhauſtos, præterire aliquando non vulgaria ingenia. Nam nec compendio fore, ſi egregios viros oporteret oneri cæteris eſſe, & naturæ omnes dotes publico auro ſignari. Sæpè etiam illas mentes quas tantopere miramur, inutiles Regibus naſci, nec aptari ad negociorum uſum; ut quidam fructus ſunt ad videndi voluptatem, quos ſi velis ad guſtum transferre, famem ingrato aut noxio ſucco fallant. Cunctabatur Arſidas reſpondere; contentus levi riſu aſpernari hanc defenſionem peſſimi fati; donec conſtitit ex Archombroti vultu (nam in eum erat intentus) velle ſe refutari. Curas autem objicis Regum? inquit; quaſi non præcipua eſſe debeat, ſecum viros habere, quos non adeò crebros ætas hæc protulit, [2] ut damnes neſcio cujus lucernam in frequenti foro unum ſaltem quærentis. At ſumptum Reſpublica non ferret. O ſolicitæ prudentiæ mentes! Ergo parcè aucupium procurari; ſtabula tanquam in Sybaritano exercitu [3] ſaltatoriis equis non fervere; aut non reparari jacturam, ſi de venaticis canibus unum Aper perculerit: hæc,

1 *Jacere.*] Eſſe in extremo gradu.

2 *Ut damnes neſcio cujus lucernam.*] Diogenis Cynici. Senſus eſt; non adeo frequentes ſunt, ut damnes Diogenem Cynicum, qui laterna hujuſcemodi hominem quærebat in multitudine.

3 *Saltatoriis equis.*] Luxum damnat Regum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Hæc, inquam, non ad uſum aut voluptatem Principum magis, quàm in ſpecimen majeſtatis, omitti, nefas ducunt. Tantum auri profundi, tot viliſſimos homines de ærario vivere placet. Sed demum eſt grave haberi magnorum animorum delectum. hîc parſimonia in memoriam redit. hîc ærarium deficit; imò herculè bona mens, Archombrote. Fac enim ipſum Regem non amare eorum conſortia. Num in theſauris ſola reponimus, quæ ingenerato affectu grata ſunt nobis, & non præterea quæ precio ſuo merent? Sed nec anguſtè habitant Reges, ut ſi ejuſmodi virorum colloquia faſtidiunt, aut verentur, non poſſint tanquam abſentem & reconditam penum habere. Nec de multitudine queraris, Archombrote. Quamlibet curioſo delectu, tamen paucos efficias. Quoſnam ergo, ſubjicit Archombrotus, in illam refers claſſem? Tum ille, Si latiùs, & extra Poliarchi hunc caſum, rem totam expendimus, iſthinc primùm ex eminentioribus diſciplinis aut artificiis nulla exegerim. Domitandis alius equis, alius pugilatu ſit nobilis. Pingendo, aut canendo, ſibi nomen hi fecerint; Ille ædium moliendarum celebretur peritiâ, aut derivandis in ſimulachra fontium aquis; vel ſi qua ars alia, ſuo, aut ſeculi genio valet: Statim emantur, etiam quanti ſeipſos indicarint, ſi viliùs fortè non poterit. Ipſa ſtipendiorum magnificentia commendabit artificem, & gloriam poſſidentis. Sed nobiles volo: & ut monui, quales paucos invenias. Jam, quæ altiora ſunt, belli & pacis artes, quid ceſſamus licitari? id eſt, homines fortitudine aut literis notos. Neque meram temeritatem in armis, Muſaſve vulgares, ad hæc præmia arceſſo; Sed illos quidem duces, qui militarem impetum ratione compoſitum habent, aut fortunâ propitium; eoſque præcipuè quos fama amavit, bellicis utique rebus vera momenta

Regum. Notus autem Sybaritarum luxus, qui cum ſaltatoriis equis delectarentur, à Crotoniatis decepti ſunt dolo cujuſdam transfugæ, qui equos in ipſa acie ad ſaltationem ſonitu & tenore buxinæ concitavit.

x Muſis

menta vaniſſimo numine ſæpiſſimè addens. Eruditorum verò præcipui adeò eminent, ut niſi imperitos non lateant raræ hæ faces, & ſæpè in Orbe ſuis [1] Muſis pauciores. Quidam in illis publicæ prudentiæ ſunt apti; ſed quia hoc deorum beneficio uti neſcit reſpublica, privatis in curis conſeneſcentes, non uſu, non negotiis lævigantur. Cæteri, qui ſolis libris nati ſunt, quid tamen apud præſentes & poſteros valeant, cùm ex irâ vel favore dividunt mortalibus famam, cùm ſuos amatores præjudiciis, ſectiſque imbuunt, ſi quis neſcire vult, dignus eſt malo omine experiri.

Ita ſumus comparati, Archombrote, ut quemque aliquod ſtudium trahat. In illâ autem re quam probamus, aut colimus, eos qui excellunt miramur. Finge ergo artificiis, litteris, armiſque præcipuos (nam ea ferme ſunt quæ mortalium animos tangunt) velut in uno cœlo ſtellas, conveniſſe ad Principum ullum. Quis deinde toto Orbe de regiâ illâ ſermo? quis eam ignorabit? aut quia illic habet ſuum deum, cum horrore tanquam ſacrarium non colet? Principi ipſi, quanta operis merces? ut excedet mortalium ſortem? ut vivus, & ſoſpes, multò certius quàm per odores, & [2] aquilam erumpentem ex funere, ſe ſentiet conſecratum? Triumphabit in omnium plauſu; Hæc fercula, hæc optima gentium ſpolia erunt, quorum ad ſe velut flores in ſertum collegerit.

Optabile votum, retulit Archombrotus, ſi ad illud ſpem facerent negotiorum turbæ, & diverſa eorum ſtudia qui Regũm amici ſunt. Etiam illi præſtantes, de quibus loqueris, non omnes utique ſunt venales; multique præ- terea

1 *Muſis pauciores.*] Sunt in modico numero: ſiquidem ſunt tantum novem Muſæ.

2 *Aquilam erumpentem.*] Apotheoſis, ſeu conſecratio, maximus honos delatus Romanis Imperatoribus: In pyræ faſtigio reſerata cavea tegebatur, & in ea vivens Aquila detenta funiculis, quibus igne abſumptis efferebat ſe in nubes, populus vero animam defuncti eſſe credebat, quæ in Deorum cœtum advolaret. de his ceremoniis eleganter ſcribit Herodianus l. 4.

1 *Hujus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

terea eorum, ut oportet, optaſve, gratioſi in aulis verſantur; ut cæteros, quos ejuſmodi fœlicitas præterit, ſit æquius de fortunâ quàm Regibus queri. Tum Arſidas; neque poſſe credidi, Archombrote, [1] hujus noſtræ contemplationis venuſtatem ad effectum abſolutâ fœlicitate traduci. Sed ut cætera ſapientia juvat, licèt in agendis rebus minùs exacta ſit, quàm cùm ſequeſtri animo concipitur: ſic in hac parte plurimùm erit, quà res & fortuna patietur, non negligere tantæ utilitatis compendium; ut ſi omnes illi non poſſint, at plurimi beneficiis cogantur ad Regiam. Nam quòd Regum palatia, ſummæ indolis viris deſtitui negas, non in totum à te abeo; ſed audi me Archombrote. [2] Eſt medius ordo, & velut equeſtris, ingeniorum quidem ſagacium, & commodorum rebus humanis, non tamen in primam quam celebramus magnitudinem patentium. Eorum hominum, ut ſic dicam, major annona eſt. neque hos nego ad Aulas ſæpè accedere, & cùm provecti ſunt, ita ſplendeſcere aſcititiis radiis dignitatis, ut exactæ naturæ opera eſſe credantur, velut obſcuriores gemmæ interdum ab artificio, & circumpoſito auro lucem accipiunt optimis parem. Sedulum eſſe, nihil temerè loqui, aſſueſcere labori, & imagini ſapientiæ parêre, tegere anguſtiores partes ingenii. Hæc neque ſummum hominem deſiderant, & ſola interdum ſunt quæ in laudatis Proceribus ſuſpicias. Ut vel abeſſe vitia pro virtute ſit; vel [3] non invidioſus prudentiæ rivus in Oceani famam ſe diffundat; dum exercitationem ac uſum quo iſti in civilibus rebus pollent, pro naturâ & magnitudine ingenii plerique accipiunt. Et hos quidem à ſuâ laude non arceo. Magnum eſt, in eam eſſe ſortem productum,

1 *Hujus noſtræ contemplationis venuſtatem ad effectum abſolutâ fœlicitate traduci.*] Non credidi id conſilii exitum omni ſui parte fœlicem eſſe ſortitu- rum.

2 *Medius ordo velut equeſtris.*] Equites erant Senatum inter & plebem mediæ ſortis.

3 *Non invidioſus prudentiæ rivus in Oceani famam ſe diffundit.*] Modica prudentia magnam conciliat famam. Allegoria.

Medius

ductum, & præterea inſtitutione creviſſe. Sed non illi ſunt, Archombrote, de quibus diſceptamus.

Præter hos ergo (ut ajebas) adhuc ſcio nonnunquam primæ illius ſummæque notæ ingenia venire ad Principes, adhiberique negotiis. Quippe & Poliarchus vivebat in regiâ, & te, egregie Juvenis, inter hæc naturæ ornamenta non dubito numerare. Habet & Meleander Cleobulum; habet Eurymedem; nihil illis ſublimius. Sed non ideò palatia Regum pro juſtis aut fœlicibus habeo, quòd de brevi eximiorum virorum numero pauciſſimos nonnunquam excipiant. Multò plures retuleris, aut ſpretos, aut quod pejus eſt violatos; ut his quæſtibus meis æquitas ſua conſtet. Culpa autem interdum eſt Regum, cùm moneri non volunt timentve virtutem; interdum illorum qui Regibus adſunt, ſi natura barbaros fecit, aut incurioſos fœlicitas, aut fortuna ſuperbos. Accedit, quòd Procerum multi decedere aliquid ſibi credunt, cùm quis extra ſe ſuoſve de Regiâ plenior abit. Sic neglectâ virtutis familiâ, diſpenſant animum Principis, interdum neſcientis, per ſuam clientelam. Longè aliud facturi, ſi candidè dominum amarent, imò [1] mediusfidius, ſi ſeipſos ſapienter. Nam quid illuſtrius, quàm publico ſumptu homines ad ornatum ſeculi editos in clientes ſibi parare; dubitaturos certè an Regi plus debeant, an illis per quos ad hæc bona producti ſunt? Ridere mehercule ſoleo illorum cæcitatem, qui non curant à literis eam laudem impetrare, quæ eorum voluptatibus opibuſque ſuperſtes ſit; & quam niſi avidè ambientibus concedi non oportet. Nam ut eruditi non placent qui precio conducuntur, ut extollant immerentes; ita æquiſſimos puto qui non dignantur ſuis præconiis faſtidioſam ſuperbamque virtutem, aut denique ignaram quantum ſibi literarum favore præſtetur.

Quòd

1 *Mediusfidius.*] Juramentum. *Fidius* Jovis filius, à fide cui præeſt. *Medius Fidius*, id eſt, me Deus Fidius adjuvet, per apoſiopeſin.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Quòd ſi ejuſmodi apum mella non placent; ſaltem non ſunt excitandi aculei injuriâ vel contemptu. Unus enim ſive literarum ſive militiæ peritus, quàm ſæpè privatam injuriam publicè ultus eſt? quàm ſæpè unus vicit, unus partes inclinavit? Ejuſmodi capitibus ſolent populi plures inſtar hoſtiarum mactari. Abſit omen; nec & Sicilia ſentiat Poliarchum eſſe iratum. Ille enim aderat ultro Regi; ut eo offenſa ſit gravior, quòd non modò non quærere, ſed nec ferre potuimus hanc virtutem. Equidem neſcio ſanioribus Optimatum ac præcipuè advenienti hodie, ut ferunt, Ibburrani, quâ ſe ratione Meleander excuſet. Ille enim quia externus eſt, dignitatis præterea ſuæ & familiaritatis jure, liberiùs hunc caſum audebit apud Regem accuſare.

CAPUT XI.

ARGUMENTUM.

Dum Archomb. & Arſidas inſtitutum ſermonem proſequuntur; Ruſticorum turba ad ædium fores intonat. Timoclea ſubito metu trepidare, Archomb. vero quem Ruſtici Poliarchum eſſe putant, enſem impigre ſtringere: ſed Arſidas continet irruentem, & eodem authore in cuſtodiam iſtorum Archombr. ſponte concedit, dum facto mane ad Regem unà pergerent.

QUAMQUAM ea probabantur Archombroto, tamen Arſidam in hos prolixiùs ſermones delapſum dolebat; libentiùs ab eo accepturus, quibus moribus Siculi viverent, & quæ ſtudia maximè vigerent in Regiâ. Nam & memor à Poliarcho præcipua nomina audiſſe, quæ tunc ſuis virtutibus aut vitiis inſignia eſſent, de illorum nonnullis ardebat percunctari. Cùm igitur Ibburranem Arſidas nominaviſſet, occaſione arreptâ; Quis autem ille vir, inquit, & quæ illum virtutes vobis commendant? Tum Arſidas; Ille quidem in Lydiâ natus eſt, ait, & ſolâ amicitiâ nobis junctus, quam Meleandri humanitas curioſè ſancivit; cæterùm dignus quem omnium gentium vota

vota optent in civem. [1] Ex vetuſtâ nobilitate Lydorum eſt; & inter negotia eductus, lætum animum, rebuſque maturum, diſciplinis ac ſolertiâ implevit; cumque accederet opulentiæ vis, omnes honeſtatura dignitates, cœpit juvenis fungi muneribus quæ ſunt in deorum cultu eximia. Paulò tardiùs tamen quàm ſperaverant amici [2] ad purpuram venit; quam multorum opinio illi cum lanugine deſtinaverat. Sed ad gloriam fuit priùs dignitatem mereri, quàm habere. Inde [3] Tribunalia, legationes, provincias obivit; ne quære quo genio: Par illi ubique æquitatis & clementiæ fama. Et quamquam ſplendido cultu, atque in egentes profuſo, patrimonium vexabat, ea fuit integritas, ut non modò à peculatu abeſſet, nec venderet judicia (à quibus vitiis abeſſe nunc magnum putatur) ſed nec oblatis Regum muneribus, quæ cæteri ambiunt, libertatem donaret. Illi animus ſimul hilaris & ſeverus, prout in virtutes offendit aut vitia. [4] Muſas autem, quia eum amaverunt, adeò in ſummâ fortunâ non deſpicit, ut ſæpe eas admittat in ſecretum, referatque deinde amœniſſimo ingenio quæ illæ dixerunt. Itaque [5] ad eum tanquam Apollinem coëunt quos alta & innocens laurus ſupervexit vilibus mortalitatis curis. Ne quid verò ipſi Numina negarent, ſanguine proximos iiſdem moribus in ſuavitatem charitatis ſic junxere, ut & totam familiam templum putes; & non ſine præſagio [6] majores ſuæ ſtirpis

1 *Ex vetuſtâ nobilitate Lydorum.*] Tuſcorum Encomium Cardinalis Barberini, poſtea ſummi Pontificis.

2 *Ad purpuram.*] Cardinalatum.

3 *Tribunalia, legationes, &c.*] Averrionenſi in urbe, Legatus Pontificius.

4 *Muſas autem non deſpicit.*] Urbanus octavus factus Pontifex, bonarum artium ſtudia non modo non neglexit, ſed etiam coluit & aliqua monumenta publicæ luci dedit.

5 *Ad eum tanquam ad Apollinem coëunt.*] Ἀλληγορικῶς. Doctiſſimi quique hunc tanquam oraculum & ſcientiarum theſaurum conſulunt; Apollo enim Muſarum præſes. Laurus pro Doctrina ſumitur, tum quia ſacra eſt Apollini, & in Parnaſſo frequens; tum quia lauro coronantur, qui humanioribus artibus excellunt. Innocens dicitur, nam Divo Hieronymo teſte, *ſi non vis amare carnis vitia, ama ſtudia litterarum.*

6 *Majores ſuæ ſtirpis ſymbolum apes feciſſe, ex quibus nec aculeos.*] Carmen à

 Gallis

ſtirpis ſymbolum apes feciſſe; ex quibus pro merito atque temporibus, nec aculeos, nec ſuavitatem deſideres. Cæterùm toto hoc triduo apud Lycogenem fuit, de pacis conditionibus acturus. Re perfectâ hodie à Rege expectatur.

Colloquendi ſuavitas in aliquantum noctis ſermones extraxerat, jamque cœna Matronæ officiis cumulata vocaverat convivas; & illi inter epulas tanquam proſperis rebus (nam Poliarchum fidebant innoxie avehi poſſe) curas lenire inceperant. Sed adhuc [1] circumferebatur mulſum, cùm ruſticorum hominum turba ad ædium fores periculoſiſſimâ immanitate detonuit. Rogabat oſtiarius furioſos, jubenteſque intromitti, ut paterentur rem dominæ nunciari. At illi faſtidioſo nutu ſe cum imperio venire reſpondent. Simul his, fores in terram aſſulatim arietant, irrumpuntque vecordes. Tela quoque, quæ ſingulorum conditio, caſuſve obtulerat, ſuperbè ſuſtulerunt. Nam juſta arma nemini erant. Ubi verò in triclinium intravere, Timoclea quidem ſubito metu contabuit; Archombrotus autem & Arſidas ſe de thoro præcipitant, ſuggeſtoſque à famulis enſes impigrè ſtringunt, ſi peterentur eâ rabie, non facili aut inulto exitu perituri. Publici verò motûs origo hæc erat. Mulier ex vicino oppido, eo die in Timocleæ domo verſata, cùm vidiſſet ignotum ſuis oculis Gelanorum, percunctata quis eſſet, audiverat Poliarchi ſervum eſſe. [2] Feſtus Cereri dies erat, & ex vicinis mapalibus multi agreſtes in oppidulum, quod Phthinthia

Gallis ſparſum in vulgus, de apibus, gentilitio ſtemmate Urbani octavi:

Mella dabunt Gallis, Hiſpanis ſpicula figent.

Reſpondet Hiſpanus:

Spicula figentes & vita & melle carebunt.

Concluſit Pontifex:

Mella dabit cunctis, ſed nullis ſpicula; quippe
Rex generoſus apum ſpicula nulla gerit.

1 *Circumferebatur mulſum.*] Ex vetuſtiſſimo vino & optimo melle. Confert ægrotis, inquit Dioſcorides & Plinius, lib. 9. cap. 19. vocatum eſt OEnomeli.

2 *Feſtus Cereri dies erat.*] Nam in Sicilia præcipuo cultu celebrabantur nocturna Cereris ſacra in memoriam facum, quas in Ætna monte orba Ceres accendit. Vide ſupra.

1 *Cum*

thia dicebatur, convenerant. Illuc cùm rediiſſet mulier, acceſſiſſetque in circulum ocioſè compoſitis, temerè retulit ſervum ſe vidiſſe Poliarchi. Statim audientium unus; quid ſi, inquit, & ipſe Poliarchus clàm illic aſſervatur? Aderat alius audacibus conſiliis præceps, qui rei tam ſeriæ quæſtionem amitti non debere [1] cum ſupercilio dixit. Toti oppido crimen fore, ſi in ejus finibus Poliarchus latuiſſet. Jamque in multos eadem opinio pervaſerat, cùm attollente ſe famâ, & ſubinde majora jactante, jam non quaſi rem dubiam aut quærendam agitantes, certò ferebant, receptatricem Poliarchi eſſe Timocleam: illinc ad publicum judicium eſſe trahendum. Vana eſſe quæ de ejus obitu antè audiverant. Quo indicio id crederent, quem authorem haberent, non curabant, ſciebantve. Et ni dii obſtitiſſent, non erraverat furioſorum conjectura. Adeò ſæpè temeritas, & fortuna, fœliciùs judicat, quàm inter momenta prudentiæ incerta laboranſque ſolertia.

Incaluerat multitudo, forumque tumultuariâ concione impleverat, pro duce pervicaciſſimum ſequutura. Cumque unus inclamaret, nihil eſſe cunctandum, proſiliunt univerſi, & rapta quæ quiſque potuit arma ferentes, effringunt Timocleæ limina, creduntque in Poliarchum incidiſſe. Quippe eorum nemini notus, dicebatur eſſe juvenis, juſtâ ſtaturâ, vultu amœno; & hæc omnia in Archombrotum cadebant; quem & veſtis peregrina propiori ſuſpicione damnabat. Nam Poliarcho, homini extero, eam convenire crediderant. His capti indiciis plauſum fecerunt; & ni vivum tenere voluiſſent, ipsâ multitudine obrutus alienæ invidiæ pœnas luiſſent. Cumque vultu & ferro ſe ad pugnam compararet; tum ille, quem cæteri agreſtes ducem habebant, propiùs menſæ admotus, quæ ſibi, & convivis media erat; Nunc, inquit, ſecundò ſceleſtus es, Poliarche; qui antea Regis iracundiam meritus,

1 *Cum ſupercilio.*] Arrogantiâ, cujus ſupercilium index.

tus, ferrum etiam in nos ſtringis publica mandata obeuntes. Pone ocyùs telum, vinculiſque te dede. Timocleæ eadem pœna erit, quæ te tamdiu incolumem auſa præſtare. Poſt hæc unius verba cæterorum clamor increbuit, ſævo confuſoque impetu feſtinari jubentium. Archombrotus, quamquam Græcè ſciebat, tamen in ruſticâ voce nihil aliud perceperat, niſi ad vincula ſe depoſci. Mirari non vacavit, aut quid deliquiſſet rogare in præſenti periculo. Tantùm, juvenili fervore elatus, decrevit inter eorum cædes mori. Sed Arſidas in Siciliâ natus, gnaruſque ſermonis quo ruſtici utebantur, continuit irruentem; &, ſiſte manum, Archombrote, ſiſte, inquit, Quid impari, nec neceſſariâ pugnâ, fruſtra inter iſtos fortitudinem conſumis? Ergo te vincent indigni quos ſuperes? & vel mortem vel victoriam maculabis ignobilitate certaminis? Neque in te adornantur hæ minæ. Poliarchum ſiquidem quærunt. In illum deinde converſus, qui ſubito imperio ferox turbam ducebat; nihil tumultu benè agi admonuit. Cur illa multitudo priùs iraſcebatur; quàm ſe, vel Regem ſpretum ſciret? Adjecit præterea blandimenta; nec ſe ſcilicet dubitare, quin ex illius, cui loquebatur, nutu cuncta penderent. Si ei placeret ſaltem brevem quietem imperare, parituros univerſos. Delinitus ruſtici animus inſuetis ſibi honoribus fuit, ſilentiumque lictori quàm duci ſimilior indixit.

Deſinebat in fremitus ſævientium murmur; cùm interrogavit Arſidas quæ cauſa tantum vulgus in arma exciviſſet; reſponditque ille anteſignanus ad Poliarchum comprehendendum ſe veniſſe. Tum verò Arſidas ſanctiſſimè dejerare, non adeſſe Poliarchum; [1] nec, quod ſciret, luce frui. componerent animos, piâ quidem, ſed cæcâ & præcipiti devotione ad obſequium Regis actos. An neminem inter illos noviſſe Poliarchum? frontem,

1 *Nec luce frui.*] Nam Poliarchus latebat in opaco ſpecu.

1 *Epi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tem, os, oculos hoſpitis, quem malè vinculis deſtinabant, omnino divertere. Modeſtiſſimi agreſtium ſibilis exceperunt hanc vocem; cæteris iracundia rediit, & diripiendum Regis hoſtem conclamaverunt. Ægrè tandem redditâ pace, cùm Arſidas diu ſignificaſſet ſe iterum velle audiri, in eundem intuens ducem; Vide, inquit, ne flagitii author ſis. Hunc externum nefas eſt violari. Quòd ſi adeò ſedet, injuriâ immerentis probare veſtram fidem; ſanè in veſtram cuſtodiam concedat, eâ lege ne manicas, ne compedes detis. Ubi illuxerit, perducatur ad Regiam. De causâ qui periti ſunt cognoſcent; neque fugiet pœnas, ſi meruit. Timoclea cum cuſtodibus quantum prohibendæ fugæ ſat erit, hic ſervetur, donec conſtiterit eſſe nocentem. Tu, qui potes, à cæterâ in hanc domum violentiâ abſtine oppidanos. Hoc & fidei in Regem, & prudentiæ erit. Deliberantibus illis, jam nec tractabilis Archombrotus Arſidæ erat, negabatque deditionem ſibi placere. An ſe enim ruſticis & furentibus pariturum? aut quæ ſævæ multitudinis fides, in quâ, cùm fervet, cuilibet impune peccare eſt? Sed ad genua advoluta Timoclea, elatum animum multo gemitu frangebat; neque perplexâ ratione Arſidas diſputabat, hanc unam ſalutis viam eſſe, ut ad Regem ſe duci pateretur. Nam cur mori placeret? aut quod ſolatium cladis eſſet, incondito tumultu (quod dii nefas averterent) indignè pereunti?

His parumper utrinque jactatis, ille æſtus, ac veluti procellæ vis ponere cœpit. Nam & Archombrotus monenti Arſidæ paruit, & mitigata plebs erat, quòd non tantùm non contempta, ſed & viciſſe videbatur. Tum verò proſequuta concordiam efficaciſſimâ benignitate Timoclea, totos utres juſſit in medium proferri, prodigique veterrimum vinum; multo quoque [1] epityro agreſtes excipiens. Illi ſe in excubias partiti, obtinebant ſtationes.

1 *Epityro.*] Caſei, aut cibi caſeati genus eſt, olim Siculis uſitatum. Plaut. in Milite; *ſi unum epityrum edam apud illam.*

nes. In Archombroti cubiculo, circa acquieſcentis lectum, octo in comportatum ſtramen jacebant: totidem in limine cellæ, in quam Timoclea ſeceſſerat. Cæteri in triclinio, aut veſtibulo ædium ducebant pervigilio ſimillimam noctem; niſi cùm temulentis ſomnus irreperet. quo plerumque jacebant captivis ſuis faciles, ſi fallere aut nocere voluiſſent. Sed ſi fugiſſet Archombrotus, id in Timocleæ caput erat, omnibus Poliarchum evaſiſſe credituris.

CAPUT XII.

ARGUMENTUM.

Nuntiat Arſidas Argenidi Poliarch. eſſe incolumem, venturumque ſi ipſa juberet ſed ſub capillo aſcititio: nec omittit de ruſticis dicere, qui amœniſſimum juvenem, maximâque in Poliarch. fide, pro ipſo Poliarch. ad Regem ducturi ſunt. Vix à ſecreto Argenidis Arſidas dimittitur, cum inconditi homines intrant, medium Archomb. latè ſtipantes.

CÆTERUM extra illorum curam Arſidas erat, quem neque Poliarchum, neque ædium dominum eſſe conſtabat. Is communicato cum Timocleâ conſilio, in cellam ad quietem proceſſit, unde aditus ad Poliarchum ferebat. Inde munitis cubiculi clauſtris, in ſubjectam ſpecum deſcendit, veſtes, quas Poliarcho mutando matrona paraverat, ferens. Is ut ſolum Arſidam vidit, interrogare, non ſine præſagio mali cœpit, cur Archombrotus, cur Timoclea, non adeſſet. Et ille furorem ruſticorum, periculumque Archombroti narravit, ad omnia verba horrenti, donec eum comperit eſſe incolumem. Tum verò circumpoſito ſibi ornatu quem mittebat Timoclea, multùm Arſidam oravit, ut ad Argenidem primo mane properaret; inde ad ſpecum cum virginis mandatis, ubi illa juſſiſſet, fide eadem & diligentiâ rediturus.

Cùm haud modicam noctis partem poſuiſſent in illis ſermonibus, redit in thalamum Arſidas, momentaneam quietem petiturus. Sed marcidæ voces, & ſtertentium

rauca

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

rauca ebrietas, interpellavere ſomnum; ut denique abjectâ ſoporis ſpe, riſu irato malediceret ludicris militibus, excitatiſque eorum præcipuis, ad regiam ſe ire moneret; ipſi ubi placeret, cum Archombroto ſequerentur. Iter erat duodecim millium; quo ſtrenuè confecto Aulam intravit, cùm vix pauci ex Argenidis familiâ evigilaſſent. Illa noctem turbulentis cogitationibus non ſine Seleniſſæ horrore exegerat; quæ memor furoris pridiani, & ad omnem inquieti corporis motum pavens, ſurgebat ſubinde de ſtrato, & quis miſeræ ſtatus, quis impetus eſſet, anxiâ contemplatione quærebat. Adhuc in illis erat officiis, cùm Arſidas miniſtros excitavit, rogavitque ad Seleniſſam intromitti. Rem ipſi ad ancillas detulerunt; & una, cui licebat, reſerato Argenidis thalamo, in quo Seleniſſæ ſtratum erat, adeſſe Arſidam, & matronæ colloqui velle dixit. Ipſum diei tempus nondum ſalutationibus maturum, (cùm præterea ſciret, charum imprimis Arſidam fuiſſe Poliarcho) facilè perſuaſit de rebus quæ tantopere turbabant aliquid nunciaturum adveniſſe. Sed ſi triſtia afferebat, nefas erat ſcire Argenidem. Itaque Arſidam in proximum conclave matrona duci jubet, eoque proceſſit, vix ſatis interiori tunicâ circumductâ, & ubi ſoli fuerunt, prior ſic orſa eſt: Scio venire te de Poliarcho dicturum. Age modò; vivimus, Arſida; an cum illo periimus? Non tulit Arſidas diutiùs anum ambigere; & verò Poliarchum incolumem eſſe; ab eo ſe ad Argenidem advenire. Turbata gaudio Seleniſſa præcipitem Arſidam in Argenidis thalamum trahit, cumque ſe apud humilem thorum reclinaſſet in genua, nihil circuitu uſa eſt, (neque enim dandi gaudii feſtinatio ſinebat) ſed, vivit, ô domina, inquit, valetque Poliarchus. Sponſor tuæ ſalutis Arſidas adeſt. Argenis conſumptis lachrimis penè exanguis, & tunc fortè cùm advenit Seleniſſa, doloris quoque oblita, languerat; cùm repentinâ conſolatione icta, periculoſiùs celeritate gaudii, quàm antea dolore oppreſſa eſt. Ubi verò reſpi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ravit; dicere Arſidam jubens; reſedit in thoro, avideque in eum intuita, cùm audiret Poliarchum ſalutem illi dicere, effugiſſe inimicorum manus, & tutiſſimo ſecreto latêre, ita exiliit, ut tamen nondum excuſſo metu ſubinde cogeret jurare Arſidam vera eſſe quæ afferret. Ille, venturum quoque Poliarchum affirmabat, ſi ipſa juberet: barbâ capilloque alieno notos vultus condidiſſe; veſtem quoque indutum quæ imæ ſortis hominem deceret. Nec omiſit de ruſticorum vi dicere, qui pridianum convivium turbaverant; ut furere, ut mitigari cœpiſſent, ut amœniſſimum juvenem, & maximâ in Poliarchum fide, pro ipſo Poliarcho ducturi eſſent ad Regiam. Hæc non ſemel narrari Argenidi ſatis erat: quæ tandem ire Arſidam ad Meleandrum jubet, & de agreſtium adventu nunciare; ne venienti Archombroto quicquam durum indignumve accideret. His curatis ad ſe redire; interim quid agere, quò ire, Poliarchum præſtaret, ſecum agitaturam.

Vix à ſecreto Argenidis dimiſſus Arſidas erat, cùm urbem inconditi illi ex agris homines intravere, medium Archombrotum latè ſtipantes: & militibus qui in ſtatione erant, quid vellent afferrentve rogantibus, Poliarchum à ſe captum, ad Regem adduci retulerunt. Simul his intra mœnia recepti ad arcem venere, à quâ objectis clauſtris excluſi, cùm ſciſcitaretur Eurymedes qui eſſent, quemve quærerent, eodem errore dixerunt, ad Regem ſe venire tradituros Poliarchum. Hoc audito ſimul lætus Eurymedes, quòd viveret Poliarchus, ſimulque de amici periculo anxius, petiit ſibi Poliarchum monſtrari. Illi totis manibus Archombrotum indicaverunt. At Præfectus in ignoto ſibi vultu non hærens, negavit eum eſſe quem dicerent. Jamque ſuſpecti erant, & arma ponere jubebantur, verente Eurymede ne ſubornati à *Lycogene* venirent. Sed in Archombrotum præcipuè intuens; quæ hæc autem eſt fabula, inquit, ô juvenis, aut cur te Poliarchum

eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

eſſe aſſimulas? Tum ille, Se verò neque unquam ſimulaſſe, neque ſponte hoc perductum comitatu proceſſiſſe ad Regiam. Sibi errorem ruſticorum fraudi eſſe non debere. Dum inter hos ſermones ſunt, interim aderat Arſidas, & imperante Meleandro omnes produxit in atrium. Ibi Cleobulus regiorum conſiliorum Præfectus, Regis nomine ita locutus eſt jam gnaris ſe erraſſe, ut Principem præſtitæ fidei memorem abundè promitteret: ſervarent ad omnia animum, atque manus, quæ præterquam Diis & Regi nihil debebant. Deinde Archombrotum, ut erat imperatum, duxit ad Regem. Quem ille poſtquam idoneo geſtu cultuque propitiavit, ita exorſus eſt: Abſit omen (Rex) quòd reus tuos oculos primùm ſubeo. Summum votorum fuit ad tuam regiam pervenire. Hoc conſilio & patriam reliqui, & Siciliam, tanquam terrarum omnium te rectore fœliciſſimam ſequutus ſum. Cæterùm quamquam in conſpectum tuum prodire his authoribus noluiſſem; non hæc tamen ſine deorum mente contigiſſe crediderim. Quantum intelligo, Rex, nemo tuis rebus Poliarcho addictior fuit, nemo bellicâ laude præſtantior. Cur non glorier viſum eſſe me dignum, qui ejus vicem ſubirem? Certè ut de fortitudine concedam; ita præſtabo, ne in te colendo diligentior fuerit. Nec contumax iſta de Poliarcho eſt mentio. Accuſatum quidem ſcio: ſed adhuc indemnatam memoriam fas eſt apud te laudare, & tueri. Quòd ſi armis meis, & manibus, uti placebit, intelliges viliorem mihi vitam imperiis tuis eſſe.

Hæc & ſimilia diſſerente Archombroto, Meleander avidiſſimo vultu in eum hærebat. Juventus, & ſpecies oris, tum luminum vigor, neque triſtis aut inepta modeſtia, conciliabant dicentem. Utque deſiit loqui, Rex primùm gratias egit, quòd ad ſe divertiſſet; experturum omnibus officiis, nullos ſibi chariores, quàm qui ab externis regionibus virtutem non debitam, natamve Siciliæ,

ultrò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ultrò afferrent: [1] ſimul porrectam dexteram Juveni tradit, quam ille ſubjectâ manu excipiens, quaque licuit pronus, oſculo preſſit. [2] Receptus eſt deinde in amplexum, (nam Rex ſumma de eo augurabatur) ſed de genere, & patriâ poſtquam rogatus eſt, nihil aliud retulit, quàm ſe natum in Africâ. eoque intentiùs erecto Meleandri ſtudio, haud quicquam ulteriùs potuit ab obſtinato extorqueri. Saltem cùm ambitioſiùs rogaretur, unde illi cum Poliarcho neceſſitudo; gentiles, an cognati; an duntaxat eos amicitia junxiſſet? omnia, præter Timocleæ furtum, nihil diſſimulatâ oratione expoſuit.

CAPUT XIII.

ARGUMENTUM.

Nova Ruſticorum turba Heraleontem vitio mentis lapſum pro ipſo Poliarch. ad Regiam ducit. Ad primos rumores capti Poliarchi Argenis concutitur; donec fabulam ipſa cum aliis ridet. Nam mox Heraleon ad genua Regis procumbere, veniam petens quaſi ipſe eſſet Poliarchus. Tandem ſolutum metu hominem Rex jubet abire.

CUM deinde de violentiâ agreſtium inter jocos ſermo eſſet, Rex ipſe conjecit, præter vultum & ætatem Archombroti, peregrinum quoque cultum errori ſuffeciſſe, viſumque inexpertis hominibus, quia Poliarchus erat externus, eum in externâ veſte ſolere. Atqui, refert Archombrotus, non committam amplius patrii habitûs vitio plecti. [1] Addam tunicæ pallium, & tranſibo in mores eorum, quibus hîc imbuendum animum trado. Tum Rex; Imò expecta donec magis placeamus, & conſuetudo inſolen-

1 *Simul porrectam dexteram Juveni tradit.*] Fides in dextra. Sic enim in fidem recipi credebatur. Infra, *In amicitiæ teſſeram manum amplexus eſt.* Tacit. lib. 1. Et Æneid. 3.

Ipſe pater dextram Anchiſes, haud multa (moratus
Dat Juveni, atque animum præſenti pignore firmat.

2 *Receptus eſt in amplexum.*] Salutatio inter æquales, cujus poſtea rationem ſubjicit, quippe ſumma Rex de Archombroto augurabatur.

1 *ADdam tunicæ pallium.*] Nam tunicati ſunt Africani, Siculi vero palliati, unde palliatæ Comœdiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſolentiam noſtri cultûs apud te mitigarit. Nunc quidem tibi novi videmur; places tibi plenus veteri conſuetudine, necdum ex animo imagine populi tui deletâ. Sed poſtquam impleverit mentem noſter aſpectus, miraberis te diverſum, & ferre non poteris. Equidem memini, & cùm juvenis tranſirem in Africam, riſiſſe me diſpares à nobis amictus; cumque deinde illos uſu probaſſem, rediiſſemque in Siciliam, non minori aſpernatum faſtidio patrias veſtes; donec has rurſus mihi patientia videndi conciliavit. Adeò nihil eſt injuſtius, quàm damnare quæ ipſi non facimus, aut vidimus; ſi præſertim totæ gentes in illa conſenſerint. Cùm enim ipſo tempore iis placemur, apparet non vitio ſuo, ſed ignoratione noſtrâ, diſplicuiſſe primùm viſa: & præterea cogitandum eſt, congruentes ſuis ſedibus amictus atque mores ſingulas gentes habere, quos & tibi inſinuabit genius regionis, ſi illum juſtæ moræ experientiâ conceperis. Nihil te ergo, præter virtutem, aut vitium, magnopere moveat in tuâ gente vel exterâ. Velim tamen tuos ad mores atque uſus, mi hoſpes, hîc omnia tibi procedere.

Dum hæc loquitur Meleander, & ſenili ambitione philoſophatur, interim Arſidas haud ægrè ad Argenidem delapſus eſt; laudavitque Archombrotum, qui primò cum Rege congreſſus, Poliarchi mentionem cum honore intulerat. Sed cùm avidiſſimè à virgine & alumnâ hæc hoſpitis audiretur conſtantia, ſubitus per thalamum rumor fuit, correptum Poliarchum in vinculis eſſe, & ad Regem deduci. Nec territa Argenis, ſcilicet rata de Archombroto imprudentibus eſſe ſermonem, ſuſtulit cum aliquo riſu vultum, & errorem deponerent juſſit; qui ad Regem erat adductus, alium à Poliarcho eſſe. Excepit ſermonem Virginum una, dixitque longè aliud quàm quod ipſa crederet, jam afferri. Scire omnes externum juvenem, quem ruſtici homines produxerant, non eſſe Poliarchum. jam verò certiori rumore conſtare, Poliarchum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

chum è ſpecu, in quâ mutatis veſtibus latebat, ab aliis agreſtibus erutum, trahi ad Regem. Qui id nunciarent præmiſſos, ad aulam perveniſſe. Hoc fulmine attonita Argenis, tamen vix horridiùs, quàm aut Arſidas, aut Seleniſſa, contremuit. Et Seleniſſa quidem ſilentium tenebat. Sed. Arſidas ad aurem Argenidis demiſſus; Vicit, inquit, noſtras artes fortunæ malignitas. Actum eſt, Domina; niſi palàm audebis Poliarchnm defendere. Poſtquam ſpecum audivi, cultuſque mutatos, non dubito quin vera calamitas nuncietur. Et illa velut ultimis & laceſſentibus malis robuſtior facta; Cùm, inquit, referretur de obitu Poliarchi, Arſida, res non minùs ſolatio videbatur quàm ſpe carere. Solis luctibus tantos luctus proſequi tunc licebat. Nunc cùm vivere poſſit, & periturus timeatur, nunquam dignâ pœnâ defungar, niſi vel diligentiâ meâ vivat, vel ego in illius malis conſumar. Ibo ad patrem; ſilentium pro crimine eſſet. Sciat tandem, quid debeat Poliarcho. Solatio erit, ſi nos perditos dii volunt, nihil omiſiſſe virtutis ad ruinam eluctandam. Seleniſſa audaci conſilio perterrita, verebatur Regis iram, [1] ſi quæ tam diu ipſa ſiluerat Argenide profitente cognoſceret. Sed nec diſſuadendi locus, nec ratio erat. Omnia fortunæ credi oportuit. Jam enim ad Meleandrum Argenis corripuerat gradum, paucæque ex comitatu primùm, ut in re improviſâ, mox & ipſa ſequuta eſt.

Rex tunc fortè erat in hortis, & ipſe de Poliarcho ſollicitus, quem conſtans fama erat, eſſe in vinculis. Miſerrimus ſenex, & nunquam quietus à fortunâ. Quid diceret, faceretve? Omnia adverſa, omnia in novos dolores compoſita. Propè biduum erat, ex quo tanquam mortuum ſic apud ſe defleverat, ut perfunctus videretur officio, & culpam abluiſſe. Nunc de integro quæſtionem fata reduxerant, malletne peccare in juvenem, an coëuntem

Siciliæ

1 *Si quæ tam diu ſiluerat.*] Nempe quæ geſſerat Poliarchus ſub habitu Theocrines.

1 *Quaſi*

Siciliæ pacem intutiſſimâ æquitate reſcindere. Jamque qui acerbiùs oderant Poliarchum, frequentes convenerant, dicebantque eo juvene vivo nihil in Sicilia firmum fore. Aderat Archombrotus, Regiſque vix minùs quàm Poliarchi miſertus, expectabat donec erumpentibus hominum ſtudiis, poſſet amicos Poliarchi dignoſcere. Paulò antè advenerat Ibburranes, & cum Dunalbio paris dignitatis Antiſtite, qui tunc erat in Aulâ, cogitabat de patrocinio Poliarchi. Cùm certatim decedentibus cunctis, ſubita Argenis ad Regem procedit; ita dolorem adgubernante prudentiâ, ne priuſquam res poſceret, ſuam cauſam vellet orare. Securitatem faciebat deſtinatus niſi vinceret interitus, oculiſque in hoſtes Poliarchi circumlatis, acriùs ipsâ æmulatione accenſa eſt. Nemo illic mediocriter Poliarcho vel infeſtus, vel propitius erat.

Ecce autem, dum omnes velut imperato ſilentio in incertos exitus animum intendunt, Eurymedes ſuſpenſis ſupervenit, Heraleontem manu tenens. Hunc lapſæ mentis error notiſſimum aulæ effecerat. Et hic, inquit, nobis eſt Poliarchus. hic ab agreſtibus de fugâ retractus eſt. Tum Heraleon in genua ſupplex procubuit, veniam paſſis manibus petens. Rex jam hilarior, ecquid peccaviſſet rogavit; Nihil, inquit, niſi quòd ſum Poliarchus. Omnibus in riſum effuſis, Rex ab Eurymede petiit, hæc ſerio an joco agerentur. Et Eurymedes; Cùm pro limine arcis ſtarem, illic ut imperaveras Poliarchum, ſi traderetur, excepturus, video ruſticorum magnam turbam Heraleonti circumfuſam. Is qui inter illos videbatur potiſſimus, multùm ſuæ fidei imputabat, quòd diligenter Poliarchum vinxiſſent. Erat autem Poliarchus, Heraleon. Suppreſſo ego riſu, quæſivi quâ fœlicitate incidiſſent in prædam. Qui ex noſtris hominibus primi, inquit, hoc mane ad opus exiere, mirati quòd iſte per invios campos ageret equum, nitereturque in impeditum montem, primùm monere errantem, mox ſequi ſuſpectum, inſtitue-

runt.

runt. Quippe tanquam omnes vitaret, ut in quemque inciderat, avertebat equi veſtigia, quem per tot amfractus cùm ſpiritus defeciſſet, ipſe jam pedes ſpecum in proximo nactus, præceps in eum ſe abdidit. Jam ad ſpectaculum coïeramus multi, & facto agmine in ſpeluncam concurrimus; clamantem horrentemque cùm educeremus, quis eſſet, curve lateret, rogatus, ultrò ſe Poliarchum eſſe profeſſus eſt. Veſtis erat indigna Poliarcho; ſed facilè credidimus cultu mutato aufugiſſe. Neque mora, vinximus reluctantem, & ad Regem, ut vides, reduximus. Cùm ſic ruſticus peroraſſet, laudavi fidiſſimos homines, & ad ſuos agros dimiſi. Hunc autem (Rex) tibi en ſiſto. quod videbitur, in illius caput conſtitue.

Hæc loquente Eurymede, etiam triſtiſſimis aliquem riſum is caſus expreſſerat. Quippe Heraleontem ſciebant affectæ mentis vitio eò prolapſum, ut vulgò ſe eſſe Poliarchum jactaret. Solus erat qui fabulam ignoraret Archombrotus, quem à proximis ſciſcitantem quid negotii eſſet, Meleander ad ſe vocat, & de Heraleonte hæc memorat. Quò magis hunc mirere, Archombrote, cætera ad hunc modum non deſipit. Rem familiarem ſobriè curat, negociorum meminit; in agendo, in colloquendo, non ineptus, niſi ad Poliarchum ſermo flectat. tunc [1] quaſi œſtro perculſum amentia ſua rapit. Se Poliarchum vocari, laudes quæ illi nomini dantur, ſuas eſſe, & in alium iniquiſſimâ ratione transferri. Plùs ſex menſes ſunt, ex quo illi mens laborat ſub hac larvâ. forſitan & accenſis in Poliarchum ignibus ſe quæri putavit, aufugitque perterritus; & imperiti homines, neque vultu, neque inſaniâ æſtimatâ, pro eo, quem ſe eſſe ajebat, indignum mulctaverunt. Sed ipſum ſi lubet audiamus. Dic verò, Poliarche, quæ te res adegit ad fugam? At Heraleon; quid te autem, Rex,

1 *Quaſi œſtro perculſum.*] Furore & amentia. Juno in pellicem Inachidem immiſſo œſtro, egit eam in furorem. *Poëtæ furore correpti, œſtro perciti dicuntur*, inquit Plinius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Rex, ut fugere me cogeres? Ex notis ignotiſque nemo fuit qui conſilium latendi non laudaret. Sub hac veſte quam ſqualidam mihi impoſui, credidi fugam bene texiſſe. O ut nunquam fuiſſem Poliarchus!

Avertit ſe riſurus Meleander; qui ſubitâ deinde naturæ humanæ miſeratione commotus eſt, quam præter fortunæ injurias, nec ſufficiens tot cladibus corpus, adhuc præcipuâ ſui parte tot mala exercerent.

CAPUT XIV.

ARGUMENTUM.

Illuſtri ſermone diſcutit medicus inſaniæ cauſas, & qua ratione Heraleon, quoties ad unum Poliarchum ſermo flectitur, à ſana mente diſcedat. Sed diſceptationem abrumpit adventus Lycogenis, quem Rex ſolita humanitate excipit.

1 ADERAT Regis medicus, quem Philippum appellabant. Is parum rogatus, intemperiem cerebri faſtidiosè deſcripſit, quæ veluti ſummam mentis intactam relinqueret, partemque duntaxat compleret amentiâ, quod Heraleonti accidiſſe multi ſtupebant. Sunt, inquit, in ejuſmodi hominibus laxa cerebri clauſtra, ſuâque tenuitate nimis apta recipiendis imaginibus rerum, quas vocamus phantaſias. Has in rarâ illâ ſubſtantiâ, & ſuâ levitate quocunque impellatur obnoxiâ, ſemel impreſſas, ideò delere eſt arduum, quia ut plurimùm aliquâ ſuavitate placent, & præterea veluti intingunt animum, non aliter quàm per vehementius ſuccedentes diverſarum rerum ſpecies in alios colores abiturum. Vix eſt igitur ut illa ingenia unquam vacent; ſemper immodicè ex irruentium cogitationum impetu aut ægra aut hilaria. Quòd ſi in aliquem potiſſimùm affectum iſti homines cœperint inclinare, hunc aſſiduum habebunt in animo, hunc præſentem mentis

1 A*Derat medicus Regis.*] Egregio ſermone variè affecti cerebri qualitates deſcribuntur, maximè unde fit, ut quis agendo loquendove non ſit ineptus, niſi ad unum ſermo flectatur. Habes autem ejuſdem nominis Medicum Alexandri apud Quintum Curtium, & Plutarchum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

mentis oculis dulci ſtudio alent; ſeu ille ſuperbia erit, ſeu habendi cupiditas, aut impatientia ultionis, aut quicquid aliud turbidæ cupiditates nobis objiciunt. Ita ſpontè inclinati, ſi vis aliqua vehementior in eam partem ingruit, facilè perturbantur; ut quod diu eſſe voluerunt, tandem eſſe exiſtiment; nec jam illæ in domito & aſſueto animo imagines, rem ut optabilem, ſed ut veram & præſentem figurent. Vis autem hæc vehemens, vel ex creſcenti habitu eſt, & in dies graviùs premente; vel ex ſubito impetu, qui ingens & improviſus occurrat, impleatque tanquam turbine laceſſita ingenia. At cur, inquis, ſic mentes affectæ in totum ejuſmodi tempeſtate non pereunt? Faciunt verò ſæpiſſimè; ſed & interdum ſola illius rei contemplatio quæ in animo nimia fuit, peccat; nam ut membra jam ſpontè imbecillia, haud rarò profluentium humorum vim ſic in ſe derivant, ut ex morbo nihil ſuperſit, quod ſynceras partes afflet; ſic iſte Heraleon, & ſi quos non injucundæ amentiæ ſocios habet, conſumpto in cupiditatum unâ ingenii vitio, quo aliquid nimis velle cogebantur, pacatiùs, & propemodum ſine præjudicio, res alias intuentur, intelligunt; denique humano more vivunt: ut pleriſque mirum ſit, quòd aut inſaniam reliqua prudentia, aut hanc illa non perdat. Adderes, ſubjungit Meleander, vix mortalium ulli peperciſſe hoc genus inſaniæ. Quotuſquiſque aliquid ſibi non fingit periculoſius, ſtultiuſque, quàm ſe eſſe Poliarchum? Hic deos non eſſe, hic omnia eſſe deos, aut nihil voluptate precioſius, aut inulta numinibus facinora eſſe. Pauci denique Heraleontem non ſuperant; niſi quòd tectius, aut magis ad genium vulgi furunt. eò quoque lachrymis digniores, quòd excutere dementiam nolunt; iſte non poteſt.

Inter hæc jacebat ſupplex Heraleon, ab averſo Rege ratus de ſupplicio ſuo agi; nec defuere qui revocarent Meleandrum ad jucundum ſpectaculum tam vana metuentis, ſcenamque ornabant, hi tanquam orarent, ut remitteret

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

mitteret pœnam; alii proclamantes ad vindictam. Sed exhorruit Meleander ad Poliarchi memoriam, crudelis ſibi viſus, ſi ejus nomini quem periiſſe ducebat ſuum crimen, adhuc ſuperbæ fabulæ contumaciâ illuderet. Ergo ſolutum metu abire Heraleontem juſſit; cauſatus, ſat nugarum rebus ſeriis obſtrepuiſſe. Nam & nunciabatur adventare Lycogenes; quem ipſe quo vultu exciperet, quibus verbis affaretur, nonnihil cunctatus, tandem in cubiculum ſeceſſit, manuque ad proximam ſellam nixus, cœpit ex compoſito Argenidi loqui. Quippe Lycogenes pauciſſimis familiarium comitatus, iiſque, quò fiduciam ſimularet, exermibus, intraverat Magellam; non conſcientiâ ſuâ, ſed Regis ingenio, & ſuorum ſtudiis, qui circa Regem erant, ſuperbè ſecurus. Vehi quoque curſoriis equis voluerat ad longioris pompæ ſive moleſtiam declinandam, ſive intempeſtivam invidiam. Quidam ex amicis regis, interque eos Timonides, à Meleandro juſſi, tanquam ſpontè ei obviam ire, ab limine arcis ad conclave in quo Rex erat, tumentem deduxere.

Intrat ille, haud vulgari vir ſpecie, quam ingens fiducia augebat; viſoque cum Argenide Meleandro [1] in terram de more ſe demiſit. paulùm inde progreſſus, iteratâ veneratione cunctantes proſequitur. Nec tum quidem Meleander ullo nutu venientem excepit, obliquos in Argenidem vultus, tamquam ſermonis causâ tenens. Sed ut propior Lycogenes intra pauca veſtigia fuit, tum Rex ſubitò porrectiſſimâ fronte in illum aſpiciens, [1] petenti genua dexteram dedit; addidit expetitum veniſſe, & cætera quæ in humanitatis pignus omitti non ſolent. At verò Ly-

1 *In terram de more ſe dimiſit. & petenti genua dexteram dedit.*] Mos apud Siculos invaluit: quod tamen objectum Chryſippo, tanquam indignum Philoſopho; ſed, ut ſupra; ille, alios quidem in capite habere ait, Dionyſium vero Syracuſanum in genibus. Etiam apud Perſas Reges adorari, &c. In ſalutando, homines toto corpore procidere invenimus. Quare Thebanus Iſmenias juſſus Artaxerxem adorare, ne contra decus faceret, prolapſum annulum ſuſtuliſſe, & ita adorantis ſpeciem præbuiſſe dicitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

rò Lycogenes inter officioſæ demiſſionis verba nihil artis omiſit, quò altorum ſpirituum retinens, nec vilis eſſet Regi, & factioſorum animis, qui multi tunc aderant, fidem faceret adhuc ſe duce contumaciam belli poſſe reſurgere. Excuſavit breviter neceſſitatem, ut dicebat, armorum, ad quam à ſalutis ſuæ inſidiatoribus eſſet adductus. Se verò nec fœdera, nec publicam fidem, expectaturum fuiſſe, niſi ut ab iiſdem hoſtibus apud Regem tutus eſſet. Meleander non modò abolenda odia retulit, ſed & odiorum mentionem. Poſtero die, in fano Palladis, deos teſtes reconciliationis eſſe futuros. In varios deinde ſermones digreſſi ſunt, utroque potiſſimùm lætitiam, & quæ eſt pervicaciſſima ars Aularum, amorem fingente.

Eurymedes jubente Meleandro, Lycogeni ſuorumque præcipuis prandium eo die inſtruxerat; quoſdam præterea vocaverat meliorum partium Optimates, in quibus & Dunalbius fuit, qui quamquam exteræ gentis homo, nulli Siculorum charitate in Regem cedebat. Erat ille in deorum miniſterio præcipuus; ex Sacerdotibus qui purpurâ veſtiuntur, tantamque dignitatem ornaverat ingentibus animi bonis. Strenuus, & par negotiis; invenire amicitias, & colere optimus; nudis inter ſynceros affectibus. In tantâ fœlicitate naturæ eminebat eruditionis amœnitas, omniumque Muſarum conſortium, quarum nullam factæ illæ ad uſum & negocia virtutes excluſerant. Nec id impunè fuit; ſæpè, ut ſolet, ulciſcente fortunâ in egregio viro virtutis amorem, & ſtudium literarum. Nam & [1] Avunculum olim Regem ſacrorum habuerat, quem ſuos pro merito ſubvecturum, [2] tam ſubito mimo febris eripuit, ut triumphales lucernæ rogi flammas ſpectaverint.

Ab hac

1 *Avunculum regem ſacrorum.*] Leonem XI. qui viginti tantum diebus rexit Pontificatum, unde ſequitur: *Triumphales lucernæ rogi flammas ſpectaverunt.* alluditque ad veterum triumphos & exequias.

2 *Tam ſubito mimo.*] Tam ſubito exitu & cataſtrophe. Allegoricè.

1 *Lega-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Ab hac ſpe dejectus novoque periculo [1] legatus ad exteros miſſus, penè temporum invidiam ſubiit, quia gens illa ſubitis motibus cœpit ardere; ut difficillimum eſſet in turbulentâ tempeſtate aut diviſis placere, aut ab armatis & ad ſua intentis conſilia exigere, quæ ſani dediſſent. Fortiſſimè tamen ad littus enatavit. Tuncque fortè in Siciliâ erat, cùm iſthæc agerentur; amicitiâ, & conſilio utiliſſimus Regi; & in ejus amicis eminebat Nicopompus, quem & Eurymedes ad idem provocavit convivium.

CAPUT XV.

ARGUMENTUM.

Anaximander Ariſtocratiam, & Democratiam Monarchiæ præferendam his probat argumentis: Quod plus vident oculi quam oculus: Quod in diſpenſandis honoribus Reges impetu, non electione ducantur: Quod juventus ad magna audenda magis ſtimuletur: Quod populi ſint ſui juris. Nicopompus hæc argutè ſubvertit: Quod ſub magiſtratu non ſit magis libera plebs: Quod ſæpe invidia populi ignavis faſces deferat: Quod magiſtratus ſint corruptibiles, maxime ſi in parvo ære ſint: Quod ambitus factionum origo ſit.

CUM inter veſcendum multa hilariter referrentur, & occaſione mulſi de apibus mentio eſſet, Juvenis quidam Lycogenis nepos, Anaximander nomine, ſive patruo placiturus, à quo ſciebat regiam poteſtatem oppugnari, ſive jactaturus philoſophiam ſuam, negavit verum eſſe quod de apibus referunt, habere illas Regem: ſed hoc vanæ & facilis antiquitatis eſſe commentum, quæ & [1] canere Cygnos credidit, & formidinis opinione Leones oneravit, qui in Gallos cantantes incidiſſent. Addebat his pleraque ſimilia eſſe, quæ majorum inexplorata authoritas pro veris tradidit famæ. Cæterùm omnia animantia

1 *Legatus ad exteros miſſus.*] Ad Francos; ubi nihil magnæ rei geſſit. Extant aliqua ejus poëmata, ſtylo exarata utique non ignobili.

1 *Canere Cygnos credidit, &c.*] Cantantis Cycni authoritas multa, experientia nulla, quemadmodum & Leonis paveſcentis ad Gallicinium. Etſi dicat Ovidius Metamorphoſ. libro 14.

Carmina jam moriens canit exequialia Cycnus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

mantia ductu naturæ non Regem, aut alieni ſuperbiam imperii, ſed libertatem ſequi. Cùm hæc ille dixiſſet; mox à convivis cœpit vulgare agitari argumentum: ecquod inter homines eſſet æquiſſimum imperii genus. Nec dubitavit Anaximander id præferre, quo Populus, aut verò Optimates potiuntur. Cur enim ex unius hominis libidine omnia pendeant; quem ſi in vitia deflectit, nullus metus aut pudor cohibeat; qui ſævitiâ, qui exemplo, altiſſima reipublicæ vulnera imponat; qui ſic denique patriâ civibuſque utatur, tanquam ſui unius causâ hæc omnia natura produxerit? Quantò verò alacriùs ſymbola in ærarium conferuntur à populo, cùm illa deinde pecunia ſic plurium conſilio atque fide collocatur, ut hanc quiſque de privatis adhuc ſuam jure exiſtimet; quàm ubi ex unius Principis nutu in gratioſos ac ſæpè indignos improvidâ & crudeli liberalitate effunditur? Quid quòd ad reipublicæ uſum ſe plures aptabunt, ingenia excolent, militiam aut eloquentiam ſtudioſiùs perſequentur, denique ſuis civibus ſe probabunt; ubi eorum ſuffragio ſcient eſſe parata virtuti præmia, ſummaſque reipublicæ dignitates patêre merentibus; quàm cùm illas unius domûs ac liminis ambitioſa anguſtia ita diſpenſat, ut vix unquam ex merito, vel publicæ famæ judicio, probis viris aut laborioſis contingant? Num præterea uni Regi tantum ſolertiæ, tantum animi ſupereſſe, ut poſſit æquari tot Optimatum ingeniis, qui in liberis urbibus ad publica conſilia ſolent acciri? Illos quidem & idoneâ ætate, & claris virtutibus deligi; tum virtutis æmulatione, & dedecoris metu, utiliſſima quæque reipublicæ ſentire ac facere. Sæpè autem obſtrepere adulationem Regibus, ſæpè indolem monitoribus non patêre; ac illorum præterea mentes quamvis egregias atque rectas, eo ipſo corrumpi, quòd utcunque præclarè ſe geſſerint, nihil eſt ſublimius quo in præmium rapiantur; nec ſi peccent, ullum tribunal, cui reddant rationem. Nihil denique ajebat ſuavius libertate,

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

aut quod magis cum naturâ conveniat. Hac autem populos frui qui legibus ſuis vivunt, qui magiſtratus facere ac premere poſſunt. Nec verò cùm ipſe hæc dicat, ſe oblitum aut quis ipſe ſit, aut ubi terrarum. Scire ſe ſub Rege eſſe Siciliam; & id cuique genus imperii chariſſimum eſſe debere ſub quo eſt genitus. Verùm ut quibus imbecilla valetudo eſt, corpuſcula quidem ſua amare ac tueri eſt neceſſe; ſed & illis præterea licet aliorum contemplari fœlicitatem, qui firmiori habitu abſunt à morbis; ita ſe regiam dignitatem colere, cui erat naſcendi conditione obnoxius; & populorum tamen libertatem ſuſpicere, qui ſui potentes ſunt. Neque præterea ſe Meleandro injuriam facere; cujus virtutibus ſi ſimiles utique eſſent cæteri Reges, nihil ſe Regibus divinius, aut Regno inter homines utilius crediturum.

Hæc audacter ingerentem Nicopompus non tulit. Vir erat literarum à puero amans. Sed qui ſolis in libris hærere contempſerat. Adoleſcens reliquerat magiſtros;ut in Regum ac Principum Aulis, tanquam in verâ & liberali ſcholâ, tyrocinium poneret publicæ lucis. Ita pari ubique Muſarum & negotiorum ſtudio crevit; genere quoque ac moribus ad ejuſmodi eum vitam ferentibus; & multis Principum charus, ac inprimis Meleandro: cujus tunc, & cæterorum Regum cauſam acturus; Quid faceres, Anaximander, inquit, in populari imperio, qui hîc tantam loquendi ac ſentiendi libertatem uſurpas? Non me hercule tam impunè ſub populo liceret regnum laudare, quàm nunc plebis aut Procerum poteſtatem extuliſti; ut vel inde intelligas, hîc veriſſimam eſſe, illic fucatam libertatem. Nam quòd ad naturam provocas, quæ libertatis amorem animantibus ingenerat, unâ perſuaſeris omne genus imperii abdicandum. Neque enim ſub Republicâ minùs quàm ſub Regno, leges ſunt, magiſtratuſque, quibus obtemperes. Quæ omnia eodem modo aut conveniunt, aut abhorrent, à naturæ libertate. Si contineri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſuâ ſponte intra fines juſtitiæ poſſet genus humanum, tunc in pari omnium pietate non ſupervacua modò, ſed injuſta eſſent imperia, quæ cives jam ſponte æquiſſimos ad inutilem ſervitutem adigerent. Sed cùm ex vitiis mortalium hæc fœlicitas ſperari non poſſit, ea maximè forma regiminis ad naturam accedit, quæ homines vetat extra leges naturæ ipſius, virtutiſque exerrare. Ut non interſit pluresne an pauci imperent, ſed in utro regimine ſanctiùs cives agant. Luſiſti præterea in permiſcendâ populi & optimatum poteſtate, quæ utique diverſiſſima eſt. Tu verò ad fucum & libertatis pompam, populum nominaſti; ad utilitatis verò ſpeciem, retuliſti Optimatum ſolertiam. Atqui ſi reſpublicas intelligis, in quibus ſummum populo jus eſt; quid prudentia illic Procerum poſſit; cùm ſæpè ad imperitos, atque ignavos, populi levitas [1] deferat faſces, cùm factionibus, invidiâ, impetu, rapiantur vulgi ſtudia; & plerumque fuerit ingens virtutis ſpecimen, ab imperitâ multitudine malè mulctari? Sin illuc te refers, ubi Proceres omnia poſſunt; pudeat iſtiuſmodi ſenatui regnum, Anaximander, poſthabere, & multiplicato numero dominorum, augere ſerviendi vilitatem. Nam pro unico Rege tot heros obtrudis, quot illic homines ſenatum conſtituunt. At ſcilicet maturiùs inter multos, quàm Rege ab uno publica expendentur negocia. Quaſi prudentum ſententiis Reges uti non ſoleant; & iſte quem laudas Optimatum ſenatus ſæpè tranſverſus non agatur, dum quiſque proprii commodi ſtudio laborat, vel amore in ſuos, vel in pares invidiâ. Sed enim majoribus præmiis excitata juventutis induſtria (inquis) ad ſtudia & labores propelletur; florebitque illuſtribus reſpublica ingeniis; regna verò tanquam ſtudiis & virtutibus adverſa marcebunt. Quæ autem reſpublica? An illa popularis? In quâ ad ſeditiones,

1 *Deferat faſces.*] Magiſtratus. A faſcibus, qui ante eos per Lictores deferebantur, inſignia & inſtrumenta ſuæ in vitam civium poteſtatis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tiones, ad furorem, ad captandi populi atque fallendi conſilia, aptare ſe ſolent improbæ ac factioſæ mentes, adulatione, obſequio, ſuavitate orandi; in qua denique vix eſt, ut eximia ingenia, & ambitu accenſa, niſi ad publicam perniciem emineant? Sub Optimatibus verò, quid ſpei laborioſis illis hominibus, quæ amplior ſub Rege non pateat? Intra certas (ut noſti) familias atque ſtirpes, includunt hi Proceres reipublicæ munera atque potentiam; ut generi, non virtuti ſerventur dignitates, niſi fortè quædam obſcuræ, & quæ te à ſupercilio nobilitatis non eximant. Et hæc præterea munera ad quæ licet pervenire, an putas in alios dividi quàm in iſtorum potentum clientelas? ne fœliciùs, quàm ſub Rege eloquentiam illic, aut virtutis alia ſtudia; ſed gratiam, ſed amicitias, ſed privata obſequia, valere exiſtimes. Pone verò tam regnum, quàm rempublicam, Principum vitiis tanquam affectâ valetudine laborare; utribi faciliora expectes ad publicam ſanitatem remedia? Nimirum & Regem & ipſius vitia mors ſaltem de medio tollet; poteruntque à ſucceſſoris indole ſperari mitiora. At labem corrupti ſenatus non uniuſcujuſque mors eluit; ſed afflicti ſemel mores in deteriora ſemper labuntur, donec publicam ſalutem ſuo caſu obruerint.

Sic diſſerente Nicopompo, timuit Lycogenes invidiam, quòd ab ſuo nepote oppugnaretur jus regium. Nam & hoc inutile ſuis cœptis facinus erat, qui non delere, ſed habere ſibi regnum optaret. Aliud commodius viſum: quandoquidem ille ſermo inciderat, arguere gentium ritum, quæ uni ſe ſtirpi in hereditatem permiſerant, cæteraſque extollere poſt ſingulorum obitum Regum in comitia & ſuffragia euntes. Et hoc quidem Lycogeni placebat argumentum; tum quod ſceptro Meleandri imminens id poſſe ſe conſequi tumultuariâ populi electione ſperabat; tum quòd illic erat Dunalbius, ſibi protinus ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

credebat aſſenſurus; quia [1] in illo Antiſtitum collegio ſummos ad gradus non hereditate, ſed ſuffragiis itur. Sic igitur exorſus turbavit Nicopompum; Dies abeat, inquit, priuſquam, Nicopompe, quæ in utramque partem dici poſſunt, enumeres. Nam quotuſquiſque Philoſophorum non invenit quæ pro Regibus vel Republicâ diceret? Et tecum quidem ſentio, unius imperio rem communem meliùs geri; illud magis in perplexo eſt, an adigi populum præſtet ad unius familiæ ſervitutem, an jus illi relinquere ex omnibus civibus optimum deligendi. Siquidem in eâ populi libertate, qui regio ſanguine naſcuntur, impenſiùs rectis artibus ſe dederent, certi non antè in ſceptra majorum quàm in virtutes venire ſe poſſe propter quas illi majores regnaverunt. Etiam populo gratias quiſque Regum haberet, memorque ſe ab eo ſubvectum, moderatiùs uteretur creditâ poteſtate. Nunc verò quaſi nata mancipia, ſi ſubimus imperium, ne reſpicimur quidem; ſin detrectamus, pro flagitio habetur. Cùm deinde in infantem, in puerum, in imbecillis animi hominem, ſummam rerum fatorum ludibrium transfert, quid hac luctuosâ ſucceſſione acerbius? Non expectat mehercule civium improbitas donec ille Rex adoleverit; ſed dum ſimplex & inutilis ætas ſuperbè deſpicitur, eæ clades publicè eveniunt, quas deinde vix multorum fœlicitas annorum ſarciverit. Tunc utique omnes regnant, populum omnes deſpoliant; ut nec ſaltem à ſolis calcatus Regibus contumeliæ ſolatium habeat ipſam peccantium dignitatem. Quòd ſi gubernatori navis utcunque præſtanti, filium rudem in ſucceſſionem non ſufficimus; ne quos ille ſervavit, iſte evertat; Nec Philoſophiæ ſcholam proximus extincto præceptori, ſed ſapientiâ ſimillimus excipit: cur regnandi unam hanc artem præceptorum pleniſſimam,

1 *In illo Antiſtitum collegio.*] In electione ſummi Pontificis Cardinalium ſola ſuffragia valent, non jus hæreditarium; unde poſtea: *ſuffragiis Regem ſacrorum renuntiamus.*

niſſimam, & ex cujus erratis omnium pernicies pendet, pueris tradimus; qui ſi hereditatis jure habent, ut regnent, nobis jure eodem ut pereamus relictum eſt? Huic quidem inſtituto ignoſco; ſi putamus populos atque urbes gratiâ Regum ipſorum conditas eſſe. Perdant enim illi quod ſuum eſt; ferantque populi illam ſortem quam numina dederunt. Sin fatemur hanc tuendis gentibus dignitatem eſſe repertam; miror majores non caviſſe, ne ex illâ pejor interdum calamitas eſſet, quam quæ ejus beneficio prævertitur. Sed hæc tibi Dunalbi relinquo exequenda; tu ſanctior nobis author comprobabis eligendorum Principum morem, quem & vos [1] in ſacris comitiis juſtiſſimo ritu ſervatis.

Dunalbius in publicè obloquendo ſemper religioſior, eò tamen devenerat, ut aſſentiri Lycogeni, vel in eum diſſerere cogeretur. Præterea omnium oculos, & maximè Nicopompi, in ſe videbat eſſe intentos. Modeſtè igitur abnuens ſibi placere quæ Lycogenes attulerat, tandem omnium pertinaci ſilentio, ſic eum ad dicendum invitantium, in hanc ſententiam loquutus eſt: Scio te Lycogenes, hæc philoſophandi magis causâ dixiſſe, quàm quòd revera ſic ſentias: niſi id fortè tuæ in nos pietati dediſti, ut quia ſuffragiis Regem ſacrorum renunciamus, author ſis eum ritum ubique ſanciendi. Sed ne ſceptri & ſacerdotii jura confundas; vide quàm diverſa utriuſque ſit ratio. Nobis quidem cùm lex vetuſtiſſimæ ſanctitatis matrimonia abſtulerit, quomodo [2] infulas relinquemus liberis noſtris quos tollimus nullos; multa præterea in ſacris ſunt, quæ ſacerdotes per ſe peragere, non mandare aliis debent. Si igitur in pueros hoc munus ſucceſſionis jura devolverent, quò aræ, quò templa, quò divûm illi cultus, qui profanis nec numini initiatis, committi non poſſunt? Ita quoque

1 *In ſacris comitiis.*] In Cardinalium conclavi.

2 *Infulas.*] Dignitatem pontificiam. Metonymice.

quoque admonemur non divitiis incumbere, aut cæteris mortalium curis; ſed pro domo, pro familiâ, pro poſteris cœlum habere: neque illa noſtra eſſe, ſed numinum, quæ à nobis duntaxat procurata ad heredem non tranſeunt. Sed & uni familiæ ſi hæ ſummi ſacerdotii infulæ donentur, quamdiu putas illam cogitaturam ſe hanc Numinibus magnitudinem debere, neque ſibi, ſed diis, regnare? Vel Reges ac populos tantæ cognationis ſupercilium eſſe laturos? qui nulli nunc ſtirpi, ac penè nec homini, ſed officii ſanctitati, ſeipſos ſine æmulatione aut vilitatis ſuſpicione ſubjiciunt? At in civilibus imperiis quæ opulentiâ viribuſque conſiſtunt; quæ populo quietem præſtare, & contumaciam frangere impiorum armatis legibus debent, multa ſunt quæ ſucceſſionis utilitatem concilient. quorum præcipuum fortè eſt ambitus Optimatum exarmandus, ne in Regni ſpem audeant ipſum Regem violare.

Finge enim in nobilibus & inquietis gentibus, quas cernimus hereditario contineri imperio, hunc quem laudas electionis morem vigere; quid facturos Optimates exiſtimas, nunc quoque vix Regum patientes? Jam hæc illis accederet ſui fiducia, poſſe ſe quoque regno potiri, jam deſpectus in Regem, qui & ex illorum ordine fuiſſet, nec majores liberos relicturus. Aſt ubi fortuna regnandi ſtirpe in unâ conſenuit, Regum præteritorum reverentia adeò vivit in poſteris, ut vel cunæ puerorum in purpuram natorum tacitâ confeſſione ſortis noſtræ nos tangant; nec iis parêre indignemur, quos priuſquam lucem ſubeant, ſcimus naſci ut imperent. Nec dubium grandius quiddam inſinuari illis ingeniis quæ ad regnandum à puero inſtituuntur; ſive natura hoc facit, ſive diſciplinæ rectitudo; aut potiùs deûm cura. Certè enim conſuetudine honorum, qui ipſis habentur, obſtupeſcit ſuperbiæ geſtus ac veluti acies; aliturque imperandi ſortis illa ſecuritas, quæ ut contemni vix poteſt, ita nec in odium venire, quia plerumque accedit comis animus, & cum Optimatibus fami-

familiaritas, nullâ præteritæ humilitatis verecundiâ erubeſcens. Altiora deinde aſſueſcunt cogitare, regnoque, tanquam liberorum ſuorum patrimonio, cum fide incumbere. Qui verò ſuffragiis in hunc verticem rerum humanarum attollitur, nondum primæ immemor ſortis eſt, in quam recidere ſui heredes poſſunt. Itaque à publicorum munerum ſedulitate propiori curâ ſubducitur; ut filio vel proximo cognatorum eos conciliet, quorum eſt regnum dare; aut familiam ſaltem tot opibus expleat, ne deinde ullus ignoret fuiſſe ex eâ qui regnarit. Sic publica ornamenta, publicæ opes, quacunque ratione in privatam degeruntur familiam; & quæ ſplendori, quæ utilitati communi vota majorum deſtinaverant, triſtiſſimo errore in neſcio quos lares profunduntur, eoſque laborant in lucem vindicare. Nec ejuſmodi Reges ſuis modò peccatis Remp. lædunt; ſed & Optimatum erroribus, quos perniciosâ indulgentiâ ideò ſibi devinciunt, ut purpuram cognatis ſuis ſervent, aut largiri immodicè non vetentur; aut denique ne futurum lædant Regem (nam quis ille de tot Optimatibus incertum eſt) injurias in deceſſoris familiam vindicaturum. Jactes nunc licet electionis prudentiam, quæ novas identidem ſtirpes obtrudit malo publico ſaginandas. [1] Ipſi Aquilii diverſo è genere lecti, quàm ſæpè Majeſtatis ſuæ vires his proditas curis fregerunt? Inter hos ille cujus [2] ſanctiones aureas dicunt, ut filio regnum pararet, quo precio ſuffragatores emit? quo deinde ſceptri incommodo cùm ſolvendo non eſſet, publica iis vectigalia conceſſit; quæ primùm pignoris nomine

1 *Ipſi Aquilii diverſo è genere lecti.*] Imperatores ſic dicti ab Aquilis, quas in ſuis geſtant ſtemmatibus. Hoc enim inſigni Jovem adverſus Titanas uſum ferunt, quod Cervos Draconeſque ſternat Aquila, vel certè quod pugnanti Jovi auſpicio fuerit. A Cretenſibus ad Trojanos, demum in Latium ab Ænea mos tranſlatus defluxit; unde Romani Aquilam velut auſpicatiſſimum ſignum habuere.

2 *Sanctiones aureas.*] Imperator Carolus quartus, qui deceſſit Anno ſalutis 1378. Imperii ſui 32. poſtquam Romæ inauguratus eſt, cæſo competitore Gonterio, remenſus eſt in Germaniam Dietamque coëgit, in qua pragmaticam illam tulit ſanctionem, quæ Impe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ne occupata, mox iſti imbecillitate vel errore regnantum in hereditatem verterunt? Multa præterea ſunt, ut ſcitis, ſive opera, ſive conſilia, quæ non ſtatim ac concepta ſunt, reipublicæ proſunt; ſed expectant maturitatem ſuam, & inſtar frugiferarum arborum, legitimo denique tempore edunt baccas. Ex his longioris ſpei conſiliis plerunque ſolida regnorum ſalus conſiſtit. Sperni tamen, aut omitti ſæpiſſimè ſolent ab Rege, qui non patrio, ſed cōmitiorum jure obtinet ſceptrum. Quia illis operibus inchoandis labor eſt ut plurimùm ſumptuoſus; eoque ſuis authoribus ingratior, quod non viriditatis, nedum meſſis, ea ipſis voluptas eſt, quæ poſteris Regibus olim continget. Qui autem erunt hi Reges? liberi, amici, familiares mei? Imò fortè ex ignotis, aut inviſis. His ego ſecuritatis, lætitiæ, opulentiæ fundamenta ſtabiliam, magnis curis, & jacturâ ærarii, quod nunc melius in meos effuderim? Fac me velle; at hi ipſi ſucceſſores fortè invidiâ ſuâ inutile meum munus efficient; & opera in ſpem longioris utilitatis inchoata, vel negligent, vel evertent; quoniam mihi meiſque temporibus erit in decus ea inſtituiſſe; ipſis autem, ut altoribus tantum, & ſapientiæ noſtræ cuſtodibus, inglorius ſumptus accedet. Hæc neque vano timore, neque tamen præter rerum publicarum perniciem, ejuſmodi Regum animos ſolent ab ingentibus cœptis avertere.

Minori tamen utcunque Reipublicæ incommodo regnare electi Reges poſſunt, quàm eligi. Nam in vividis gentibus, ſubtilique & exerto ambitu ferventibus, num quieta fore ſperes comitia? num largitionum armorumve immunia, ubi multi opibus, genere, animis pares, neque cedere

Imperatoris eligendi continet formam, juxta quam cum ambiret ſuffragia pro filio, ſeptem Electoribus diviſit Imperii dominium, & ſic proditas ſceptri vires fregit. *Hoc ſceptri incommodo* (ut ſubjicit poſtea) *cum ſolvendo non eſſet, publica iis vectigalia conceßit, quæ primum pignoris nomine occupata, mox iſti imbecillitate, vel errore regnantum in hæreditatem verterunt.*

1 *Can-*

cedere invicem poterunt, neque omnes regnare? Quid deinde cùm in duos [1] candidatos ſtudia dividuntur, amboque in regnum ſe aſſerunt, ut neſcias uter vitio ſit creatus? quantæ hæ turbæ? quàm ſæpè longiſſimo bello cruentæ? Ut ſileam quòd populus Regem facere jure aſſuetus, ſæpe quoque eum audet amovere injuriâ. Ne vetera nunc curem; [2] cerne Aquilium. Duo regna totidem comitiis non pridem adeptus, paulò pòſt eorumdem hominum pœnitentiâ excidit ſceptris. Ritè inauguratum negavere. Ita ferro, cladibus, vaſtitate terrarum repetendæ res fuerunt, hinc in Peranhyleum, alterum ex regnis ambientem, hinc in Dereficum jam alteri incubantem, qui pro dapibus quas in menſam Aquilii ipſum ferre oportuit, ferè ſuſtulit & penum & menſam. Hæc verò nonne ſumma diſcrimina exiſtimes, iiſque pejora quibus interdum noſtrorum pueritia Regum funeſta eſt? Nam non nego vel regnantum infantiam, vel tenue ingenium, ineptumque negotiis, ſæpè publicis rebus nocere (quid enim ſic ad hominum commoda exactum ut undequaque ſit utile?) Sed hæc ipſa multò mitiori tempeſtate in nos volvuntur, quàm quæ procellæ ex comitiorum freto exæſtuant.

At nec putes optimum quemque, aut maximè ad regnandum idoneum, per hæc comitia venturum ad purpuram. Quam multæ ſunt factiones! Ut ſæpè qui ſtirpe & poten-

1 *Candidatos.*] Illi ſunt, qui Magiſtratus ambiunt: *οἱ παραγγέλλοντες τὰς ἀρχὰς οἱ δεξιόμενοι*, à toga candida, quæ notabat integritatem, quod ſolus hic color purus eſſet; ſive ut diſcerni poſſent.

2 *Cerne Aquilium. Duo regna totidem comitiis adeptus.*] Alterum fuit Boemiæ, alterum Hungariæ, quæ in Comitiis Germaniæ & utriuſque dicti regni in ditionem Imperatoris venerunt. Sed Ferdinando ſe ad Imperium promovente, Bethlemus Gabor, & Palatinus, quaſi ille Ferdinandus nullis legibus, jure nullo ad Aquilas perveniſſet, hæc duo regna concitarunt invaſeruntque; Bethlemus Gabor, Hungariam, accitis ad opem Mahumetanis, Fredericus vero Palatinus Boemiam; & ſic eorundem hominum pœnitentiâ excidit ſceptris; ritè inauguratum negavere, ita ferro & cladibus repetendæ res fuerunt. Ubi nota, hæc accidiſſe cum Joannes Barclajus Argenidi ſuæ coronidem poneret; nam poſtea Ferdinandus Catholicis ſuccinctus copiis juxta Pragas victor rebelles Urbes domuit.

1 *Gem-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

potentiâ præcipuus eſt, animi bonis deficitur; tanquam verentibus fatis, ne ſi ſummam fortunam ac mentem dent homini, deum faciant ex mortali? Non igitur digniſſimus utique erit quem Principem comitia dicent, ſed aut potentiſſimus, aut fœliciſſimus; quorum utrumque ab arte regnandi abeſſe multùm poteſt. Ille viribus ſuis ſuffragia aut terrebit aut emet; ille ignaviâ favorem apud eos inveniet qui ſperabunt ſub tali Principe ipſi regnare. Nam ſi denique eligentium ſtudia atque vota ſic integra fingis, ut in eo quem deſtinant Regem, ſolam virtutem reſpiciant, ſolerterque inveniant; ſi præterea candidatorum modeſtiam & aſſenſum populorum hunc facis, ut præbeant obnoxias cervices ſic ad ſceptrum provecto, addas innocentiam novi regis inter recentis fortunæ blandimenta, adeò memorem ſui futuram ut nunquam conniveat; Tunc ego ad hanc fœlicitatem proclamabo, diiſque chariſſimas gentes credam quibus illa contigerit. Sed hæc bona ſperari non poſſunt. Reclamant vitia hominum & toties experimenta in contrarium verſa; ut injuriâ accuſetur nationum ſapientia, quæ dedidere ſe uni ſtirpi, ex quâ tranquilliora ſint & magis illuſtria apud ſe imperia.

CAPUT XVI.

ARGUMENTUM.

Poliarchus acceptis ab Argenide litteris accingit ſe viæ, ſed quo tutiſſimè in Regiam nulli notus accedat, & ab Argenide abſque invidia videri poſſit, latronis oblato à Timocl. capillitio tegi placet.

IRATISSIMUS Lycogenes erat, deſtitutam à Dunalbio eſſe ſpem ſuam; quod tamen ne convivæ adverterent, aliquot jocis, quos elegantiſſimos habebat, rei ſeriæ gravitatem mutavit; adjuvante Eurymede, cui apud ſe tot periculoſæ Philoſophiæ argumenta jactari non placebat. Maximè de Peranhyleo, & Dereſico, inter convivas ſermo fuit; quorum in Aquilium audaciam Dunalbius modò nota-

notaverat; & hos quidem diſſitarum tumultus gentium, plerique narrare amabant, vel audire. Sed Arſidas inter hæc, jam provecto convivio facilè elapſus, ad Argenidem ivit, breviterque narravit quàm contumax Lycogenes eſſet in Reges. At illa de temporum injuriâ breviter queſta, codicillos ei tradidit perferendos Poliarcho, quibus ſua mandata commiſerat. Cumque plurimùm navem, & iter, & ſecretum, & quicquid ad fugientis ſecuritatem erat, commendaviſſet; Tibi denique, Arſida, inquit, qui tantum hominem ſuis inimicis ſubduces, primum præmium dii, conſciuſque virtutis animus perſolvet; tum Poliarchus aliquando fœlicior; & ſi cætera abfuerint, à me ſaltem tuæ benevolentiæ fructum expecta. Ille hilarior Argenidis verbis factus, & cum Archombroto deinde quæ videbantur loquutus, pronâ jam veſperâ ad Timocleæ prædium venit; cui Agreſtes comperto errore tunc fortè pridianos tumultus excuſabant. Illa ſæpiùs cogitans ſe in leges peccaviſſe, quàm ſcrutatoribus abfuiſſe fortunam, comiter omnes habebat, ſi quid in poſterum opus eſſet, animos ſibi parans. Arſidas eoſdem benignè affatus eſt, omnibuſque dilapſis, primâ nocte ad Poliarchum deſcendit. Is morâ & ægritudine æger, ut venientem conſpexit, quid, ait, vobis placet me viventem ſepeliri? Eripe me ab hac nocte (Arſida) & vel hoſtibus permitte. Certum eſt non diutiùs ferre hunc ſitum. Ille gnarus quanti gaudii chartam afferret, nihil ad omnes queſtus, ſed literas Argenidis profert,[1] gemmamque, & manum, jubet inſpicere. Confeſtim Poliarchus exultatione pleniſſimus, Ut valet, Arſida? ut meminit noſtri? Neque nomen adjecit; nam & Timoclea audiebat loquentes;

1 *Gemmamque & manum.*] Sigillum & Chirographum. Antiquis annulorum uſus fuit, ut in gemma aliquod ſymbolum vel Imperatorum majorumque imagines inſculperent, quo ſignarent Epiſtolas. Lentulus avi figuram, Africanus patris effigiem inſculpſit annulo, Auguſtus Sphynges, &c. Plaut: ſc. 2. act. 5.

Sub gemmam tuos parentes obſtruſos habeo.

1 *Fruſta*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tes; ſed lino deducto, deflexit aliquantùm ne legentis affectus vultúſque notarentur. Perlectâ epiſtolâ, ſecretum Arſidam ad ſe trahere cœpit, illumque conſulere, ſatiſne fidere veſti ignotæ, & aſcito capillamento poſſet, ſicque ad Argenidem ire; an tutiora ſequi præſtaret, & ad navigium Meſſanam proficiſci. Et hunc ſtatim navigare Arſidæ quidem placebat, ſed cunctanter obſtabat Poliarchus avidus videndi Argenidem, & verecundè pro amore ſuo pugnans. Quod ubi Arſidas ſenſit, exoneraturus pudorem amatoris, mutatâ ſententiâ author maximè fuit ad Argenidem eundi. Quid enim facilius quàm poſtera die templum, quod omnibus patebat, intrare? Argenidem de more ſtaturam ad aras, quibus oſculum ponere nec miſerrimi ſupplices vetantur. Obfirmato Poliarchi conſilio, Timocleam advocant; monentque ſub diem Poliarcho eundum ad navem, quæ in Italiam eum ferat (nam ad aulam proficiſcendi conſilium premebant.) Adjecit Poliarchus, nunquam hoſpitii gratiam apud ſe vanam fore; vitam & quæcunque per eam homines habent, ſemper illi debiturum. Matrona inter preces atque vota lachrymis manans, jam non ut hoſpiti tantùm, ſed propemodum tanquam alumno, omnis curæ, omnis ſolicitudinis affectum impendebat. Multùm erat ad amorem beneficium dediſſe. verebaturque ne jam ſuum Poliarchum inclementior fortuna exciperet. Et tunc quidem flens acquieturum reliquit.

Nocte verò inter vota, & metus, anxiè ductâ, rediit in ſpecum cum Arſidâ, attulitque [1] fruſta panis mero intincta; & ad Græci moris jentaculum adegit adhuc de ſomno [2] faſtidientes. Emiſit deinde paulò ante auroram cum Gelanoro Poliarchum. Et Gelanorus quidem cum Arſidæ ad uxorem literis, Meſſanam profectus eſt. Nam Meſſanæ

1 *Fruſta panis mero intincta.*] Jentaculum Græcorum. Ita Theocritus.

2 *Faſtidientes.*] Excitatis è ſomno nauſea oritur.

1 *Neceſ-*

Meſſanæ Arſidas habitabat, urbem ſibi à Meleandro creditam regens. Literarum ſenſus erat, ut conjux inſtructum navigium haberet in portu, quo ipſe propediem in Italiam uteretur. Sibi [1] neceſſariam Rhegium viam eſſe; hominem qui has litteras ferebat, diligenter apud ſe ſervaret. Se Meſſanæ intra quatriduum fore. Poſtquam ille diſceſſit, jam ſolus Poliarchus Arſidam ſequebatur lentè in equo præeuntem. Pedes erat, vilis amictus; & ſcipione non neceſſario utebatur; manibus quoque ne candore proderentur, dilutâ fuligine, in ſufflavum colorem mutatis.

Pervenerunt in urbem, cùm recluſo jam Palladis fano deæ copiam feciſſet æditvus; necdum frequens populus commodiora ad ſpectandum occupaviſſet. Poliarchus quàm licebat proximè reſedit ab arâ; Arſidas ad Argenidem ivit, docuitque quàm religioſus cultor in templo illam maneret. Obſtupuit virgo, ſimul periculo Poliarchi, & oblatæ lætitiæ ſenſu perculſa; ſigniſque diligenter quæſitis, quibus mutatum agnoſceret, Res, inquit, periculi plena erit, Arſida, ſi Rege atque Lycogene mox ad templum ituris, Poliarchus veſtium furto duntaxat & capillorum celabitur. Ex tot viris, qui Principes circumſtabunt, neminem putas ſenſurum hanc fraudem? Maximè cùm mutuis ſuſpicionibus erecti, & qui Regi, quique Lycogeni ſtudent, vultus omnes, & quicquid inſidias tegere poteſt, ſolertiſſimâ ratione explorent. Venire juberem huc ad arcem; ſed larvam qui in ſtatione ſunt milites fortè excuterent. Pergam potiùs ad Parentem, moneboque, ex quo me voluit Palladi miniſtrare, nunquam nundinarum hunc diem, imæ plebi ad vota negatum: cùm autem

1 *Neceſſariam Rhegium viam eſſe.*] Extremum agri Bruttii oppidum: inde nomen habet quod ibi Sicilia ab Italia credatur eſſe avulſa. ῥήγνυμι enim, id eſt, rumpo. Virg. lib. 3. Æneid.

Hæc loca vi quondam & vaſta convulſa ruina
Diſſiluiſſe ferunt, cum protinus utraque tellus
Una foret.

 1 *Horam*

tem ſanciendæ mox paci, ad ſacra cum Lycogene ſuccedet, templum ſtipatoribus & comitibus plenum, nec capturum populi turbam, nec ſupplicum vilioribus poſſe patêre. Si igitur placet (ne quid de conſuetudine hodie pereat) me ſtatim ad aras proceſſuram, ut qui de plebe volent, ritu ſolito luſtrentur; vulgi cultu finito, ipſum meliùs publica ſacra procuraturum. Ita metu ſoluta videbo Poliarchum, commodiuſque in incurioſo populo noſtra conſilia latebunt. Probante induſtriam Arſidâ, & ut maturaret monente, puella ad Regem digreditur: neque is minùs ſententiam laudavit, idoneâ fraude deceptus; & illa acceleratâ pompâ (vixdum enim [1] horam diei ſecundam religioſi homines Palladi nunciaverant) inter ſtipatores, miniſtraſque ad templum producta eſt.

Is autem ſacrorum ordo erat, ex quo Argenis ſacerdotio fungebatur. [2] Siculi nundinas ad fori conventus, & mercatum, celebrabant. Tunc Regum edicta vulgari, tunc in ſontes edicta conſtitui. Tempus hoc rebus, ſi quæ ſacræ, ſi quæ publici ritûs, datum. Confluebant in proximas urbes ex vicinis mapalibus atque vicis, qui vel ruſticis opibus abundabant, vel egebant urbanis. Hæc dies conſtituta Palladis ſacris erat, quò frequentior populus videret Argenidem; quæ quacunque per Siciliæ diverſa procederet, habebat in comitatu vates, & ſacerdotum chorum: majores hoſtiæ, & cætera victimarum genera ſequebantur. Cùm lucebat nonus dies, ſi quod Minervæ templum in proximo erat, illuc deferebatur ſimulachrum cui honores haberi conſueverant; ſin minùs, [3] ex commodiſſimâ æde evocabatur

1 *Horam diei ſecundam religioſi homines Palladi nunciaverant.*] Apulejus lib. 2. in inauguratione Iſidis ſacerdotum: *rebus jam ritè conſummatis inchoatæ lucis ſalutationibus religioſi primam nunciantes horam perſtrepunt.*

2 *Siculi nundinas celebrabant.*] Vide ſupra capite 2. hic deſcribitur ratio cauſaque nundinarum, qualis eſt dirimendi lites, leges promulgandi agreſtibus, ſacris vacandi, commutandi merces. *Nundinæ* dictæ ſunt, quod nono celebrantur die; deducto more à Romanis; vide infra: *Cum lucebat nonus dies, &c.*

3 *Ex commodiſſima æde evocabatur.*] Mos priſcus evocandi deos paſſim apud veteres reperitur, quatenus fiduciariam ſedem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

cabatur qui deus deave habitabat, ut quia duo numina unum templum non capit, ſuo diſceſſu commodaret Palladi fiduciariam ſedem. [1] Fores laureâ redimitæ augebantur lucernis atque vittis. [2] Signum quod ad aram colebatur, acre erat, & deæ ſua arma decentis. Strictum ſupercilium hinc acie oculorum, hinc caſſide ad mediam frontem productâ, pulcherrimè horrebat. Vultus, qui virginis, ſed implacidæ eſſent. [3] Haſtam ex auro, errantibus per metalli fulgorem radiis, quati à dea, ſæpè vulgus aſſeruit. [4] Ægidem quoque in parmâ omnibus coloribus qui ſerpentum ſquamas mutant, pictor expreſſerat. Veſtigium veluti ſtantis ad pugnam, lævo pede ſic porrecto, ut totum ſimulachrum nonnihil obliquaret in latus. Serpentis quoque ſpecie [5] Erichthonius erat ad pedes, ſpiris extremam haſtam cingens. Cæterùm lectas victimas, vittiſque & cætero ritu [6] præterquam molâ, mactatas,

ſedem, id eſt, quam in tutela ſua habebant, hoſpiti Deo commodarent ad tempus; nam plebiſcito confirmatum eſt, ne ulla cella duobus diis dicaretur: tanquam una ædicula duos deos non caperet.

1 *Fores laureâ redimitæ.*] Ita Ovid. 2. Metamorph. in Daphne:

Tu ducibus Latiis aderis, cum læta triumphum
Vox canet, & longas ducent Capitolia pompas.
Poſtibus auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabis, mediamque tuebere quercum.

Et Tacit. lib. 3. Annal. *poſtes feſto ornatu, &c.*

2 *Signum quod ad aram.*] Statua Palladis: nam hæc dea quod virilibus exercitiis addicta erat, galea & ſcuto terribilis, haſtam manu geſtabat. Unde Minerva dicitur, quod vim minetur.

3 *Haſtam quati à deâ.*] Ita Sinon apud Virgil. lib. 2. Æneid.

Nec dubiis ea ſigna dedit Tritonia monſtris;
Vix poſitum caſtris ſimulachrum arſere coruſcæ
Luminibus flammæ arrectis, ſalſuſque per artus
Sudor iit: terque ipſa ſolo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens, haſtamque trementem.

4 *Ægidem quoque in parmâ.*] Ægis dicitur illa pellis capræ Amaltheæ nutricis infantuli Jovis, qua Jupiter parmam obduxit, quam filiæ ſuæ Minervæ dono dedit. dicta eſt ἀπὸ τῆς αἰγὸς, id eſt, capra. In ægide depictum erat caput Gorgonis anguibus crinitum, quarum ſquammas vivi colores expreſſerant.

3 *Erichthonius erat ad pedes.*] Is ex ſemine Vulcani obluctante Pallade, in terram delapſo genitus, unde & nomen habet ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονὸς, id eſt, à certamine atque humo. Serpentinos habuiſſe pedes fertur, quorum deformitatem ut tegeret, primus currum morem invenit.

6 *Præterquam molâ.*] Sacerdotis ritus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ctatas, producebant ad veſtibulum templi (nam intus mitti ſanguinem erat nefas.) Poſtquam victimis jam ſubjecta aqua erat, ſuperveniebat Argenis, cultu eximia, qui Principem & Sacerdotem decebat. Miri operis ſtolam erat induta, quæ per intextas imagines aſſurgens, Palladem faciebat [1] de cerebro Jovis naſci, & [2] in lite cum Neptuno inventâ oleâ triumphare. Hanc à tergo per multa volumina diffuſam, ne veſtigia verreret, ſex virgines ſuſpendebant. Crines Argenidis religabat purpurea faſcia, [3] ramis oleæ impedita. Ex eâdem arbore ſummo capiti coronam poſuerant. Sic ornata, & poſtquam ad victimas acceſſerat, impoſito velo caput operta, concipiebat ſolemnes ſacrificio preces, [4] molâque devota animalia conſpergens, muliebri ictu in earum frontem reclinabat argenteam clavam. Vero mox ferro excipiebant victimas

præ-

tus ultimo obſervandus, antequam ante aras victima mactaretur; unde paulo infra, *molaque devota animalia conſpergens.* Ubi obſervabis immolandarum hoſtiarum ritum: ſine ſale & farre, ſeu mola non fiebat ſacrificium. Hinc adagium, *ne ſacrificato ſine farina*, apud Alciatum. Et Virgil. Ecloga 8.

Sparge molam.

Hinc *immolare* dicebant.

Imponique ſuæ videt inter cornua fronti,
Quas voluit fruges.

qui mos à Judæis receptus eſt apud Moſen, Philonem, & Joſephum.

1 *De cerebro Jovis naſci.*] Cum Jupiter quereretur, quod nullos de Junone liberos ſibi ſuſtuliſſet, indignatione calens arietavit in Saxum tanto impetu; vel (ut Lucianus) malleum in caput ejus Vulcanus ſic incuſſit, ut cataphracta virago ex ejus cerebro ſtatim exiliret. Præclarum æternæ verbi divini generationis involucrum.

2 *In lite cum Neptuno.*] Fabula eſt: cum Neptunum inter & Minervam lis eſſet, de imponendo Athenis nomine, cum uterque plus urbi ſe contuliſſe jactaret, coacto deorum cœtu, decretum eſt, illum impoſiturum nomen qui quidpiam utilius orbi produceret. Ergo Neptunus concuſſo ſolo, phaleratum equum eduxit. Ita Lucanus,

Primus ab æquorea percuſſis cuſpide ſaxis
Theſſalicus ſonipes belli feralibus omen:

Minerva vero eduxit oleam, quæ quia pacis ſymbolum eſt, equus vero belli, honos denominandæ Urbis Minervæ conceſſus eſt, dictaque eſt ab ejus nomine, Ἀθλών, id eſt, ſine mamma; nullius enim nutricis lac ſuxiſſe Minerva dicitur. Stat. Theb. l. 12.

Lis ſuperum dubiis, donec nova ſurgeret arbos
Rupibus.

3 *Ramis oleæ impedita.*] Ex ſupradictis conſtat oleam ſacram eſſe Palladi, eamque in ejus ſacris in uſu fuiſſe.

4 *Mola conſpergens muliebri ictu reclinabat argenteam clavam.*] Virgil. 12. Æneid.

Dant ſalſas manibus fruges, & tempora ferro
Summa notant pecudum.

1 *Fata,*

præcincti Sacerdotes; jugulisque ſuffoſſis, [1] fata, & deos in extis credebant deprendere. Tum ingreſſa templum Argenis, thuribulo argenteo præferebat ſolitos diis vapores; & ad aram admota, demptam ſuo capiti coronam ad armati ſigni pedes ſuppliciter collocabat. Thura tunc, & odores, novo igne refecti; qui dum ex acerrâ diſſipantur, cantu, à proximis virginibus orto, quiſquis ex populo ſciebat, hoc carmen modulabatur:

[2] O pars, ſed potior, tui parentis,
O [3] Tritonia, [4] nulla cui dearum
Maternas teneræ blanditias tulit;
O virgo ſtudiis nata virilibus,
Sacris ipſa tuis ades.
At vos [5] Sicelidum chorus,
Forti plaudite Virgini,
Cantus addite plauſibus.
Tu belli decus, [6] axibus ſeveris
Lethum, vim, gemitum, arma, fata, ducis.
Stat dextrâ jaculum; [7] Gorgonis aſperæ
Monſtris terribilis læva, dat hoſtibus

Facto

1 *Fata, & deos in extis.*] Extis inſpiciendis, quod extiſpicium dixere. Dido 4. Æneid.

——— pecudumque recluſis
Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.

Et lib. 15.

Protinus ereptas viventes corpore fibras
Inſpiciunt, menteſque deum ſcrutantur in illis.

2 *O pars, ſed, potior, tui parentis.*] Dixi Palladem eductam ex Jovis cerebro, eſt autem cerebrum potior pars.

3 *Tritonia.*] Pallas à Tritone Africæ palude, ubi primum Pallas viſa eſt cataphracta, tempore Ogygis Regis; vel à Tritone amne Bœotiæ; vel quod τρίτη, tertia nata eſt poſt Dianam & Apollinem; vel quod è Jovis capite nata ſit; Attici enim τριτῶνα caput appellant eam: alii Pallantis & Nymphæ Trithonidis filiam fuiſſe fabulantur.

4 *Nulla cui dearum, &c.*] Dixi & Palladem ſine matre natam.

5 *Sicelidum chorus.*] Siculorum. Sicilia autem nomen ſortita eſt, quaſi Sicelita, id eſt, reſecta, nempe ab Italia.

6 *Axibus ſeveris.*] Poëta conjungens currui Palladis quadrigarum loco, lethum, vim, gemitum, arma, fata, ad illud primæ Odes lib. 3. Horatii videtur alludere:

ſed timor & minæ
Scandunt eodem quo dominus, neque
Decedit ærata triremi,
Poſt equitem ſedet atra cura.

7 *Gorgonis aſperæ.*] Jam ſupra laudata parma Minervæ, in qua depictum Meduſæ caput.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

[1] Facto vivere marmore.
Tu pacis dea, pinguibuſque campos
[2] Exornas oleis: & [3] ipſa ſtamen
Monſtras, ipſa colum ducere candidis
Quæ te virginibus cunque vocaverint
Caſti thuris odoribus.
[4] Tritonis cupit unda te paludis,
[5] Urbs diis hoſpitæ te vocabit Argos,
Et [6] Pandioniis qui colit arcibus.
Sed tu Trinacriæ pronior Inſulæ,
Huc vultus meliùs refer.
[7] Adſis Sicaniæ benigna genti,
Servatoſque diu tuere Reges.
Nobis, diva, ſemel cum bona veneris,
Optamus meritæ ſæpiùs, & novas
Læti reddere gratias.
At vos Sicelidum chorus
Forti plaudite Virgini,
Cantus addite plauſibus.

Sequebantur omnium vota, quibus palàm incolumitas petebatur Principibus; addebant innoxios cœli hauſtus, nec fallentem Agricolas humum. Occultis precibus privata familiæ commoda quiſque optabat. Tunc verò ad dexterum latus aræ, in altiori ſede Argenis quieſcens, vitta-

1 *Facto vivere marmore.*] Id eſt, transformat in lapides more Perſei ad aſpectum Ægidis.

2 *Exornas oleis.*] Dixi Palladem terræ concuſſu oleam eduxiſſe.

3 *Ipſa ſtamen monſtras.*] Doces virgines nere, & telam texere, ô Pallas, quæ lanificii inventrix es.

4 *Tritonis cupit unda te paludis.*] Circa Tritonem paludem, ubi primum viſa eſt Pallas, ſacri ludi in honorem deæ celebrabantur.

5 *Urbs diis hoſpita te vocabit Argos.*] Argos Urbs Græciæ princeps, non longè ab Athenis *Deorum hoſpita*, dicitur, quod Argonautas excepit alioſque deos, ibique Pallas templum habuit.

6 *Pandioniis qui colit arcibus.*] Athenarum incolas peculiari clientela ſervabat Pallas. Dicuntur Athenæ *arces Pandioniæ*, à Pandione Rege filio Erichthonii, ſive Erictei.

7 *Adſis Sicaniæ benigna genti.*] Sicilia ſic dicta eſt à Sicano Rege Briarei Cyclopis filio, vel à Sicaniis populis, qui primi hanc inſulam incoluiſſe feruntur.

1 *Vitta-*

[1] vittatum manu ramum tenebat, quem undis luſtralibus rorantem modico victimæ cruore aſperſerant, credebantque efficacis eſſe tutelæ, ſi fronti orique eſſet impoſitus. Stabat in armis circa virginem ſatellitum duplex ordo, ad eam ituris ſemitam aperiens quæ vix binos capere poſſet, ne tumultu, & imperitorum rixis, aut ara aut Argenis pulſaretur. Sic admiſſi, ad illius pedes prolabebantur, abibantque breviter ramo tacti. Nulli de plebe excluſi; pluresque Argenis quàm Pallas acciebat ad ſacrum.

CAPUT XVII.

ARGUMENTUM.

Vbi pervenit in Regiam Poliarch. recluſum Palladis fanum ſubit. Hunc poſtquam Arſida docente videt Argenis in veſte degenere, & genis alienis, ira ſimul atque pietate accenditur. Vulgo digeſto ad virginis genua Poliarch. accedit, à quibus abire non ſuſtinet. Iam hinc & inde Rex & Lycog. mediam habent hoſtiam, cum Argenis quaſi ad vaticinium furit Rege tot ominibus ægro. Fæcialis longo carmine diras in fœdifragos recitat. Tum Meleander animi curas fraudaturus ludos inſpicit.

QUo igitur die Arſidas Poliarchum adduxit, parata erant ſacra in veteri templo, quod Magellani habebant Palladi nuncupatum. Et Argenis maturiùs, tanquam dimittendo populo priuſquam cum Lycogene Meleander adeſſet, reverâ ut extra periculum Poliarchum aſpiceret, deſcendit ex arce. Cumque pro foribus templi [1] tactas victimas reliquiſſet inter decollantium manus, & in deæ limine thuribulum ſumpſiſſet, jam tunc quidem inquieto animi tumultu completa, pervenit ad locum, in quo, Arſida docente, ſciebat ſedere Poliarchum. Hunc verò poſtquam vidit, in ignobili veſte, & genis alienis, miſerabilia in ſe

1 *Vittatum manu ramum tenebat, quem undis luſtralibus rorantem, &c.*] Luſtrandi morem habes apud Virgil. lib. 6. Æneid.

Spargens rore levi, & ramo fœlicis olivæ.

Ibid.

Ter circumfuſa ſocios circumdedit unda.

1 T*Actas victimas.*] Præludebat enim ſacerdos mactationi, libando caput victimæ, ut paulo ante dictum eſt:

Summa notant pecudum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

in ſe lumina figentem; adeò irâ & pietate accenſa eſt, ut penè ſacri ratio amenti excideret. Utcunque tamen perrexit ad aram; ibique in deæ ſignum intuens, interim dum cæteri ſolemne carmen celebrant, arcanos gemitus effudit. Teſtabatur cœleſtium fidem. Innocentiam ſuam, candorem, pietatem, tacitâ exprobratione ingerebat ſcientibus. Nunc ſi ſe adjutam vellent, auxilio eſſe tempus. Si hæc mortalia curant reguntve, cur non virtutibus precium erat? cur nec à ſe, nec à Poliarcho violati ſæviebant? Scire illos quàm non fœdo amore, virginique pudendo, in tanto viro hæſiſſet. Si per jura naturæ licuiſſet, optaturum hunc fratrem fuiſſe. Adeſte ſaltem fugienti, inquit, & ſi quid durum in utrumque paratis, illo incolumi omnia in meum caput citate. Ab his precibus, quamquam veriſſimo affectu flagrabant, ſubito cogitationum æſtu averſa eſt. & nunc ſui, nunc [1] ſponſi miſerebatur. tum in Lycogenem inexpiabilis odii rabies. & quoties occurrebat nec inſontem patrem eſſe, qui tam facilis in Poliarchi annuiſſet perniciem, ab hac mente refugiens quæ periclitabatur pietatem violare, redibat ad deos, ſtupenſque, & inter mutos dolores attonita, plùs illos ſuis malis quàm votis exorabat. Fletum tamen in poteſtate habuit, pudore intempeſtivos in publico luctus vetante; fortè etiam quia erat calamitatis major moles, quàm ut iret in lachrymas.

Neque tunc minùs ægritudinis aut tumultûs in Poliarcho erat. Relinquendæ dulciſſimæ ſedes; aufugiendum veluti perduelli. Quàm non generi, quàm non animo conveniebat hæc fortuna! Jam quæ oblectamenta fuerant, lacerabant diductum doloribus pectus. Omnes Argenidis virtutes, omnes dotes, redibant in mentem; etiam quæcunque exigua eſſe crediderat, tunc auguſtiori ſpecie, quia erant amittenda, cogitationem imple-

1 *Sponſi miſerebatur.*] Poliarchi, cui Argenis ſuam fidem dederat.

1 *Decan-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

implebant. Inter tot mala, nihil moleſtius viſum, quàm quòd Argenidi doloris cauſa eſſet; nec levior metus repugnantem animum lentè ſubibat, ne ſacramenta amicitiæ inter ipſum & virginem concepta, tempore & abſentiâ delerentur; eſſetque aliquid quod Argenidi charum deberet odiſſe. Simul in iram verſus, cogitabat Siciliam armis repetere: ſimul Argenidem in patre aut patriâ lædere verebatur; & iracundia dolori confuſa, per varios affectus nunc ſtupebat, nunc errabat.

Inter hos animi motus, [1] decantata ter carmina publicæ voci finem fecerunt; conſeditque Argenis non procul ab arâ, ſacrum ramum venientibus protendens. Seleniſſa, virginumque delectæ, à tergo ſedentis conſtiterant. Eurymedes, atque Eriſthenes, longè diverſum par, erant ad latera: ab illis milites ad teſtudinem templi porrexerant geminum ordinem, definiebantque viam proceſſuris ad virginem. Eurymedes cùm in Argenidis vultu crebros motus notaviſſet, ſubmiſſus ad aurem, rogavit ecquid ipſi malè eſſet. Utitur colloquentis commoditate virgo, ad illum utique vultu converſo, quoties nimius dolor exundabat in ora. Vulgo digeſto, penè ultimus reſtabat Poliarchus, qui ad luſtralem ramum accederet. Et animus & veſtigia deerant proceſſuro: viciſſimque à frigente, & penè inutili puellâ, expectabatur. O amantium inſana conſilia! Tanquam fugitivum gaudium percepturi, ad hanc brevis mutique congreſſûs audaciam devenerant; jamque piget irritati doloris, ſimulque periculi, multò acrius devoturos ſuam ſortem, niſi ſic dolere licuiſſet. Demum miſer, [2] nec jam fruſtra innixus ſcipioni, promovit ad Argenidem gradus, acciditque ad genua: & tan-

1 *Decantata ter carmina.*] Quia primo conſtant pari & impari, ideoque perfectiſſimus eſt numerus, uti Deus entium eſt principium.

Numero deus impare gaudet,

inquit Virg. Eclog. 3. & Therius Smyrneus Platonicus *ternarium numerum omnia eſſe* dixit: Multa de ternario numero Proclus ad initium Timæi Platonis.

2 *Nec jam fruſtra innixus ſcipioni.*] Quia nempe paulo ante dixerat, *ſcipione non neceſſario utebatur.*

1 *Memi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

& tanquam vota conciperet, Vale, inquit, caſtiſſima Sacerdos; [1] memineris Palladem tuam abire ſemper tuam, ô virgo; ſed ſi patieris, [2] non ſine patrio fulmine redituram. Intellexit miſerrima virgo; nec aliquid auſa referre, tamen mœſtis oculis in eum breviter fixis efficaciùs omni voce loquuta eſt. Sed ab illius pedibus abire non ſuſtinebat Poliarchus; ſive illum oblivio ſui ceperat in tantæ calamitatis caligine; ſive ſentiebat poplites erraturos: cœperatque vereri Seleniſſa, ne ille intempeſtivâ morâ fabulam proderet; cùm Eurymedes hominem ratus ad Argenidis pedes ignarâ ruſticitate conſiſtere, virgâ quam dexterâ tenebat grandem ictum procumbentis lateri non ſine riſu inflixit, juſſitque abſcedere. Poliarchus inter paucos Eurymedi charus erat, & hanc injuriam non ab odio ullo, ſed veſtibus ſuis factam ſciebat à neſciente quem cæderet; conſurrexitque properè, ſuo quoque judicio meritò caſtigatus. At non Argenis tam compoſito animo ictum aſpexerat. ægrè pudore prohibita, ne Eurymedem ab oculis juberet abire; mox diſcedentem Poliarchum quà licuit oculis ſequuta, opportunè Arſidam in limine templi videt, ut conjici potuit, viam fugienti præeuntem. Quippe ille gratulatus ſuo Regi, quòd à bello quies eſſet, ſimulaverat neceſſitatem ſibi oblatam [3] trajiciendi in Italiam ad ſocerum: impetratâ Regis pace, templum Palladis petit, cernitque venientem ab arâ Poliarchum. tum paululum cum eo ſecedens, monet per infrequentem portam abire ab oppido; viam quæ Meſſanam tendit tenere, donec ſecundo miliari in dumetis quæ occurrunt

1 *Memineris Palladem tuam abire.*] Ænigmaticè Poliarchum intelligit ſub habitu Theocrines, quam Meleander Palladem eſſe crediderat, quod ſe filiamque ſuam eripuerat diſcrimini.

2 *Non ſine patrio fulmine.*] Jovis patris fulmen cum Ægide Palladi traditur. Virg. Æneid. lib. I.

Ipſa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem.

innuit autem hoc ænigmate Poliarchum rediturum à patria cum ingenti exercitu ſub habitu Theocrines, uti promiſerat.

3 *Trajiciendi in Italiam ad ſocerum.*] Dixit enim ſupra Arſidas uxorem ſe accepiſſe in Bruttiis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

currunt lateret; ſe poſtquam loquutus Argenidi eſſet, confeſtim aſſequuturum.

Interim Meleander ad Argenidem miſit, qui popularis ſacri ſolemnia juberet maturari. Tempus enim in multum diei procedere: dandum ſibi & Lycogeni templum eſſe. Illa apud ſe non erat, ſtimuliſque quos credebat conſtantiâ ſuâ domitos, jam ſenſim concedebat. Regi tamen renunciari juſſit, peracta quæ pertinebant ad populum. Deſtinata ſacrificia, cùm placeret, obire illum poſſe. Ingens pompa, & pro decôre Meleandri, atque Lycogenis, in regiæ veſtibulo ſtabat, manebatque ad templum prodituros. Ipſe Lycogenes in Meleandri thalamo erat, ſpecie officii, varios, ac plerumque non ſerios, cum Rege ſermones inſtituens. Ubi maturum fuit, Meleander in regio cultu, pallioque purpureo, manu tenens inſigne majeſtatis, ad ſtipatores proceſſit. Proximus antecedebat Lycogenes, cujus latus de Regis imperio tegebat Archombrotus. Ante hos ibant, quorum magiſtratus eminebat, aut gratia. Ingens egregiæ juventutis numerus inchoaverat pompam. Ne populum quidem ſatis viatores arcebant, ſpectandi avidum, maximeque quà prohibebatur ruentem. Præter regium, aſſuetumque imperio nomen, ipſa ſenectus, vultuſque leniſſimi animi index, & ſuo faſtigio digna majeſtas, omnes in Meleandrum converterat. Neque tantùm quibus incorrupta in eum fides erat, hoc conſpectu movebantur; ſed etiam ex inimicis illi quos erraſſe potiùs diceres, quàm peccaſſe; ut is dies haud pœnitendus Regi proceſſerit, in quo hos dolor, illos pudor inceſſit, quòd ad hæc fœdera adigeretur. Ergo Lycogeni Rex jurabit? Ergo ad neceſſitatem fœderum cum cive deſcendet? Et hæc publicè? hæc tanquam legitima, populum teſtem habere? Quid ampliùs externum Principem, parem æmulum, juſto bello eſſe facturum? Quibus autem altior ſenſus, aut ſpe vel metu ſagacior erat, ulteriùs cogitationem mittebant; neque verò colendum illum diem,

tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tanquam pacem relaturum: ſæviora reſtare; nec futurum ſtabile quod coactus Rex cum cive pepigiſſet. Nam Principes, quod à ſe injuriâ extortum eſt, aliâ injuriâ ſæpè repetere. Aut itaque Regem, ubi licebit, illius facinoris vindicem fore; aut ceſſantem, iri à Lycogene oppreſſum. Fortè Senex, in aula educatus, interroganti ſodali, quid unquam humanius vidiſſet Regis vultu, ita reſpondit, ut vox ad Regem perveniret, Humaniorem dicerem, commilito, niſi ſibi crudelis illa humanitate eſſet. Cùm hanc vocem [1] Meleander accepiſſet, à fidiſſimo homine miſſam, jam antea perturbatus, & in eos ſermones cogitatione hærens quos de ſucceſſione Regum, heſterno apud Eurymedem convivio, audiverat à Lycogene eſſe jactatos; [1] ſic offendit in ſaxum quod aliquantulùm eminebat, ut in terram manus affligeret. Subitus ſpectantium clamor terrorem latè dedit. Proximi ad ſublevandum Principem concurrerunt. Qui longiùs ſtabant, ipsâ ignoratione pavidiùs concitabantur; donec conſtitit fortuitum & levem lapſum eſſe. Ipſe excuſavit riſu caſum: Multum enim ſe telluri debere, quæ Principem venerata, cùm exurgere non poſſet, eum deduxit ad oſcula. Hanc, ut ſuam, libenter ſe amplecti. Triſte tamen aut lætum ſingulis omen fuit, ut quiſque Lycogeni vel Regi ſtudebat. Nam quid eo portendi, quòd ſtratus Rex ad Lycogenis pedes erat? quòd procubuerat tanquam victima, ipſe ad ſacrificandum paratus? quàm levi momento, quàm ſubitò fuiſſe everſum?

Dum hæc cogitant, jam [2] in aream primi pervenerant, in

1 *Meleander ſic offendit in ſaxum.*] Sext. Jul. Front. Stratag. lib. I. *Cajus Cæſar cum forte conſcendens navim lapſus eſſet, teneo te terra Mater inquit.* Habes idem factum omen Quinti Curtii lib. 2. in Alexandro Aſiam petente. Ita Titus Livius lib. 5. *Convertentem ſe inter hanc venerationem traditur memoriæ, prolapſum Camillum cecidiſſe, idque omen poſtea eventu rem conjectantibus viſum ad damnationem ipſius Camilli.* Idem etiam contigit Guilielmo Normanorum duci, cognomine *le Conquerant*, ut primum è navi ſua in Angliæ ſolum diſſiluit, quam poſtea ſuæ ditioni mancipavit.

2 *In aream, in qua hoſtiæ.*] Opperiebantur mactandæ ante aras victimæ in atrio templi, quòd & arenarium dicebatur.

1 *Redi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

in qua hoſtiæ erant [1] redimitæ vittis inſignibus, præcinctique miniſtri expectabant, donec Argenis [2] legitimis verbis ad munera deos vocaret. At illa magis magiſque ſupervenienti dolore incitata, in ſecreto templi loco, cæteris paulùm juſſis abſcedere, ita ſecum loquebatur: Quid tu autem calamitoſa Argenis? quid tu præſtantiſſimo viro malorum omnium cauſa? quid vidiſti; aut in quæ ſupplicia duras? Poliarchum abire: triumphare Lycogenem? Pati hoc potes? ô regia virgo, ô ſceptro deſtinata! Si te Principem meminiſti, cur non Poliarchum hîc aſſeris? ſi ſponſam, quid ille ſolus fugit? Ecce autem, reſtabat ad fata [3] ut pro Feciali eſſes tuo parenti atque Lycogeni firmantibus pacem; ô dii, quam ſanxerunt Poliarchi diſcrimine. Tu deinde quâ fronte, non dicam in Poliarchum inſpicies, ſed loquêris cum abſente, ſed audebis meminiſſe virtutum, vultuſque, atque verba, ad animum ſecretâ cogitatione arceſſere? At pietas in parentem; at publica regni ſalus hoc jubet. Quæ autem in patrem impietas ſi inauſpicatum ſcelus refugero? aut quid mihi cum regno, ſi mori decrevi? Sed nec timiditate ſemper regnorum ſalus conſtat. Forſitan audaciâ meâ corrigam quæ pater manſuetudine peccavit. Sed quid ages? diſcrimen nunc appetit, obruetque imparatam. En genitor, en Lycogenes adeſt. Poſcor ad ſacra. Si ſceleratæ paci abnuo miniſtrare, quæ verba mihi erunt, quæ publicè ad patrem argumenta?

Sic dicebat; nec jam mœſta, ſed concepto furore auguſtior, graves oculos huc & illuc ferebat; cùm ſubiere hæc ultima verba abeuntis Poliarchi; meminiſſet [4] Palladem ſuam

1 *Redimitæ vittis inſignibus.*] Ovid. l. 7. Metam.

——feriuntque ſecures
Colla toroſa boum vinctorum cornua vittis
Siſtitur ante aras.

Item, *Vittis præſignis & auro.*

2 *Legitimis verbis.*] Certis & à lege præſcriptis quibuſdam verbis, quibus ſacerdos præibat.

3 *Ut pro Feciali eſſes.*] Fecialis munus erat bellum indicere, firmare pacem certo quodam ritu, ut infra eodem capite mox dicturus ſum.

4 *Palladem ſuam abeſſe, & cum fulmine* poſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſuam abeſſe & cum fulmine poſſe redire. Certe, inquit, abiit mea Pallas. quid fruſtra hîc morer? profanæ ſunt preces; deſtitutum numine templum. Nihil conſultius quàm ut vaticinari me ſimulem, vetarique à deâ, ultrà his ſacris incumbere. Sic effugiam facinus hujus pacis conciliandæ, & ingentibus deinde conſiliis liberiùs vacabo. Cùm illud placuiſſet, ut erat fœliciſſimi ingenii, & tunc maximè concitati, cœpit orationem parare, qualem fatidici habent. Vultus atque oculos, ubi furori indulſiſſet, quem ſuggerebat diſceſſus Poliarchi, ſciebat ſuo ardore mendacium optimè adumbraturos. In his cogitationibus hærentem adiere, qui monerent eam dicandis victimis expectari.. Adeſſe enim Regem, & ſilentium per præconem imperatum. Hilarior virgo erat, poſtquam conſilium animo ſederat, cui acquieſceret. Ergo ſe ituram reſpondit; animumque ſimul & greſſus ad deſtinatam fabulam comparavit. Jamque hinc Rex, inde Lycogenes, [1] mediam hoſtiam habebant. Circumfuſi Optimates diverſiſſimas mentes ſub uno componebant ſilentio. Populus cuneos undequaque ſtipaverat; & deſtinatum ſacris ambitum, ægrè appoſiti milites tuebantur. Sed pro monſtro fuit Argenis, ubi primùm à templo egreſſa, variantibus oculis, comiſque per horrorem jactatis, ſua veſtigia turbavit. [2] Furentis ſpecies erat,

poſſe redire.] Poliarchum, qui Pallas creditus eſt. Idemque cum valido milite rediturus, ut ſupra ænigmaticè loquitur, utiturque noviſſimis Poliarchi verbis Argenis.

1 *Mediam hoſtiam habebant.*] Ut in fœderibus. Sic Romulum inter & Tatium; Servium Tullum & Merium Suffetium; Livii lib. 1. de prioribus. Ita Virgil. lib. 8.

Poſt idem inter ſe poſito certamine Reges
Armati Jovis ante aras, pateraſque tenentes
Stabant, & cæſa jungebant fœdera porca.

2 *Furentis ſpecies erat, quæ motus deorum, nondum animo bene conceptos eluctaretur.*] Sic furentem Virgil. 6. Æneid. deſcribit Sibyllam:

——— Non vultus, non color unus,
Non comptæ manſere comæ, ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument.

Et paulo poſt,

Et Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poßit

Excuſ-

erat, quæ motus deorum, nondum animo bene conceptos, primâ ægritudine eluctaretur. Meleander in primis obriguit; Qui caſus, quæ furiæ, quiſve deorum filiam ſic urgeret. Ea autem aliquantò ſeverius rotatis luminibus orationem exorſa eſt, non in carmina quidem conditam (nec tam ſubitò licebat) ſed tamen ab humanâ conſuetudine in divinos ſermones vergentem; ut hanc facilè fuerit Nicopompo, non multis immutatis, in verſus ſic cogere:

Cur fugis ô, ſedeſque tuas ſanctiſſima linquis?
En mea Pallas abit: video currumque volantem
Averſamque deam. Proh dira audacia nobis!
[1] *Exilio damnata fugit. Quid thurea flammis*
Dona feram, cæſique greges altaria tingent?
Me mage Diva rape, & volucri per nubila tractu
Siſte ferens, queiſcunque tibi placet ire ſub aſtris.
Arma tamen quatis minax; procul Ægidis auro
[2] *Haſta incuſſa ſonat: redeunt per inane tumultus,*
Sævaque proſciſſo [3] *dirùm rubet orbita cœlo.*
Parce iſtis, ô diva, minis. Neu vindice ferro
Bella para, [4] *patrios neu corripe nubibus ignes.*
Heu furiæ! quò fata cadent? Quid ponere templa
Juvit, & auratis attollere limina ſaxis,
Si placet hoc audere nefas; ſi bella movemus
Cœlitibus, Numenque ſuis prohibemus ab aris?

Poſt-

Excuſſiſſe deum, tantò magis ille fatigat,
Os rabidum fera corda domans.
ſic Claudian. de raptu Proſerp.
Jam furor humanos noſtro de pectore ſenſus
Expulit, &c.

1 *Exilio damnata fugit.*] Poliarchus creditur Pallas, ad quem ſuos queſtus effundit.

2 *Haſta incuſſa ſonat.*] Juxta illud Virgil. 2. Æneid.
Emicuit parmamque ferens haſtamque trementem.

3 *Dirum rubet orbita cœlo.*] Veſtigia currus deæ abeuntis. Quod enim ſulcus rotæ igneſcit, iratæ deæ præſagium malum eſt.

4 *Patrios neu corripe nubibus ignes.*] Ne extorque noſtrum in caput patris tui Jovis fulmina, quæ in nubibus decoquuntur.

H I Pia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Poſtquam his ſimilia vaticinantis vultu profudit, mutata in ejulatus, maxime implevit ſpeciem divino tumultu correptæ. Et in illam quidem omnium oculos ſtupor defixerat: ſed præcipua Meleandri cura erat, revolventis quæ in oraculi modum edita erant; juſſam Palladem exulare, abeuntem deam minari; denique [1] piaculum eſſe commiſſum. Hæc quò minùs capiebat, eò frigidior animum metus inceſſerat. At Argenis, velut effusâ vi ſpiritûs, qui intra præcordia ad vaticinium ſævierat, omiſſis infulis, quas ademit de capite, ſupplex acceſſit ad patrem, rogavitque ut ſibi abſtinere ab iis ſacris liceret. Pudere enim ſe furoris inaſſueti; nec conſpectum populi tam ſubitò ferre. Hærebat Rex tot ominibus æger, & præter cætera metuens, ne Lycogeni in ſuſpicionem veniret; quaſi hæc monſtra turbandis fœderibus ipſe ex compoſito finxiſſet. Virgo autem inter ſilentium patris elapſa, deducentibus eam aſſuetis cuſtodiæ ſuæ militibus, conceſſit ad regiam. Arſidaſque tanquam officii causâ ſequutus, acceptis ad Poliarchum mandatis, ſtatim arce digreſſus eſt.

Fremitus interim, & mox liberius murmur in territâ plebe. Alii pacem ajebant [2] præſentiſſimo Numine improbatam; alii ad venturas Siciliæ clades referebant prodigium. pergere quidam ad ſacra miniſtros jubebant, & [3] quicquid id erat expiare; ſententiam ferebant promptiſſimè, qui minimè conſulebantur; ſed maxime eminebat vox, Fecialem vocantium. Nam ut Siculis Græcos mores ſua origo tradiderat; ſic vicinia Italiæ inſinuaverat multos ritus; in quibus & [4] Fecialium tota religio. Igitur Melean-

1 *Piaculum eſſe commiſſum.*] Piacularia auſpicia dicebantur, teſte Feſto, quæ triſtia portendebant.

2 *Præſentiſſimo Numine.*] Quod Argenis eluctari videbatur.

3 *Quicquid id erat expiare.*] Sacra ſemel incepta ſine piaculo non differebantur; inde Rex Euander ad Æneam, 8. Æneid.

Interea ſacra hæc, quando huc veniſtis amici,
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes.

4 *Fecialium religio.*] Dicti ſunt à faciendo,

Meleander, ſedaturus pugnantium vota; Nihil intereſt, inquit, Palladiſne an Jovis auſpiciis firmentur? de quibus bonâ fide inter viros convênit. Ades Fecialis Siculorum, & legitimos fœderum ritus obi. [1] Fecialis in veſte prætextâ longum carmen recitavit, quo diræ in fœdifragos continebantur. [2] Cæſa inde hoſtia fuit, cujus exta Rex ſimul, & Lycogenes tenuerunt. Ab hoc ſacro intraverunt in templum, [3] aramque & pulvinar tangentes, rurſus fidem obligarunt numinibus. His peractis, ſe ad regiam pompa convertit. Sed nec plauſus populi ſequebatur; nec gratulantibus amicis ſynceri vultus erant. Rex tamen, ut oportuit, animi dolore fraudato, & ad hilaritatis indicia verſus, eo die [4] publicum convivium iniit, ludoſque proximo die inſpexit; in quibus [5] poëta ſoccis egit, retu-

ciendo, quod belli paciſque faciendæ penes eos jus eſſet; neque enim licebat bellum inferre, niſi ex juſta cauſa ſuſceptum declaraſſent, ut ſept. Verrina; *habemus hominem in fecialium manibus educatum, unum præter cæteros in publicis religionibus fœderum ſanctum ac diligentem. Fecialium collegium à Numa Pompilio inſtitutum eſt.*

1 *Fecialis in veſte prætextâ longum carmen recitavit, quo diræ, &c.*] Ita Livius lib. I. *Audi Jupiter, pater patrate, &c. Illis legibus populus Romanus prior non deficit, ſi prior defexit publico conſilio, dolo malo, tu illo die, Jupiter populum Roman. ſic ferito, quanto magis potes polleſque. Hæc ubi dixit porcum ſilice percuſſit.* Carmen autem vocat hoc fœdus jurejurando firmatum Titus Livius lib. I. quæ longo, inquit, effata carmine, &c.

2 *Cæſa inde hoſtia fuit.*] Porca ſcilicet, ut ſupra.

3 *Aramque & pulvinar tangentes.*] *Sic de more*, ut ait Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 2. *litare ſola non poteſt oratio, niſi & is qui deos precatur, etiam aram manibus apprehendat. Fama eſt*, inquit, Livius lib. XXI. *Annibalem, cum perfecto Africo bello ſacrificaret, altaribus admotum tactis ſacris jurejurando adactum ſe hoſtem populo Rom. fore.* Sic de Iarba Virgil. 4. Æneid.

— Araſque tenentem
Audiit Omnipotens.

Et lib. 6.

Talibus orabat dictis araſque tenebat.

Apud eundem Macrob. Varro ait *aras* primum *anſas* dictas, quod neceſſe eſſet eas à ſacrificantibus teneri. Pulvinar autem diis quaſi præſentibus in ſupplicationibus ſternebatur, unde & dicta lectiſternia. Titus Livius lib. 5. *Pulvinar ſuſcipi poteſt, &c.* Cicero Catilin. 3. *ſupplicatio ad omnia pulvinaria decreta eſt* Horat. lib. I. Ode 37.

Ornate pulvinar deorum.

4 *Publicum convivium.*] Publicæ lætitiæ argumentum, celebrabanturque palam in fœderibus & triumphis. Tacit. 3. Annal. *Fuit inter irritamenta invidiæ domus foro imminens, feſto ornatu, convivium & epulæ.*

5 *Poëta ſoccis egit.*] Ut cothurnus heroïcam tragœdiam notat, ſic & ſoccus comœdiam, in quâ privati plebis mores exhibentur; ut acutè à Menandro, Plauto, Cæcilio, Nævio, Licinio, &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

retulitque facetos de populo jocos. [1] Regia enim & tragica, edi illo tempore non placebat. Per multos hoſce dies, utriuſque amici, à Rege & Lycogene moniti, non modò abſtinuere rixâ; ſed & frequentibus mutuiſque epulis, ſecuritatis & lætitiæ larvam auxerunt. Nam & Argenis, quæ ſimulatione morbi jacuerat, in publicum prodiit, poſtquam Arſidas literis ſignificavit, ſe, ſuumque vectorem, incolumes Italiam tenuiſſe.

JOAN-

Socco ne ingrediatur Tragœdia, nec Comœdia in cothurnos aſſurgat, inquit Quintilian. & Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Quæ ſocci ſuperent riſus, luctuſque cothurni.

1 *Regia enim & tragica.*] Agit enim tragœdia de Heroïbus. Æſchylus, Sophocles, Euripides, Andronicus, Accius, Pacuvius, Seneca, &c. in hoc genere primas tenent. Horat. de arte Poëtica,

Omne genus ſcripti gravitate tragœdia vincit.

JOANNIS BARCLAII
ARGENIS.
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Rex uni Argenidi conſilium aperit ſibi regiæ dignitatis ultionem in animo eſſe. Gratulatur Argenis fortiſſimum conſilium patri, & ad Epeirčten iter adornat. At Seleniſſa æſtro invidiæ perculſa, Timocleæ famæ detrahit.

POLIARCHUM ex Sicilia exegiſſe, viſa Lycogeni ingens de Meleandro victoria: quippe acer juvenis, maturuſque conſilio, ſui genii magnitudine regias partes extulerat, & faciliora factioſis ſcelera erant hoc extincto, vel ſaltem abſente. Mortis enim ipſius opinio diu non conſtitit; ſed ſive res ſuſpecta tantùm fuit, ſive à conſciis edita, non obſcurè Arſidas jactabatur, illi cum navigio ſalutem obtuliſſe. Et hæc prima Lycogenis in Regem criminatio; cùm per homines ſubornatos, in populum ſpargeret, Meleandro fluxam fidem fuiſſe & rege indignam. Quippe illius juſſu legatos à Poliarcho cæſos, & [1] reum clàm exemptum ſupplicio: jamque ſecurum in Italiâ, fortè ad paria facinora, præſtari. Hæc modeſtè Lycogenes, & tantùm apud eos, quibus inviſus Meleander: ſed clientes licentiùs infamiam Regis urgebant. Novis enim motibus materia quærebatur; nec deerant qui hæc tumultuandi initia

1 *Reum clàm exemptum.*] Poliarchum notatum perduellionis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

initia ad Meleandrum deferrent. Ille conſultò in priſtinæ lenitatis ſpecie perſeverabat; ut quæ incuriæ imago res antea ejus afflixerat, jam imponeret inimicis. Accendebat ejus animum, præter facinora Lycogenis, periculumque fortunarum, virilis in Argenide conſtantia: apud quam cùm quereretur, quòd ſacrificium deſtituiſſet, feciſſetque ſuſpicioni locum, quæſitæ rationis quâ fœdera turbarentur; Si quid hîc (retulit, ipſa peccatum eſt, juſtius erit de Numinibus te queri. Stimulos ego nec recuſare, domine, potui, nec tenere. Cæterùm plures ſunt qui mirentur te iniiſſe pacem, quàm me Deoſque ab eâ refugiſſe. Ignoſce libertati, quam mihi bonitas tua facit: fortè melius eſſet inter ſtrenua opera ſemel perire, quàm tot injuriarum patientes regnare precariò. Rex indole ſupra muliebrem erectâ permotus, diu penſatæ ſeveritatis conſilium exequi ſtatuit; cui rei conducebat, Epeircten, ſive bello, ſive fugæ, aptiſſimam ſedem, incolere; in quam pridem, quæ utrique fortunæ conveniebant, diſſimulatâ ratione convexerat.

Epeircte in Panormitanorum finibus mons eſt, aliquot millium ambitum amplexus. Imæ radices abſciſſis præruptiſque rupibus attolluntur; mox ubi per inacceſſas cotes mons in modicum tumorem excrevit, paulatim faciliora latera acclinat, donec ad verticem pervenias, haud modicâ planicie æquatum: in quâ & tumulus commodè eminet, tanquam à naturâ productus in arcem. Illud jugum munitionibus Reges firmaverant: reliquus montis vertex juſto oppido, ſparſiſque præterea, & amœnis ædificiis incolebatur. Quo latere ad mare mons pertinet, capax omnis navigii portus ſeſe inter ſaxa inſinuaverat, laxo aditu, aquâ præaltâ, & propter montis amplexum, à procellis ſecurâ. Huic portui oppidum tam opportunè imminebat, ut iis invitis à quibus obtinebatur, nec ſubire naves poſſent, neque arcta ſemita teneri, quæ à mari ducebat ad jugum. Quà verò interiora inſulæ mons ſpectat, duobus

bus duntaxat callibus aſcendi tunc poterat, iiſque pari modo impeditis. Ingens quoque levamen Epeirčten colentibus, quòd quacunque intermittunt ædificia, uberrimi pecoribus paſtus naſcuntur. Et ut hunc ſitum, beneficium deorum putarent, effecerat copia fontium, & innoxius aër, in quo nulla veneno infeſta animalia vivebant. In limine callis qui ſurgebat à portu; [1] Cereris ſignum, cum ſpiceâ coronâ, & [2] ſerpentum volucri jugo; religionem offerebat intrantibus, ne inſalutato numine progrederentur, vel ſaxum negligerent, quod rudibus litteris deam loqui in hunc modum faciebat:

Si mihi [3] *quà curvo Nereus vehit æquora cinctu*
Omnis humus fruges, atque omnis mitia debet
Jura locus, [4] *vetuique fero nemoralia ritu*
Pabula Chaoniis miſeros decerpere ramis:
His ſaltem ô cunctæ meritis concedite gentes,
Sicanio ſim tuta ſolo. Reverentia noſtri
Adſit, & has nullus ſurgat populator ad oras.
[5] *Namque mihi hæ ſedes; hæc fatis dedita tellus,*
Hæc placet. Exerti tantum ferat arma coloni
Pingue ſolum, & duro tantùm de vomere vulnus.
Haud injuſta precor. Si quis tamen impia contrà
Signa feret; me me ille gravem, me ſentiat hoſtem.
[6] *Ipſa faces;* *ipſa arma feram;* [7] *cognataque junget*
Mecum

1 *Cereris ſignum, cum ſpiceâ coronâ.*] Quia frumenti inventrix.

2 *Serpentum volucri jugo.*] Sunt enim ſacri Cereri, eo quod nullum magis terreſtre ſit animal, quodque generantur ex corruptione. Ovid.

—— Geminos dea fertilis angues
Curribus admovit frænisque coërcuit iras.

3 *Quà curvo Nereus, &c.*] Per totam terram, quæ cingitur Oceano, pro quo Nereus deus marinus ſumitur.

4 *Vetuique fero nemoralia ritu Pabula Chaoniis miſeros decerpere ramis.*] Senſus eſt, Ceres ego nemoralibus pabulis, id eſt, glandibus vetui, quo minus veſcerentur mortales, ritu fero, hoc eſt, veterum, qui more porcorum glandibus alebantur, quia inveni modum ſerendi. Chaoniis ramis, id eſt, glandibus decerptis ex Chaonia ſylva, ſacra Jovi & celebrata columbarum, quercuum oraculis.

5 *Namque mihi hæ ſedes.*] Sicilia ſacra Cereri ob fertilitatem.

6 *Ipſa faces.*] Alludit ad religionem facum, de qua ſupra lib. 1.

7 *Cognataque junget Mecum omnis Natura manus.*] *Cognata* dicitur natura Cereri, quia per cæterorum elementorum conjunctionem mixta producuntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Mecum omnis Natura manus. Saturnia proles
[1] *De Jove ſum mater*; [2] *fraternos cœrula nutus*
Unda timet, [3] *nigroque gener capit omnia mundo.*

Meleander multò antè aſſueverat illuc divertere, quaſi pulchritudinem loci ſequutus; venationum quoque ſimulato amore quas vicina regio ferebat; fidiſſimi militum in præſidio erant, &, ne ſi cœptis fortuna abfuiſſet, etiam intercideret fuga, vario prætextu, regiarum triremium partem ad ſtationem applicuit. Captatis quoque temporibus; quicquid olim cumulaverant Reges, in eam arcem delatum eſt. Vis magna gemmarum: [4] coraliorum multiplices rami, quos ex vicino mari petierant. Exoticam purpuram per aliquot ſæcula coactam [5] pinguis murex ſuo fulgori ſervaverat. Vaſa aurea atque argentea; quorum pauca recenti artificio nitebant: rudia plura, impenſiùs in vetuſtatis reverentiam colebantur. Signatæ pecuniæ ingens modus non erat, per liberalitatem Principis exhauſto ærario, quam denique futuri conjectura minuerat.

Rex uni Argenidi conſilia aperuit; ſibi regiæ dignitatis ultionem in animo eſſe: ſi ſimul Lycogenes & factioſorum præcipui, variâ negociorum ſpecie cogi poſſent ad regiam, (jam enim in diverſa ſeceſſerant) omnibus ſe judices, & ſupplicia daturum. Huic rei Epeircten eſſe idoneam, unde & vicina regio teneretur, & in poteſtate maria eſſent. Forſitan, inquit, violenta conſilia reliquos frangent, qui meæ clementiæ fiducia peccant. Sin reſurgent ſæviùs bella, conſiliumque eventus deſtituet; relinquam

1 *De Jove ſum mater.*] Ceres filia Saturni, compreſſa à Jove fratre peperit Proſerpinam.

2 *Fraternos cœrula, &c.*] Id eſt, frater Neptunus maria moderatur.

3 *Nigroque gener, &c.*] Pluto raptor Proſerpinæ, inferorum Rex.

4 *Coralliorum multiplices rami.*] Frutex eſt mollis & viridis coloris, dum ſub aqua naſcitur, baccas producit candidas; aqua exemptus ſtatim lapideſcit, ruboremque contrahit. Naſcitur in mari rubro, laudatius in Oceano ſeptentrionali, juxta Orcadas inſulas. Converſionem viridis coloris in rubrum fabulantur poëtæ attactu Meduſæi capitis eſſe factam, ut Ovid. Metamorph. lib. 4.

5 *Pinguis murex.*] Piſcis, ex cujus ſanguine purpura exprimitur.

1 *Neque*

quam ingratiſſimum ſolum, tecumque divitis triremibus imponens navigabo in Africam. [1] Neque enim illic deſunt qui fugientem excipiant: & aut ego tantus natu, aut tu in annis ejuſmodi clade indignis, fortunam placabimus. Si ea calamitas incidet, ſolam Epeirčten commendabo Eurymedi: hanc cum delectâ manu ad extremum propugnet. Interim nobis, (gnata) pœnas dabit Sicilia, gravibus inter ipſos conjuratos odiis lacerata; vulguſque errore diſcuſſo, quid illi ſint, & quid fuerimus, triſtiſſimâ æſtimatione penſabit. Quippe nec in dividendis facinoris præmiis unquam convenient, nec Lycogeni omnes accedent. Multi enim me percelli, non everti, deſiderant. Sic inter ſe commiſſi, pars ad nos reſpicient: & reditus noſter fortè illorum beneficium erit, quorum ſcelere pulſi fugerimus. Tu interim, Argenis, in arcem concede; vereor enim ne bellum improviſo aut accipi aut inferri oporteat. Unum vide, ne in tuam familiaritatem ignotæ fidei mulieres admittas. Satis eſt, mea gnata, proditione virorum nos lædi.

Ad hæc Argenis, gratulata fortiſſimum conſilium Patri; & hortata novo bello experiri fortunam, adjecit ſe hactenus cum fide curaſſe; ne ignoti ingenii mulieribus ſua familiaritas pateret. Sed poſtquam digreſſi ſunt, cogitare acriter cœpit, à qua muliere timendum Rex monſtraſſet: quæve ſecum omnino viveret ipſi inviſa. Statimque conſuluit Seleniſſam, ignara, illam eſſe, quæ Timocleam Regi ſuſpectam occultiſſimâ fraude effecerat. Et tunc quidem callidiſſima anus, quanquam læta ſuas artes procedere, perfidioſe apud Argenidem ſimulavit mirari ſe, quis ad has curas impuliſſet Meleandrum. Cauſa autem cur arcanis conſiliis Timocleam petiiſſet, hæc erat. Argenidem illius officiis in Poliarchum ſenſerat eſſet captam;

1 *Neque enim illic deſunt, &c.*] Scilicet Hianisbe, quæ Annæ conjugis Meleandri ſoror fuerat, ut infra.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ptam; verebaturque ne jucundiſſimâ novitate Matrona veteres amicitias anteiret. Ergo invidiæ curis gravis, ad familiaria in aulis flagitia & odia ſe convertit. Nihil tamen apertè in Timocleam loquuta eſt. Ars enim & cauſa perierat, ſi deprehenderet Argenis fraudis ingenium. Sciebatque præterea, ſe mulieri graviorem hoſtem fore, ſi eam odiſſe non ſciretur. Varia itaque ingerebat, quibus conſultiſſimum eſſe probaret, ut Argenis beneficium in eam aut omitteret, aut differret. Viſne, inquiebat, ſcire Timocleam hæc præmia eſſe occultati Poliarchi? viſne ſecretæ inter te & illum fidei pignora in plures emanare? Solertiùs [1] mecaſtor feceris, ſi tanquam tuopte ingenio illi mediocriter favebis; ut dari, non referri beneficium credat. Sit verò ſuæ domi. Non careret ſuſpicione, illa tuæ familiæ acceſſio. Finge enim (quod & Superi faxint) nunquam in vulgus periculoſe emanaturum, ab ipſa Poliarchum eſſe ſervatum. At quid iſte hoſpes Archombrotus? Scit quantùm de eo ſit merita; & præmia tam ſubitò ſcilicet à te ſolvi non ſentiet?

His, & pluribus, ſibi veriùs quàm alumnæ cavebat Seleniſſa; rata actum de gratiæ quo eminebat faſtigio, ſi præter ſe alia eſſet cui nihil ſileretur. Sed tam commodè, tantoque circuitu peccabat, ut videretur unam Argenidem curare: aſſiduum & exitiabile Principibus malum, apud quos gratioſi prætextu juvandi aut monendi, ſatiant invidiam, & interdum æmulos laudibus attollunt, ut maligna deinde inſerentibus ſit pronior fides. Ergo & Seleniſſa ſuſpiciones ſecretò ornaverat, quæ in Timocleam Regi allapſæ ſunt; Hanc olim faviſſe Lycogeni & adhuc incertam fide eſſe; tamen ab incautâ Argenide amari. Rurſuſque apud Argenidem ejuſdem matronæ laudes, & merita, miſcebat imagine periculi, quod in eâ ſubvehendâ ti-

1 *Mecaſtor.*] Supple, adjuvet. Proprium fœminarum jusjurandum, quo Argenis hic, ut ſupra Timoclea, utitur.

dâ timendum videbatur. Et quoniam partim vera monebat, effectum eſt, ut vix meliùs ab Argenide Timocleæ eſſet; niſi quòd interdum, ut ſolebat, venienti, familiariùs ſe præbebat, augebatque recedentem aliquot donis, liberalitatis occaſione utique ſemper aptè quæſitâ.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

Poſt profectam cum Ibburrane Argenidem, Meleander quoque Epeircten ex conſtituto proficiſcitur. Eò dum ſe confert, equis in lacum demerſis, ingens vitæ periculum adit. Sed Archombr. accepta pone Regis veſte periclitantem è lacu detrahit. Regis aurigam vultu horrenti ad ripam tendentem Eriſthenes, tanquam Regem vindicaturus, improviſo ictu excipit: quod conſultioribus minime placuit. De regni negotiis, & revocando Poliarcho Rex concilium cogit.

INTER hos dies Argenis, ut erat imperatum, comitante Ibburrane, qui tunc fortè negociorum causâ in regiâ erat, Epeircten profecta eſt. Nec multò poſt Meleander, cùm in idem oppidum ſe conferret, ingens vitæ periculum adivit, ſive ſuorum fraude, ſive fatorum conſilio, gratiam & favorem Archombroto quærentium. Lacus erat paſſuum non plùs mille in ambitu; placidis quidem & facilibus ripis, ſed aquâ deinde præaltâ, & inſtabili fundo. Ad illum Regis auriga declinavit tanquam viâ magis apricâ ducturus. Frequentia curruum, qui illic quotidie agebantur, multis orbitis notabilis, ne quid timeretur, effecerat, cùm ecce Regis equi ſeu ſponte conſternati, ſeu culicum paluſtrium ſtimulis acti, aut denique proditione ductoris, quaſſatis altè jubis, & periculosè arrecti, viam in lacum præcipitant; omnibus quidem qui in comitatu erant pavidiſſimâ vociferatione certantibus: ſed pauci ferebant auxilium; ſive intempeſtivo metu ſibi cavebant, ſive ſubiti atrocitas periculi vires torpentibus eripuit. Inter illos qui ruentem per devia currum cum fide ſequebantur, nemo Archombroti celeritatem æquavit. Nunc aurigam ille monere, ut acriùs equis obſiſteret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſteret, nunc Regem ut ab curru in aquas deſiliret, nondum hominis menſuram æquantes. Ferebatur interim currus, primaſque jam rotas altior aqua ſuppreſſerat. Tum verò Archombrotus virile facinus auſus, quia impeditus fluctibus equus tardius eum vehebat, ſe in lacum pedes miſit; ad vicinum deinde currum præcipitans, volentem Meleandrum arreptâ ponè veſte tam maturè detraxit; ut eodem fermè momento lacus ſubitâ voragine deſidens, totos cum vehiculo equos abſorpſerit. Archombrotum Regis pondus in ſe è curru collabentis afflixerat; tum ex pingui argillâ lubricum fundum, & ipſius aquæ inſtabilis moles quæ perveniebat ad humeros. Nec minus Rex laborabat ſua veſtigia obfirmare. Ita luctantibus ſimillimi inter ſe invicem hærebant; cùm jam propè cedentes incumbentibus undis celerrimi amicorum eripiunt.

Ubi ad ripam Meleander pervenit; tanti quod evaſerat periculi horridior imago, tum ſuo, tum ſuorum animo inſedit. Illud præcipuè horrorem augebat, quod imperitus natandi certiſſimè periiſſet, niſi Archrombrotus contemptâ ſalute veluti in ſe avertiſſet periculum; quem ubi & natandi rudem eſſe compertum eſt, cœpere utique omnes impenſiùs mirari hunc in Regis diſcrimine adeò vilem ſibi fuiſſe, juvenem, externum, non beneficio, non lege obligatum; cùm tot, proh pudor! gentiles & obnoxii ceſſaſſent. Præcipuè Regem, ut debuit, hoc beneficium permovit. Cupidè illum amplexus erubeſcentem ad ſuas laudes tenebat; & jam antea tantâ indole ad amandum compulſus, gaudebat hoc caſu poteſtatem eſſe factam eum ſibi intimâ, nec invidioſa familiaritate jungendi. Interim Regis auriga elapſus fluctibus vultu horrenti ad ripam tendebat, cùm Eriſthenes diu ante verbis in eum bacchatus, gladium ſtrinxit, & tanquam Regis periculum vindicaturus, improviſo omnibus ictu excipit infœlicem. Confoſſus ille ruit in aquas, magno quidem juventutis, quæ aderat, plauſu. At non illa conſultioribus placuerunt. Si

non

non enim hæc aurigæ culpâ contigerant, cur miſer tam cruentè mulctabatur? Sin noxam meruerat, cur non habitâ quæſtione, non editis conſciis, facili morte eripiebatur ſuppliciis? An unus denique Eriſthenes Regem amabat, tam properæ ultionis miniſter? Lapſi inde animi, ut auriga crederetur factione Lycogenis emptus Regis vitam hoc facinore petiiſſe, & quoniam ſceleri fata obſtiterant, ne conjurationem prodere cogeretur, ab Eriſthene Lycogenis amico eſſe ſublatum. Sed Eriſthenis potentia, nondumque maturum ad ultionem tempus, quamvis invitum Meleandrum ad diſſimulandum coëgit; vultu quidem ſic placido, ut nec ſe Eriſthenes ſenſerit eſſe ſuſpectum.

Ubi Epeircten perventum eſt, frequens Optimatibus oppidum fuit, de Regis ſalute gratantibus, Meleandro tegente quid animi ſibi eſſet, & ad omnem hilaritatem ſe cogente. Erant in primis Lycogeni amici Oloodemus, & Eriſthenes, per hunc ad ingentis potentiæ gradum ſubvecti. Nam Eriſtheni ſummam ærarii Meleander crediderat; certus ſe has vires hoſti conferre; ſed ita tempora, & quam iniverat ſimulatio, ferebant. Oloodemus, [1] quicquid ad Pachynum promontorium jacet regendum acceperat. Hi facinus inter ſe partiti, diverſa procurabant; & cum Lycogene Oloodemus corrumpendæ Siciliæ à Regiâ aberat; Eriſthenes muneris ſui ſpecie incumbebat Regis conſiliis. In his tribus ſummam hoſtilium virium eſſe conſtabat. Rex quamquam conſilii jam certus, tamen quid Cleobulo ſententiæ eſſet, ſcire expetiit. Eurymedis quoque conſilio plurimùm utebatur; & Archombroti ſumma gratia erat. His tribus ſecretò convocatis Meleander Argenidem ſecum habens, ita primùm locutus eſt, ut non oſtenderet ſuum ſenſum, ne præjudicio illo periret, libertas ſentire timentium Regi contraria, aut ſe fruſtra diſſuadere credentium. In quo rerum articulo Sicilia eſſet oſtendit;

1 *Quicquid ad Pachynum promontorium.*] Quod Mauritaniam reſpicit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

dit; importuniorem illam pacem priſtino bello; hæc ſe pridem auguratum Epeirčten, in qua tunc arce erant, muniiſſe; ſcire ſe, ex paucis capitibus momenta tam atrocis ſeditionis pendêre. Jam rogare quid authores ſibi eſſent. Nemo in tantis rebus audebat loqui prior, donec in ætatis reverentiam, expertæque prudentiæ, Rex Cleobulum dicere juſſit: & ille, Strenuè, inquit, agendum eſt, ô Rex; aut expectandum tanquam velatis capitibus maturum exitium. Mediocris virtus pro vitio tibi erit. Nec aut famam, aut deos, ſi te de iſtis hoſtibus ulciſcêris, lædere puta. Nam & primus Lycogenes peccavit in fœdera; & ipſius ſupplicio qui te contemnunt, vel odere, mutabuntur. Scimus ſolicitatas urbes, deſcriptos milites penè ſub ſignis eſſe. Quid moraris? An donec nihil ampliùs in Sicilia ſyncerum ſit? Timeſne turbare adhuc præcoces illorum apparatus; aut [1] religiosè expectas, donec ferrum jubearis recipere? Eriſthenem hîc habes; Lycogenem, & Oloodemum, tanquam ad conſilium in re ſubitò oblatâ, accerſe. Si venient, confeſtim majeſtatis damnatos conficias. Sin abnuent; hos tu verò contumaces, nec dum omnia inſtructos, juſto celerique bello perſequere. His Cleobuli verbis adjecit Eurymedes, ſpondere ſe, peditum ſex millia, equiteſque quingentos, in fide & poteſtate fore. In prætorianis partim hos eſſe, partim in Epeirčtes præſidio. Alios Panormi, & in arce [2] Epipolis diſtributos. Tantillam veteranorum manum tyronibus poſſe præſtare, quoſcunque delegiſſet Lycogenes. Et ubi regia vexilla fulciſſent, haud dubiè multos ſe melioribus partibus applicituros.

Inter

1 *Religioſe expectas, donec ferrum jubearis recipere.*] Alludit ad gladiatores, quibus ex orcheſtra conclamabatur, ferrum recipe; & ad homines, qui eligebantur in victimas mortuis immolandas, ut eſt apud Homerum in Patrocli funere, & apud Virg. in Palladis exſequiis. Religioſe autem miſeræ victimæ debebant expectare ferrum, nec fugere, ne ſacri turbarent ordinem. Alludit etiam ad victimas homines immolatos Diis Deabuſque, ut Saturno & Dianæ Tauricæ, & in Gallia Mercurio.

2 *Epipolis.*] Juxta Syracuſas.

1 *Igna-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Inter hæc, Archombrotus, illatâ armorum mentione hilarior, ratuſque locum eſſe, aliquid pro Poliarcho audendi; Ego, inquit, & externus, & juvenis, de ſummâ rerum non diſputo. Sed ſi bellum vobis placet, cur auxilia veſtra reſpuitis? cur ante diſcrimen frangitis vires? Poliarchum Lycogenis invidiâ pulſum, adhuc hodie nemo eſt militum, qui non optet reſtitui. Præterquam quòd bellicis artibus valet, timendumque eſt hoſtibus nomen, ſcitote illius reditu conſpectuque, tanquam ſalutis auſpicio, promptiores ad omnia exercitus fore. Equidem quærendum cenſeo, excuſataque temporum neceſſitate, quæ illum hinc abegit, ad novam lauream invitandum.

Hæc fidenter pro Poliarcho orantem Argenis intuebatur, eò potiſſimùm læta, quòd Rex illum avidè audiebat. Itaque ne quis tam liquida & prolixa omina turbaret, ipſa adjecit, in eâdem qua Poliarchus causâ, Arſidam eſſe; quem omnes ferunt, inquit, in Italiâ moras trahere, tanquam ſolum exilii causâ vertiſſet. Nec aliud ipſi crimen, quàm abvexiſſe Poliarchum. De Arſidæ fide, ô Rex, non dubitas; & fortaſſe de nobis iſto facinore, quàm de Poliarcho plùs meruit. Quòd ſi tamen deliquit, hunc donari mihi peto; licèt quamdiu Poliarchus in damnatis aut inviſis fuerit, non poſſit abſolvi. Argenide in defenſionem Arſidæ, quia cum ſalute Poliarchi cohærebat, erectâ, omnes in virginis gratiam eadem cum ambitu ſenſerunt.

Tum Rex; Diis, inquit, res noſtras curæ eſſe, vel ideò intellexi, quòd mirabili animorum conſenſu, quæ apud me conſtitueram, eadem ut facerem ſuaſiſtis. Sit igitur auſpicibus diis ratum in Lycogenem bellum; ſi abſque tumultu capi, & perduellionum ſupplicio tolli non poterit. Poliarchum autem, & Arſidam, pridem meo ſuffragio abſolvi; reſtat quærere, qua ratione utrumque reconciliemus domum. Omnibus viſum, notæ fidei aliquem cum muneribus ad Poliarchum mitti debere, eumque orari ut cùm primùm cœptæ erunt in Lycogenem turbæ, remi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

gret in Inſulam. Sic conſtitutis rebus conſilium Rex dimiſit, omnibus, quæ ſciebant, ſenſerantve, diligenter premere juſſis. Sed Argenis de amantium more ſemper immodicè exultans, aut mœſta, objectâ præter ſpem lætitiâ apertè fruebatur; ignaruſque rei pater; Accipio, filia inquit, omen: ex quo in hæc mala incidimus, nunc te primùm hilarem, & porrectæ frontis cerno.

CAPUT III.

ARGUMENTUM.

Archombrotus impotenti Argenidis amore torquetur. At Lycogenes nulla non arte nititur plebem demerere. Eum Hyperiphaniis occulte uti, fama eſt. Qui ſint iſti Hyperiphanii, & iſtius ſectæ quis author, Archombroto Ibburranes ediſſerit.

VESPERA appetebat, & in hortum regium Archombrotus, ut plerumque ſolebat, intravit. Illic cùm ſolus inter arborum ſpatia erraret, in noctis memoriam incidit, quâ Timocleæ hoſpitio cum Poliarcho erat uſus. Inter cætera ſubiit animum, frontis vociſque mutatio, quæ illic Poliarchum de Argenide interrogatum confudit; id enim Archombrotus in amoris indicium cùm traxiſſet, deinde exciderat ſupervenientium rerum mole, eò faciliùs quòd non amorem mutuum, ſed juvenilem in Poliarcho inſaniam eſſe conjecerat. Tunc verò diligentius omnia revolvebat: bis ad Argenidis nomen Poliarchum obſtupuiſſe: bis de virginis ætate & moribus rogatum, reſpondiſſe ſtrictim tantùm, & ut ſcires incompoſiti ad hoc nomen animi eſſe. In illius rei memoriâ hærenti, ſuccurrit, Argenidem, dum Arſidam apud patrem tueretur, inter ſeria verba & preces, totam arſiſſe. Facinus autem Arſidæ ad rem Poliarchi pertinebat. His utrinque penſatis, ſecretæ inter illos neceſſitudinis facta eſt Archombroto ſuſpicio. Occurrerunt ilicet cogitanti, virtutes Poliarchi, & quicquid hunc ad ſpem tantam ſubvehere potuerat, aut ſolicitare Argenidem. Certè quòd illius genus lateret,

teret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

teret, aliquid eximium poſſe ſubeſſe. Neque enim, inquiebat, ſolus ſum, cujus genus aut fortunæ, ex illâ quam ſubii diſſimulationis larvâ æſtimari non debeant. Sed dum Argenidis ſpeciem, fortunamque, ad animum revocat ſuum, fœlicemque hoc amore Poliarchum tacitâ gratulatione ingeminat, ea ipſa laudare incipit & mirari, quæ antea intactus aſpexerat. Nam quid Argenide venuſtius eſſe? cui unquam ad tantum habitum, tantoſque parentes, tot virtutes acceſſiſſe? Si non generis prærogativa eſſet, ſed ex Siciliæ virginibus delectus haberetur, neminem ante Argenidem ad regnum aſciſcendam. Sapientiam, modeſtiam, verba, ſuo ſexui præſtare; ſpeciem ſupra mortalem eſſe. Poſt hæc ad ſe redibat Archombrotus, nec indignam tantâ ſpe nobilitatem ſuam, haud dubium novis ignibus alimentum, reputabat. Et id primò non quaſi amaturus; ſed tantùm veluti otioſa, nec imparia tamen vota. Capi inde paulatim, & oblectatione jam anxiâ ad earum rerum imagines teneri; [1] ignarus, ſi victor & liber eſſe vellet, fortitudine opus eſſe in hæc ipſa amandi initia. Quantùm charior fiebat Argenis, tantùm de amicitiâ decedebat, quæ illum Poliarcho conjunxerat, primùm invidiâ, mox æmulationis malo graſſante. Ita æger, & ad animi captivitatem adactus horto digreditur, quem paulò antè fœlix ſolutuſque intraverat. Acceſſio mali fuit, quòd ad ſolatium in eâ tempeſtate ſolitudinem quærens, ſolus cœnavit. Nam cùm tacitus ſecretuſque, non aliud quàm amorem audiret, paulatim, illis curis ſe permiſit, quæ intra pauciſſimos dies efflictim amantem nondum expertis malis urſerunt.

Dum hæc apud Regem aguntur, non ſolutiori curâ cum ſuis Lycogenes meditatum facinus adornat. Is ad præcipua oppida non uno prætextu divertens, magiſtratus

1 *Ignarus, ſi victor & liber eſſe vellet, fortitudine opus eſſe in hæc ipſa amandi initia.*] Ita Ovid. de remedio amoris, lib. 1.

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluêre moras.

I   1 *Caput*

tus exhibito convivio hilariores monebat, ne publicam libertatem ſinerent prodi. Peſſimis conſiliis infeſtari Siciliam; meminiſſent ſe in regno, non ſub tyrannide eſſe: nec in regem quicquam addebat, niſi ita perplexè, ut id poſſet vel Meleandro excuſare. Cùm his verbis incitatos videbat, quaſi familiariùs agens, imperfectum aliquid inter ſuſpiria, vel publicè, vel præcipuis in aurem, loquebatur; ut piâ ſolicitudine plura timere videretur, quàm quæ auderet evulgare. Inde non pauci, in eum ut patriæ columen aſpicere, curâque ſubtriſti Meleandrum faſtidire: cum præſertim jactaretur in populo, nunc contemptis popularibus ad publica negocia acciri peregrinos, nunc tributa & portoria augeri: cædes denique imminere à Principe ſuperioribus bellis infeſto. Præter has artes, ſacrificuli pretio empti haud parum valuere. Ominibus & auſpiciis ementitis omnia in religionem vertebant. Seu publicè ſeu privatim mactata hoſtia erat, effictis prodigiis ſpectantes terrebantur; nunc [1] caput deeſſe jecinori; nunc turbato ordine, fibras emicare extra ſedem; ſemperque nova fata inſtare, & meliora præteritis: nihil autem quod tunc fieret diis placere. Contigerunt præter has larvas, non falſa, aut fucata prodigia, quibus affirmabantur proximæ clades. Nam & [2] de cœlo lapidatum eſt; & alicubi [3] gemini ſoles micuerant. Sed pauca hæc monſtra fictis

1 *Caput deeſſe jecinori, &c.*] Nullum diſcrimen vehementius fuit, quam ſi caput jecinoris, vel ipſum jecur in extis defuiſſet; niſi in ſollicitudine & metu, quia curas tunc perimere putaverunt. Quo menſe Claudius Cæſar veneno interemptus fuit, ſacrificanti jecinoris caput defuiſſe conſtat. Quod & Caio principi eveniſſe memorant. Hæc exta peſtifera dicta ſunt. Livius lib. 8. c. 9. *Decio caput jecinoris à familiari parte cæſum Aruſpex dicitur oſtendiſſe, &c.*

2 *De cœlo lapidatum eſt.*] Plin. Jun. lib. 2. *Celebrant Græci Anaxagoram Clazomenum, Olymp. 78. 2. anno prædixiſſe cœleſtium litterarum ſcientiâ, quibus diebus ſaxum caſurum eſſet è Sole, idque factum interdiu in Thraciæ parte ad Ægos flumen, qui lapis etiam nunc oſtenditur colore aduſto.* Tit. Liv. l. 7. *Prodigium extemplo dedicationem ſecutum ſimile vetuſto montis Albani prodigio, namque & lapidibus pluit.*

3 *Gemini Soles.*] *Gemini, alias trini ſoles ab antiquis ſæpius viſi ſunt, Spurio, Q. Mutio; Q. Martio, Marc. Portio; M. Antonio, P. Dolabella; M. Lepido, L. Planco Coſſ. & noſtra ætas vidit, D. Claudio principe*, inquit idem Plinius, lib. 2. nat. hiſt.

1 *Demere*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſictis innumeris fidem fecerunt: ut homines omnia temerè crederent, timerentque. quem miſerorum ſtatum quidam Poëta, & ipſe publicæ inſaniæ non expers, deſcripſit.

Parcite Cœlicolæ; Quid [1] *demere vincula rebus*
Heu placet, & miſeras [2] *monſtris evertere terras?*
Nunc cœlo informis facies, nunc aëra fœdi
Incæſtant [3] *Manes. Livent per inane Cometæ,*
Et nec friget hiems, [4] *vector nec floribus halat*
Phryxæus, [5] *poſuitque ſuos canis æſtifer ignes.*
[6] *Qualiter ignoto cum Sol novus aëre gyrum*
Per modò naſcentis cunabula duceret Orbis,
Expers ſæpe viæ, ſæpe alti pondere currûs
Erravit dubius, totumque immiſcuit annum.
Cernis anhelanti quam [7] *nigra volumina tollat*
Ætna jugo? cernis quantâ vehat æquora mole
Auſter, & in noſtras ſpumantia degerat oras?
[8] *Ceu quondam Auſonio cum diſſociata receſsit*
Littore, frangentes exhorruit Inſula nimbos.

Magna

1 *Demere vincula rebus.*] Aureum illum nexum, qui omnem naturam conjungit, Homerus *auream mundi catenam* appellat, cingulum Veneris, ſeu vinculum naturæ, & ſymbolum.

2 *Monſtris.*] Prodigiis cœleſtibus & meteoris inſuetis.

3 *Manes.*] Dæmones, qui aëra infeſtant, inter Numina reputabantur.

4 *Vector nec floribus halat Phryxæus.*] Vernum tempus nondum advenit: eſt enim *vector Phryxæus* aries ille ipſe, qui Phryxum per Helleſpontum vexit in Colchidem, ubi Jovi immolatus eſt, vellere in campo Martis appenſo; poſtmodum à Jove in Zodaici ſignum conſtitutus aries, quem ſol ingrediens 4. idus Martias Æquinoctium vernum efficit.

5 *Poſuitque canis æſtifer ignes.*] Æſtas ſuis caloribus excidit. Canis enim eſt ſydus cœleſte oriens 18. Auguſti; hi dies caniculares dicti, cum in medio cœli canis cum Sole conjunctus æſtum duplicat, unde & nomen invenit, quod nimio calore mordere videatur.

6 *Qualiter ignoto cùm ſol, &c.*] Non ſecus ac Sol, cum in exordiis mundi curſus expers tempeſtates immiſcuit.

7 *Nigra volumina.*] Flammarum ac fumi globos. Ætna enim mons Siciliæ flammivomus.

8 *Ceu quondam Auſonio cùm diſſociata receſsit Littore.*] Quemadmodum Sicilia, quæ olim cum Italia juncta, ab eadem facto terræ motu diviſa eſt, & ex peninſula, inſula facta. Dicitur *Auſonium littus* à filio Ulyſſis & Calipſûs Auſonio, qui quondam ibi regnavit. Virg. lib. 3. Æneid.

Hæc loca vi quondam & vaſta convulſa ruina
Diſsiluiſſe ferunt, cum protinus utraque tellus
Una foret. ——

Magna quidem portenta Deûm; tamen omnia ſuprà
Sævit corde pavor. Vates ſibi quiſque malorum
Et clades, & tela videt, pœnaſque futuri
Præcipit. O ſive hæc nobis inſania crevit,
Seu ſuperi juſſere nefas; quid longa moramur
Supplicia? Arma, viri. Sævo cadat hoſtia cœlo
Quæ meruit. Liceat [1] *luſtralia mittere tela,*
Et ſatiare deos, & morte repoſcere vitam.

Inter hæc ad Regem eſt relatum, intercedere Hyperephaniis cum Lycogene arcana conſilia; verebanturque nonnulli, ne eorum uſurus viribus propediem [2] à patriis ſacris abiret. Fortè cùm talia jactarentur, Archombrotus cum Ibburrane erat, cui jam aliquo uſu, commendatione maximè Regis cœperat familiaris eſſe. Ambo in regiâ porticu ſpatiabantur, novuſque in Siculis rebus Archombrotus, cùm aliquoties Hyperephanios audiſſet nominari, rogavit quod diſcrimen inter illos cæteroſque Siciliæ incolas eſſet; cur nomina, cur ſtudia, vireſque diverſæ. Tum Ibburranes docendi juvenis ſtudio paulùm in ſe ſeductus, ſic incepit: Hyperephaniis ex ſuæ ſuperſtitionis genio nomen hoc fecimus. Eorum factio regnantibus gravis, quodam Uſinulcâ auctore hoc ſæculo eſt exorta. Ille deorum cultu neglecto qualis in Siciliâ ſemper viguit, auſus eſt novas religiones afferre, pacemque ſolicitare animorum qui ſuperbiâ, vel nimiâ ſimplicitate, diripi poſſent. Quibuſdam igitur ambitioſum fuit à ſenſu majorum eo duce diſcedere; Alios eloquentia fefellit cui pietatis ſpecies erat intexta. Acceſſit impetus novitatis, tanto furore excæcans animos, ut barbara Uſinulcæ commenta invenerint laudatores, non ex vaſtis & ultimis terris, ſed (quod mireris) ex alumnis Siciliæ: quamquam nihil portentis deterius quibus ſuam ille ſcholam fœdavit; ut vel referre

1 *Luſtralia tela.*] Quæ Siciliam expient & purgent monſtris.

2 *A patriis ſacris.*] Ab avita religione.

1 *Negat*

referre me pudeat contumelioſam numinibus veſaniam. [1] Negat ullum mortalium, ulli ſceleri operam dare, niſi qui illi perpetrando ab adigentibus diis damnatus eſt. Utcunque verò in vitia pugnes, in te ſis innocens, commodus hominibus, in deos liberalis, ejuſmodi pietate effici non vult, ut amicior diis vivas. Non hæc enim omnia eſſe illam virtutem, quæ acceptos immortalibus homines facit, ſed illius tantummodo ſigna virtutis. Præterea non eſſe in delictis diſcrimina; ſed in hominibus qui delinquunt; Si quidem à diis exoſos, [2] vel oleris furto mereri [3] quicquid Furiæ apud Poëtas faciunt. Cæteros verò non parricidio, non inceſtu, libare amicitiam quâ cum Numinibus ſunt conjuncti. Ita ab uno ſcelerum cœno hos intactos, illos amiſſo decore excedere. Velut in aquas ſi quid anſerini generis mergas, inde inviolatâ ſiccitate eduxeris; cùm cæteræ aves, aquis iiſdem, & minori ſæpè morâ tenorem & uſum pennarum corrumpant. Parco cæteram Uſinulcæ amentiam memorare. Nec habuiſſent hæc monſtra longi ævi diſcipulos, niſi incidiſſent in Regum pueritiam, quibus temporibus ut plurimum turbulentis fœda omnia nec arceri nec corrigi poſſunt. Auxit hunc morbum factionum atrocitas; & quidam Optimates odio eorum qui ſub pueris Principibus rerum potiebantur, præbuere ſe tumultuantibus Hyperephaniis duces. Tum verò [4] luctuoſiſſimo ſydere percurrerunt domeſtica arma Siciliam; & ad Hyperephanios defecerunt quotquot ſeditionum licentiam amabant; in ipſos auſi

Reges

1 *Negat ullum mortalium.*] Opiniones erraneas Hyperephaniorum Barclaius ſubvertit, & damnat; quas ego Scholæ diſcutiendas remitto.

2 *Vel oleris furto.*] Dracon Athenienſ. legiſlator eadem capitalia reputavit.

3 *Quidquid furiæ apud Poëtas faciunt.*] Omnia damnatorum ſupplicia, quæ à furiis infliguntur, de quibus habes multa apud Homerum in Odyſſea, & apud Virg. 6. Æneïd.

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

4 *Luctuoſiſſimo ſydere.*] Sublunaria agi virtute Cœleſtium, & malignos influxus ſubjectis oris ſydera imprimere, aſſertor eſt Philoſophus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Reges ſigna attollere. Nihil illorum furori relictum eſt. Calcare aras deorum, evertere templa, fœdare oppida incendiis, & civili ſanguine ſuam furiis conſecrare novitatem. Poſt tot annos adhuc veluti truncas urbes [1] exciſis Numinum tholis aſpicias, in quibus ſævierunt. In illis tumultibus tanto divortio à cæteris receſſere Siculis, ut tanquam aliam patriam, aliumque populum facerent, ne ictis quidem fœderibus redierint bonâ fide in communionem reliquæ gentis: diſcordique ingenio acti ſemper arma aut minentur aut timeant.

Ita affectis animis, quid Regibus putes liberi in eos imperii eſſe? Urbes, milites, portus, tantumque non totas inſederunt provincias, ex quibus cum ſupercilio conſulunt quid juvari à ſe Regem aut ſperni expediat. Cui ſi bellis occupato, aut inter alia laboranti negocia, operam ſuam promittunt: tanquam digni quibus gratiæ habeantur, fidem hanc jactant; obliti à bonis civibus tunc ejuſmodi ſponſionem non exigi, nec fore ut toties eam repeterent, ſi ſemel tuta eſſet. Sed ſociorum utique magis quàm civium more auxilia præſtant, Regiſque aut ſequuntur aut averſantur conſilia. Sic deorum Principumque arbitros agunt; quid utriſque ipſi debeant, non ex patrio ritu, ſed ex ſuis ingeniis metiti. Quantas clades hic morbus minetur Siciliæ vel nullo profitente agnoveris. Nam ut pervicaciſſima ſunt odia, quæ ex diverſarum religionum litibus fervent; jure timendum eſt, ne aliquando Hyperephanii quod ſuis conſequi viribus non poſſunt, excidio patriæ quærant, peregrinis gentibus, æmuliſque, non magis ad bellum quàm ad prædam, & veluti Siciliæ poſſeſſionem accitis. Quod ſi iſta meliores dii avertent, at jam quanta ſunt quæ videmus quæque ſentimus? Si filii iraſcuntur parentibus, ſi Regi Optimates, continuò in hanc

1 *Exciſis Numinum tholis.*] Lugent adhuc lachrymaſque eliciunt ſuperſtites templorum, imaginumque ruinæ.

1 *De*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

hanc ſectam, veluti ad certiſſimæ manumiſſionis genus, fucatâ profeſſione ſecedunt: non ignari, quòd ſibi præcipue noceant; ſed tanti eſt ſuo errore æmulos macerare. Quid [1] de Veſtalibus dicam? [2] quid de myſtis deorum? Ubi illos caſtitatis ſuæ tædet, impunè maledicunt religionibus, & inceſtarum mercede nuptiarum ſe Hyperephaniis dedunt. His exemplis, illaque differendi & vivendi licentiâ labefactatur vulgus; ut primùm qui dii aut quâ ratione colendi ſint dubitet; mox rudi aut impio faſtu nihil ſacrum habeat, nihil de Superis certum; ſic Numinum rebus indicta eſt iſto facinore calamitas, ſimulque in publicam pacem ſerpit, & ægræ Siciliæ carpit vires; quæ nunquam in priſtinum robur exurget, niſi priùs Hyperephaniis ad ſaniora adactis [3] vulnus hoc duxerit cicatricem.

Tum Archombrotus; Quid ergo Siculi ceſſant, ait, unâ mole obruere incendium? quidve gravantur juſto ferro hanc tabem noxioſiſſimâ contagione ſerpentem exſcindere? Equidem vel ego externus manus meas & ferrum ad hoc promitto; neque me unquam gratioribus victimis operaturum credam, [4] quam ſi eorum ſanguinem diis dabo, [5] vel meum adactis vulneribus ipſi libabunt. Hæc te Meleandro dicere, Ibburranes, & ad hæc bella eum urgere æquum fuit.

Hîc Ibburranes; Laudo impetum tuum, inquit, egregio fervore ſuccenſum. Sed ſunt tamen qui non ſine argumento

1 *De Veſtalibus.*] De virginibus Veſtæ conſecratis agunt Plutarch. Feſtus, Pomp. Plin. & pene omnes Scriptores antiqui. Sub Veſtalium tamen nomine hic virgines ſanctimoniales notat Deo ſacras.

2 *Quid de myſtis.*] Myſtæ ſacerdotes dicti, ἀπὸ τοῦ μύειν, id eſt, ſacrificare.

3 *Vulnus hoc duxerit cicatricem.*] Obductum fuerit vulnus. Alleg. Eſt autem *cicatrix* calloſa caro pro cute inducta; ubi erat hiatus vulneris, quod jam coivit.

4 *Quam ſi eorum ſanguinem diis dabo.*] Deos exſatiari & placari non ſolum ferino, ſed & humano cruore putavere, veluti Saturnum, Dianam, Mercurium, Herculem, &c.

5 *Vel meum adactis vulneribus ipſi libabunt.*] Meo ſanguine propitiabunt ſibi Deos, quibus humano cruore litatur. Juxta illud T. Iliad.

Πρέσβα Διὸς θυγάτηρ Ἄτη, ἣ πάντας ἀᾶται.

Nam læſio, quam Aten vocant, dicebatur filia Jovis.

mento contraria ſentiant; quia rerum ſucceſſu compertum eſt, ut quædam animalia àluntur veneno, ita hanc ſectam invaleſcere publicis malis, interque bella & clades ſaginari. Alias igitur artes, eaſque mitiores quæſivere, quibus maculam Sicilia eluat; credideruntque Regum prudentiâ, abſque ferro & ſanguine, morbi ſævitiem ponere poſſe. Si quid verò ipſe ſentiam quæris; neque cum illis pacem neque bellum ſimpliciter volo. Nam ſi quietem poſſunt pati, non hos puto ullis motibus ſolicitandos. Sin in Regem remque publicam ſeditioſis conſiliis ſpontè inſurgent; ferendos non arbitror; ſed vi armiſque premendam veſaniam ſuperbè furentium. Pia tuncarma, tunc omni laude digna in eos ſeveritas. Totis regni viribus enitendum ne impunè auferant abominandi in Reges exempli audaciam. Et eò quidem celeriùs vindicandum eſt facinus, quò ipſi ferociùs ſolent graſſari in cunctantes: noſtramque patientiam pro imbecillitate contemptim accipere. Neque enim hæc ſecta, ferendo, parendove (ut ſolent meliores diſciplinæ) quærit ſibi incrementa; ſed jurgio, rixâ, tumultu, ſua facinora aſſuevit aſſerere. Ferro igitur, & pluſquam æmula ferocitate, cenſeo in eos eſſe agendum, quoties ſuis injuriis Regem ac Patriam laceſſent. At ſi ſeditionibus, ſi rebellio abſtinebunt, patienturque mitiùs ſe haberi, tunc ego cum illis pacem malim. Jam enim in plures ſerpſit labes quàm ut ſinguli inter reos ſcribi poſſint, & citari à lictore. Ac præterea juventute abundat Sicilia, quam nunc levitas, nunc egeſtas, nunc ipſa armorum cupido ſic verſat, ut non jure aut pudore æſtimato factioſis det nomina, & in militiam coëat quantumvis ſuperis mortalibuſque averſam. Ita multi dum armis certatur accedunt ſpe prædæ ad iſtos Hyperephanios, qui eos in pace devorent: & Reges bello illato plures de novo reos faciunt, quàm de veteribus extinguunt. Præterea veluti fila per ſe tenuia ac ſoluta facilè rumpas: At ſi ea inter ſe violento implicas nexu, quò fortiùs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tiùs premis, eò validiùs ſtipantur, coëuntque denique in funem cui frangendo nunquam ſuffeceris. Sic iſti per ſe fortè negligentiores ſuarum partium, ubi intentatos jugulis vident enſes, qui coactam, id eſt, ut exiſtimant, pudendam pœnitentiam extorqueant, interdum furioſo & quem ægrè exolveris nexu conjurant. Itaque pace, ocio, regni fœlicitate (ſi ipſi importunis tumultibus ad arma Regem non cogent) debellandi ſunt; quo tempore nihil ex publicis latrociniis habent quod incertis & ſeditioſis auxiliatoribus largiantur; neque incitati adverſantium fervore, plurimum quoque de ſuo remittunt. Ex ipſorum deinde præcipuis multi ad regem reſpiciunt; ex cujus amicitiâ in illo ſereno omnia pendent. Is autem ſi non tam odio quàm contemptu proſequetur eorum diſciplinam, efficaciùs omni bello nobilium animos ad pœnitentiam coget: Qui ſi malo pudore prohibebuntur ſuam ſectam ejurare, ſaltem liberis ſuis conſulent, magiſtriſque eos tradent per quos erudiantur ex veteri more, vivantque in Regia gratioſi. Nam qui cœlo, argumentis, veterumque præceptis, unam pertinaciam anteponunt, adhærentque Uſinulcæ; vincentur, mihi crede, hoc honorum aditu, & ſpe regiorum munerum, cautè præcluſa, præſertim ſi non hæ pœnæ legibus publicè latis in eos conſtituantur (nam id ipſum ſatis iratis eſſet ad queſtus, conjurationemque & contumacia arma) ſed lento quodam uſu, Principiſque ingenio, nequaquam in eos dividentis reipublicæ munera, quæ conferri aliis poſſunt; neque ferentis ut extra licentiam quam leges faciunt exerrent. Cætera ſit in eos manſuetus; & interdum familiaribus verbis dignus ipſis videatur cui placeant. Multi enim inter illos, Archombrote, non ſuo, ſed ſectæ & inſtitutionis vitio peccant, abſque hac eſſet, rectâ indole, pareſque majoribus futuri. Hos, cùm licet, corrigi meherculè præſtat, quàm everti, aut ad inſaniora adigi neceſſitate. Iſta verò utcunque lenta remedia, paulatim Hyperephaniis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

niis nervos exſcindent : & qui ſpecie altioris ſapientiæ coaluerunt; tandem ſegni nec irritatâ vetuſtate, philoſophiâ quoque excuſſa atque contemptâ, quæ exoriens tanti ſupercilii fuit, non ægre ſolventur. Sed hæc ſunt ſolidioris pacis conſilia, quam ô huic regioni numina reſtituant, nec Hyperephanios patiantur auxilium Lycogeni ferre. Hunc certè, quidquid famâ jactetur, ad eorum religiones acceſſurum non arbitror, nec ut illi factioni commendetur, id eſt, vix Siculorum quadrageſimæ parti, cæterorum odia contracturum. Cùm hæc Ibburranes dixiſſet, Archombrotum ad cœnam vocavit, monuitque familiariter, ut & ipſe Hyperephaniis perbenignè uteretur. Nam plùs illos (ut res Siciliæ erant) corrigi blanditiis, exemploque, & ſobriâ diſſertatione, quàm profeſſo, ſemperque mutuo faſtidio, poſſe.

CAPUT IV.

ARGUMENTUM.

Anguntur Eriſthenes & Archombrotus hic amore in Argenidem, ille invidiæ in Meleandrum, cui occultas ſed irritas molitur inſidias. Argenis vero duplici ſollicitudine icitur dum & Regno ſtudet, & Poliarcho abſenti munus (armillam) comparat. Hæc deferenda traditur Timonidi; ſed Eriſthenes eam veneno imbuit. Lycog. fictæ amicitiæ codicillos, quibus Regem veneni arguit, ad Poliarch. ſcribit.

IAMQUE maturis apud Lycogenem rebus, dicta facinori dies erat, [1] medio vere, ad decimum menſis, qui Thargelion vocabatur. Eriſthenes haud procul Epeircte prædium habebat, & ſaltum in eo, quem intactæ diu feræ impleverant. Is deſtinatâ inſidiis die illuc cum Argenide Meleandrum ad convivium vocare ſuſceperat; ſi procederet fraus, Meleandrum atque Argenidem, tanquam ſignis tabuliſque ſpectandis in ædium penetralia cum paucis deductos adorturus, emiſſuruſque per poſticum celerrimè tradendos Lycogeni. Si reſtitiſſet Meleander, aut

1 *Medio vere, ad decimum menſis, qui Thargelion.*] Menſe Aprili Apollini & Dianæ ſacro, Græciſque auſpicatiſſimo.

aut ad auxilium pertinaciùs provocaſſet, eum interimi placuerat: ſatis eſſe ſi potirentur Argenide. Quòd ſi Meleandrum eo die omina, aut valetudo, intra Epeircten tenuiſſet; tunc Lycogenes, ad eum opprimendum cum ſubito exercitu adeſſet. Hunc enim illo die Syracuſis eſſe volebant; & ad eum ſuæ factionis homines, tanquam Procerum, urbiumque nomine, coire cum tumultu, ducemque dicere publicæ cauſæ in Regem. Supervenire debebat Oloodemus, cum manu ad hoc ipſum antè collectâ, rei novitatem ſuffragio aſſerturus, & viribus. Deſcitura ab Rege pleraque arbitrabantur, tum prioris belli exemplo, tum Præfectorum & Magiſtratuum fraude, quorum multos ipſi ſubvexerant; denique ſponte animis ad ſeditionem ſpectantibus.

In hunc modum inſtitutis utrimque conſiliis, Lycogenem Meleander, & hic illum occupare decreverat. Sed Argenis duplici ſolicitudine icta, cùm & Poliarcho & regno ſtuderet, eximiæ diligentiæ erat in iis urgendis quæ apud Regem amici cenſuerant. Comparanda Poliarcho erant dona; Arſidas revocandus; & qui hæc curaret, fidum hominem res poſcebat. Nemo, extra unum Archombrotum, deprehendebat privatas in virgine curas. Sed illum amori aſſiduè ſævienti penè jam imparem, & in Argenidis pro Poliarcho ſtudia haud vulgari æmulatione quærentem, vix fallebant illa conſilia. Super omnia ſeipſum accuſabat; quod reducendi Poliarchi author regi fuiſſet; adeò ut interdum ſumeret impetum adeundi ſecretò Meleandrum, & contraria ſentiendi: ſed pudore coërcitus, ſimulque reveritus Argenidis iram, tam pervicaci conſilio abſtinuit. Accidit fortè, ut ad Meleandrum iret, ſuper Arſidæ reditu cum filiâ colloquentem; & tunc quidem ab recenti beneficio commendati apud Regem Poliarchi gratior Argenidi erat. Ergo ut ſuæ cauſæ patronum hilariter intuita; eum quoque ſolitò familiariùs ſalutavit. ignarumque cur hæ ad ſe blanditiæ eſſent, ita affecit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

cit, ut ſubitâ confuſus lætitiâ, ubi primum licuit ad colligendas vires in cubiculum rediret. Illic nimio nec ſecuro gaudio; multùm animi incertus, ita denique ſibi loquutus eſt. Te autem eſſe fœlicem? [1] te amori litaviſſe? Quid enim? Non frontem Virginis vidiſti? non oculos? cùm veniſti, non tota exiliit? Infœlix! nimis ineptè meam ſpem indulgeo. Nunquam dii tanta præmia tam faciles concedunt. Vulgares nuptias nulla tempeſtas, nulli caſus illuſtrant. Eximiis verò amoribus fortuna intercedit, ut ipſo labore ſint precioſi quærentibus. O fallar nec illâ ſalutatione, illo Argenidis vultu, quo tantopere mihi nunc placeo; exitium ipſa portenderit. Hei mihi! quod vix cogitare ſuſtineo; num hæc benevolentiæ ſigna Poliarchum petebant; & ideò blandior fuit, quòd eum apud Regem ſententiâ meâ juvi? An orantis ſpecies fuit quâ patrocinium rurſus meum pro illo depoſceret? Non eſt tanti, [2] non per Argenidem, ullus amor. Nec volo Argenidis in me benevolentiam debere Poliarcho; nec mihi Poliarchum debebit Argenis. Egone alienæ fœlicitatis miniſter in meam cladem pugnabo? Ego vilis abjectique animi penè ad ſervilia officia amabor; & Argenidem alteri tradam; Erras tamen Archombrote; ſi vi agendum putas. Precibus, patientiâ, obſequio, impetrabilis amor eſt. Servire, an imperare Argenidi paras? Aut quàm hæc inverecunda eſſet oratio; nolo ut ames Poliarchum? Vix auſterus aliquis pater ſic juberet. Quæ ametur indigna eſt, vel præſtantiſſimum amabit. Virtute, gloriâ, famâ in Poliarchum certandum eſt. Et tua quoque intereſt hîc eum revocari. Semper enim de abſentibus teneriùs, & quadam miſe-

1 *Te amori litaviſſe.*] Amorem Argenidis tibi conciliaſſe. Eſt enim *litare*, propitiare, & votum impetrare.

2 *Non per Argenidem.*] Reperio varias jurandi formas, verbi gratia per caput principis, & per eos ipſos, quos in primis obſervabant, & ut ſupra per genium Poliarchi; & Claud.

— *Juratur Honorius abſens.*

Ut apud Virgil. lib. 6. Æneid. Aſcanius:

Per caput hoc juro, per quod pater ante ſolebat.

1 *Indicas*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

miſeratione ſentimus? Præſens autem ut placere Argenidi poterit, ſic aut rixâ aut faſtidio eſſe ingratus. Explorabis cur ametur, aggredieriſque eâdem virtute virgini te probare. Quicquid aget, affectu ſuperabis: & ſi cætera fœliciter non cedent, ferro dejicietur. Facilis erit ad jurgia pugnamque occaſio. Ut ſit verò fortiſſimus, tamen fortior amor eſt qui meam manum reget. Interim dum de reditu ipſius agimus, facilis ad colloquium erit Argenis. Me audire, mihi credere aſſueſcet. Sæpè autem ubi adolevit benevolentia, longè ad alias cauſas valet, quàm propter quas eſſe incepit.

Cùm Archombrotus in hanc ſententiam coëgiſſet reluctantem animum, ad Meleandrum rediit; ibique ad novæ indignationis mœrorem præſentiori cauſa deductus eſt. Perſuaſerat enim Regi Cleobulus, ut quæ munera ferrentur Poliarcho tanquam ab Argenide eſſent. Ipſa exors eſt facinoris, inquit, quod eùm è Sicilia expulit. Regni autem ſecundum Te curæ ad illam pertinent. Sciet præterea ſub ejus precibus tuas latêre. & qui fortaſſe durior nobis eſſet, certè non litigabit cum virgine. Meleander mirificè probatâ ſententiâ; Age, inquit, reſtat & munus, & hominem qui ferat deligere. Timonides ſtrenuus juvenis erat, fideique in Poliarchum notæ; quem mox Argenide ſuggerente, huic furtivæ legationi Rex deſtinat. Hoc ita conſtituto, jam quod munus mitteretur, inter ſe penſabant. Forte mercator ex Syria [1] Indicas & Arabicas merces, plerunque inutilem vanis gentibus luxum, advexerat. Inter cætera erat armilla ex ſerico texto, quod totum varii generis lapilli ſic implebant, per ſuos colores diſtributi, ut aliquot ferarum aut fugam figurarent aut iram, quas hîc telis venatores ſequebantur, hîc excipiebant venabulis. Precium gemmis, & operi, ingens; quippe quod talentis

1 *Indicas & Arabicas merces.*] Nam ex Indico & Arabico mari gemmæ, corallia, & margaritæ.

1 *Talentis*

[1] talentis quinquaginta indicabatur. Multi Siculorum hanc viderant, plures audierant celebratam non ignobilis Poëtæ operâ, quem ſuo fulgore ad hos verſus rapuerat.

[2] Dicite ſurgenti confinia littora Phœbo;
Quam nitidus veſtris hic Deus exit aquis?
Cum tingit virides hilari fulgore ſmaragdos;
Aut facit, ô adamas, te ſibi luce parem.
Pallentemve onycem, varium vel iaſpida miſcet,
[3] Vel cui purpureo nomen ab igne venit.
Cæruleaſque notas & flammis implet, & auro,
Ceu variat curvas comptior Iris aquas.
Hæ tamen haud uno cunctæ ſub littore gemmæ
Naſcuntur: nam cui gloria tanta ſolo?
[4] His nitet immenſus Ganges, his flavus [5] Hydaſpes;
Eſt & [6] Erythræi lucida concha ſali.
Una omnes armilla tenet; par omnibus una;
[7] Omnis in hæc Oriens lucida texta Coit.
Dî ſuperi! pretium nitidæ formamque coronæ!
Quam volet amplecti tanta corona manum?
Ut natat in ſolidis lux alternata lapillis!

Oraque

1 *Talentis quinquaginta.*] Teſte Budæo minus talentum Atticum fuit 60. minarum; ſingulæ autem minæ drachmas Atticas 100 continebant; valebat itaque talentum, ſex millia drachmarum, id eſt coronatos ſexcentos, ſingulis coronatis ſolidis Turonibus 35 æſtimatis: magnum talentum minas habebat octoginta. Amplius in aliis locis.

2 *Dicite confinia littora.*] Orientalia, qualia ſunt Erythræa, Gangetica, ubi & alibi ſol pretium lapillis facit; Smaragdum tingens viridi, Onycem pallido, Iaſpidem variegato, Sapphyrum cæruleo, Amethyſtum violaceo, Chryſolytum denique aureis maculis.

3 *Vel cui purpurea nomen ab igne venit.*] Carbunculus, propter igneum fulgorem dictus Pyropus. ἀπὸ τοῦ πυρὸς, & ὄπτομαι, intueor.

4 *His nitet immenſus Ganges.*] Indiæ fluvius maximus, univerſam ſecans Indiam, aureas arenas trahens. Phiſon in ſacris litteris dicitur; lapillis pretioſis abundat.

5 *Hydaſpes.*] Fluvius Indiæ, qui Parthos & Medos, Indiam Niſamque urbem alluit.

6 *Erythræi lucida concha ſali.*] In Arabico ſinu frequentes ſunt margaritæ. Dictum eſt Erythræum ſalum, Latinè *rubrum*, à Perſei & Andromedæ filio Erythra, qui ibi imperavit, vel à coralliorum, quibus ſcatet, abundantia.

7 *Omnis Oriens.*] Orientis divitiæ, ſeu gemmæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Oraque venantum quàm benè gemma facit!
Dives en hîc cervus, quem [1] *ditia tela fatigant;*
Et leo, quem pretio cerne tumere ſuo.
[2] *Lemnius? an nondum Telchines naufraga ſaxa,*
Artifici gemmas ſic poſuere manu?
Digna quidem Jovis hæc vibrare armilla lacerto,
Cùm quatit imbriferâ luce coruſcus humum.
Ipſa, licèt dives, placata hoc munere Juno,
[3] *Poneret offenſi jurgia ſæva thori.*
At te ſeu veri, ſeu famæ gloria tangit,
O quiſquis tantâ brachia dote coles;
[4] *Vince animo cenſum; ne hæc optima ſaxa putentur,*
Tuque genus Pyrrhæ vilior eſſe lapis.

Eam armillam Poliarcho munus fore idoneum, Argenis atque Cleobulus cum Meleandro cenſuerunt, quippe quod ſe ſua mole non proderet. Furtò enim rem agi. Arma, aut equos, ſi mitterentur, conſpectum hoſtium non poſſe defugere. Præterea hoc ornamentum in pleriſque regionibus non fœminarum magis eſſe quàm virorum. Aptiſſimum itaque quod fœmina viro donaret. Rex antea, cùm illam mercator obtuliſſet, quia majores curæ inſtabant, penè vilem habuerat; apud Eriſthenem tamen erat, utique præfectum ærario, juſſumque inſpicere ex artificum fide an in rem Principis emptio eſſet. Tunc verò ne quiſ-

1 *Ditia tela.*] Gemmea.

2 *Lemnius? an nondum Telchines naufraga ſaxa, Artifici gemmas ſic poſuere manu?*] Senſus: An Vulcanus in inſula ſua Lemno, quam ſuo quondam caſu & arte ſua nobilitavit? an Telchines Minervæ & Solis filii, etiamſi ſummi artifices in inſula Rhodo, quæ horum nomine Telchinis dicta eſt, an inquam faſcinatores iſti, nondum in naufraga ſaxa converſi, tam pretioſas tantaque arte gemmas incidere potuerunt? de his ſic Ovid. l. 7. Metam.

Phœbeamque Rhodon & Ialyſios Telchinas,
Quorum oculos ipſo vitiantes omnia viſu,
Juppiter exoſus fraternis ſubdidit undis.

3 *Poneret offenſi jurgia, &c.*] Juno deponeret iram conceptam in pellices Jovis.

4 *Vince animo cenſum.*] Supera animo tuo & virtute tua pretium armillæ, ne cum ſis ipſe ex genere lapidum, qui à Deucalione & Pyrrha in homines mutati ſunt, vilior eſſe videare quam armilla iſta. Acumen epigrammatis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

quiſquam miraretur confeſtim hanc emi, [1] Rex talos popoſcit, & cum Argenide ludens, ac ſponte inferior; quaſi victoriæ præmium armillam ſtatuiſſent, Eriſthenem accerſit, imperatque quàm poſſit rectiſſimè eam Argenidi conciliare. Eriſtheni ſive ſua ſedulitas, ſive fortuna nondum Meleandro propitia, jam ſuſpicionem fecerat legationem ad Poliarchum parari. Credidêre à ſuâ conjuge ortum ſuſpicandi initium, quæ cum Argenide & Seleniſſa frequens, ſæpè obliquos de Arſidâ ſermones injecerat; callida mulier, & ex viri ingenio ornata. Sed poſtquam Rex armillam, tali ærarii tempore, emi præcepit, adeò illi aucta ſuſpicio eſt, ut illico ad Lycogenem ſcriberet, vereri ſe ne Poliarchi gratia hoc munere repeteretur. Is autem ad omnis flagitii atrocitatem celer, hortante etiam Oloodemo (nam is fortè tunc aderat) in hunc maximè ſenſum reſcripſit; Nihil conſultius quàm ut armillam, quandoquidem apud Eriſthenem erat, veneno imbuerent. Si eam Poliarchus accepiſſet, haud dubiè lacerto circumdaturum, & tabem per geſtantis calorem in vitalia pervaſuram. Sin Rex eam dediſſet Argenidi, rem tempori poſſe ſciri. Nam venenum non ad tactum ſtatim nocere; Admonituros autem ipſos prætextu aliquo, de peſte quæ latebat, laturoſque ingentis fidei nomen, ſubſtituto in crimen mercatore. [2] Toxicum domi Eriſthenis erat, quod noxioſiſſimum miſcuerant tollendis inimicis. [3] Ephyræi ſeu miſcendis veneno poculis, ſeu ſagittis imbuendis præcipui, dum illuc colonias vehunt, conduntque Syracuſas, hanc olim turpiſſimæ calliditatis artem quibuſdam Siculorum tradiderant. Et Meleander eâ peſte tentatus, hactenus ſuorum curâ evaſerat, cibum Regis, & veſtes, ambitioſa

1 *Rex talos popoſcit.*] Antiquus ludus, in quo fauſta Venus, infauſtus Canis, Senio medius.

2 *Toxicum domi.*] Quaſi taximum, præſentiſſimum venenum: ſiquidem jumenta ſolo tactu frondis moriuntur.

3 *Ephyræi condunt Syracuſas.*] Deducta inde in Siciliam Colonia. Ephyra autem urbs eſt Peloponneſi in ipſo ſita Iſthmo, alio nomine Corinthus dicta.

1 *Inſi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tioſâ curâ ſervantium. Tanta autem veneno acerbitas, ut non modò guſtatum ſæviret; ſed ex diutino contactu [1] inſinuaret virus in cutem quam calor laxaviſſet. Eriſthenes veneficio perpetrando nullum adhibuit; ſed ipſe in dilutum toxicum interiorem armillæ partem miſit; byſſino utique texto mollem, quia jungenda brachio erat; cumque crederet vim ſuccorum ſatis infuſam, eam in pyxide defert ad Regem, qui tanti ſceleris ignarus, omnibuſque præter Argenidem ſemotis, vocatum ſecretò Timonidem monet eam fidem exhibere quâ dignus cenſebatur. Oſtendit deinde cui miniſterio ſit delectus, & literas tradit ad Arſidam, ſua manu ita ſcriptas. Timonidem quem vides, Arſida, ad te miſi. Ei ſic auſcultare te volo, ut me loqui exiſtimes. quicquid dixerit, egeritve, ratum habebo. Scias tamen quò celerius cum hoſpite adveneris, eò te futurùm gratiorem. Vale. Tum Argenis ex compoſito de receſſæ fluxu veſtis pyxidem profert; & hanc, inquit, armillam, Timonides, ad Poliarchum defer. eam meo nomine accipiat. unà illi has literas dabis, alteraſque ad Arſidam. Tradit deinde codicillos, non quos Meleandro oſtenderat: frigidos enim, nec amicitiæ ſuæ cum Poliarcho pares obtulerat patri; & inter obſignandum haud ægrè mutaverat, aliis quos ex mutua neceſſitudine ſcripſerat præparatis. Quia autem Timonidis in Italiam iter ignorari non poterat, ne augeretur diſſimulatione ſuſpicio, ſpargere apud ſuos Rege authore cœpit, ſe Italiam Africamque viſurum vacationem impetraſſe à regiâ. Juvenis erat, & commodùm accidit, quòd pridem tranſmarinæ peregrinationis ſtudio ictus, æqualibus ſuis ea vota jactaverat.

Sed Eriſtheni ad inſidias invigilanti, pleraque nota, & ſuſpecta omnia erant. Hunc igitur ad Poliarchum ire conji-

1 *Inſinuaret virus in cutem quam calor laxaviſſet.*] Per poros calore laxatos veneno ſe inſinuante. Vide ſupra; *tabem per geſtantis calorem in vitalia pervaſuram.*

conjiciens, quò verum erueret, ita fraudem commentus eſt. In ipſius clientibus juvenis erat, quia nuper agros reliquerat, nondum notus in regiâ. Callidum autem, & ad ea quæ præciperentur impigrum eſſe cognoverat. Huic imperat abeuntem Timonidem concitato equo perſequi: ſimulare deinde à Rege ſe miſſum, qui etiam atque etiam moneret, ne in Siciliâ cuiquam mortalium indicium faceret de armillâ. Dum loquêris autem, inquit, diligenter audientis vultum obſerva. Si annuerit, aut viſus ſit dubitare, tanquam mandato ſatis functus, ab illo protinus abi. Sin quid velis ignarus ſit, ut facilè deprehendes; quî ipſe vocetur tanquam dubius ſciſcitare. Ubi Timonidem dixerit, pete ignoſcat errori; alium nempe te quærere. Et inde, ſi potes, ſic diſcede, ne ſciat quam viam inſtiteris. Sin quia ignotus es, hærebit, & qui ſis exquiret; ex Seleniſſæ cognatis te ſimula recèns tranſmiſſum ad regiam; nomen quod primum occurrerit tibi impone. Ille gnaviter mandata exequutus, nec à ſolertiâ, nec à fortunâ aberravit. Namque Timonides ubi audivit de armillâ, quòd rem ſecretiſſimam ſciret, hominem ſuſpectum non habuit: Ire igitur juſſit, & Regi renunciare eſſe omnia in ſecuro. Satis ſibi hæc arcana eſſe mandata.

Sic eluſo Timonide, cùm jam de conſilio Regis conſtaret, Eriſthenes omnia confeſtim perſcribit Lycogeni, ne ſive Timonidem capi inſidiis, ſive quid aliud vellet, tempore excluderetur. Diu incerto Lycogeni, cùm Regem jam non ſegnem; ſed ex adverſo ſtruentem conſilia, timidiùs ſperneret, tandem novo facinore viſum eſt opus, quo inclinaret in Regem maleficii à ſe patrati invidiam. Quod igitur nemo unquam putaſſet, ipſum ſolicitare ad fœdera Poliarchum, eique ſcribere hoc exemplo inſtituit. Lycogenes ſalutem Poliarcho. Quàm tu in amicorum hoſtiumve delectu erraveris, hic dies aperiet. Me tanquam inimicum inſectatus, Meleandro utinam non plus

æquo

æquo tribuiſſes. Sed omitto præterita. Nam neque jam te accuſari humanum eſt; neque in eo ſtatu ſum, ut anxiè me excuſem. Malo te ex beneficiis meis ſcire, quàm verbis, uter noſtrûm in priſtinis odiis peccaverit. Meleander ex tuo exilio te infenſum, & vindicem, cum timeret, ad nefarias artes confugit. Factuſque de Rege veneficus, armillam infamibus illitam ſuccis, tanquam pœnitentiæ ſuæ confeſſionem, mercedemque injuriæ, tibi miſit. Hanc tu cave geſtaveris. Mortem enim circumegeris brachio, non armillam. Mihi quidem ante experimentum fidem eſſe non curo. Si igitur vel damnatus eſt ſervus, vel humaniori conſilio jumentum aut canem vis perire, nudæ illius cuti hoc munus compone. Niſi intra quatriduum morietur, ego qui vivam indignus ſum. Si ſapis, illum ipſum peſtiferi doni latorem, illum Timonidem coges, ut mortem induat, quam tibi non inſcius porriget. Ego has inſidias, quas ægrè detexi, te reſcire ex me potiſſimùm volui; ne tantæ indolis vir tam turpi exitu cadas; aut omnino ſub invidiâ meâ pereas. Nam quis ex hoſtibus, non te potiùs jactet à me quàm à Meleandro eſſe ſublatum? De cætero, ut voles, gratias ages. Si infeſtus eſſe pergis; eſt quod publicè te ulciſcar: arma, conſilia, vires in expedito ſunt. Deos cœptorum auſpices habeo. Sin tibi detecta Meleandri perfidia, meliorem mentem dabit, voleſque conjunctis mecum viribus vindicare injuriam, ſpondeo nec te fratris, & quoniam hæc mea ætas eſt, nec patris gratiam me vivo deſideraturum.

Tantæ audaciæ codicillos, expertæ fidei ſervo cum his mandatis dedit, ut diſpenſato itinere ad Poliarchum perveniret octiduo pòſt quàm eodem Timonidem adventaſſe conſtaret. Neque rem eſſe difficilem. Meſſanæ vel Rhegii, in portu aut urbe, tanquam aliud agentem, de adventu Timonidis poſſe habere quæſtionem. Hæc autem improbæ ſolertiæ ratio erat, ut octo toti dies intereſſent, quibus noxium textum geſtare Poliarchus, eoque

interimi poſſet. Nam ſi extincto ſupervenirent hæ literæ, quantæ invidiæ in Meleandrum forent? Sin fortè Poliarchus tamdiu armillâ abſtinuiſſet, tum multum Lycogeni debiturum de periculo in poſterum monenti, tum in Meleandrum acriter exarſurum, quem tanti indicii fallax ſcena damnaret. Etiam Regem audebat contumelioſe appellare; quia hæ literæ Poliarcho reddi vix poterant ante id tempus, in quod à conjuratis erat conſtituta defectio.

CAPUT V.

ARGUMENTUM.

Dum fruſtra accitur à Rege Lycog. dum Oloodemus & Eriſthenes Regi traduntur, jam tenebat medium fretum Timonides Poliarch. miſſus. Occurrit recentis naufragii nefaſtum navigantibus ſpectaculum. Navis erat obruta fluctibus, ex qua tamen eminebat adhuc malus, cui nauta naufragio ſuperſtes adhærebat. Hunc in ſcapham accipit Timonides. Et quem vexiſſet, percontatur, ducitque ad Arſidam, qui viſo nauta ſubito metu præſagia cladis haurit.

AT Meleander dimiſſo Timonide totus in eo erat, ut cum Lycogene Oloodemum ad ſe perliceret; utrumque igitur literis advocat. Lycogenes nondum maturis ad ſecedendum rebus, parêre conſtituit, & aliquot paucos dies eſſe cum Rege. Sed Oloodemus acceptâ Regis epiſtolâ, non priùs ad Regiam quam ad Lycogenem contendit. Ibi communicatis conſiliis ſuſpectum illud fuit, quòd utrumque Meleander accerſeret. Si quid atrox parabat, liberiùs in ambos quàm in alterum eſſe auſurum. Nihil ſecurius, quàm ut Lycogenes ſimulatione valetudinis abſentiam excuſaret, & Oloodemus explorandis conſiliis iret ad Regiam. Is ergo à Lycogene profectus cùm intraſſet Epeircten, Meleandro protinus ſalutato, eâ veſperâ ad cœnam admiſſus eſt. Dedit quoque literas Regi, excuſationem Lycogenis ferentes: Illi enim [1] ſonticum morbum eſſe, nec aëris patientem. Rex haud dubius

[1] *SOnticum morbum.*] Dictus eſt quod ſontes comitiis eximat & judicii laqueis, dictus & comitialis morbus. Vulgo, *mal caduc.*

bius morbum fingi, tamen eâdem qua petebatur ſimulatione non pauca de genere invaletudinis quæſivit. Soluto deinde convivio, Cleobulum, Eurymedem, & Archombrotum accerſit, rogatque quid Lycogene faciendum, qui venire contempſiſſet; quid etiam Oloodemo & Eriſthene qui pari fiduciâ quâ ille imperium ſpreviſſet, adeſſe nocentes ſuſtinerent. Archombrotus, & Eurymedes nihildum movendum putabant: ſed Lycogenem adhuc aliâ fraude tentandum. Illo libero, fruſtra in cæteros fore ſævitiam. At Cleobulus; Ego verò arbitror, inquit, nihil de prædâ quam tenemus amittendum. Putatis Lycogenem, niſi concepti ſceleris conſcius eſſet, tam vano ægritudinis mendacio, Regi fuiſſe illuſurum? Dii dent meliora. Sed quantum conjecturâ & fidorum hominum nunciis aſſequor, & mox iſti furtim abſcedent, & nos illum cum armis aſpiciemus. Videte quid ſentiam. Rex hominem rurſus accerſat. Tergiverſationem non verebor pro defectione accipere. Oloodemum interim & Eriſthenem per homines fidos ſic ſervari intererit, ne teneri ſe ſentiant. Ubi compertum fuerit, non venturum Lycogenem, lege in eos agendum eſt. Multùm Lycogenis viribus decedet, ſi tantarum opum, & clientelarum, duces peribunt. Hanc præterea ſeveritatem, in multorum animis reverentia adverſus Principem, timorque ſupplicii, utiliſſimâ mutatione ſequetur. Viſus eſt optimè dixiſſe Cleobulus; Et ex illâ ſententiâ; Rex poſtridie ad Lycogenem ſcripſit; additoque ad blanditias imperio, ad ſe venire imperavit. Ille magis ac magis ſuſpicionibus plenus, non modò non paruit; ſed per nuncios monere Oloodemum, & Eriſthenem cœpit, ut ab aulâ recederent. Benevolentiam Regis inſidioſam eſſe. Ac præterea apertâ jam vi opus. Quippe ſtatutum bello tempus appetere. Neuter ſprevit conjecturam Lycogenis. Sed neque Cleobuli diligentiam fefellere; ad quem duo de Eriſthenis familiâ diu antè pecuniâ promiſſiſque ſolicitati, multa de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

domini rebus per internuncios ſæpè retulerant. Illis tunc authoribus ſcivit, præparatos ſub Epeircten eſſe equos, quibus noctu Eriſthenes uteretur. Lætus Rex quòd eorum furtiva diſceſſio futura in criminis partem eſſet, imperavit Archombroto, ut ſub ipſo deprehenſos facinore vi ad ſe retraheret. Et ille haud remoratus imperium, ſedulò, quæ in rem erant, maximè ex Eurymedis mente inſtruxit. Sat conſtabat cum paucis erupturos, ne tumultus proderet fugam. Non plures itaque Archombrotus decem militibus aſſumpſit, iiſque Hiſpanis, ne linguæ commercio, aut contagione factionis, cum Proceribus hærerent in quos tunc armabantur. Singuli extra arcem ut Archombrotus conſtituit, ſine ſuſpicione elapſi ſunt: ipſe deinde ſequutus eſt; accinctoſque paulùm à viâ ſub veteri & opportuno tecto continuit, quà neceſſarius à Regia diſceſſuris tranſitus erat. Diu in ſtatione non hæſerat, cum Oloodemum atque Eriſthenem per Lunam agnoſcit, tribus omninò ſervulis comitatos; celeriterque, & demiſſis capitibus euntes. Iis ergo cum ſuâ militum decuriâ obviam venit; &, quò te, inquit, Oloodeme, quò te Eriſthenes? Sontium per Jovem eſt iſta molitio. Cur noctu? cur ſimul? cur inſcio Rege abitis? Unde iſta circa vos à ſervis, ab amicis, ſolitudo? Obſtupuere deprehenſi. Ille verò correptos, & ſubito malo horrentes reduxit. Treſviris inde permiſſi ſunt qui noxios ſervarent in carcere. Fugæ erant manifeſta veſtigia: equi haud procul cum agaſonibus parati; & urbano ſub amictu veſtis ad viam expedita.

Summa omnium inde turbatio fuit; & poſterâ luce cùm id renunciatum Ibburrani & Dunalbio eſſet (qui tunc fortè ad Apollinis templum non procul Panormo profecti, ob Antenorium fani Antiſtitem ſuaviſſimæ conſuetudinis virum illic diutius morabantur) citatis haud mora quadrigis ad regem revecti ſunt; qui amplexus venientes; poſtquam rem ordine enarravit, Si me dii amant, inquit, in ambo-

ambobus his exempla facere volo. Nunquam me ſaltem iſti inultum deſpexerint. Neque me impiorum contumacia movet, ſparſis ſchediis minari audentium. Ecce enim quantæ audaciæ chartam Cubiculariorum unus, in limine meo hoc mane offendit. Acceptâ chartâ Dunalbius, & Rege ad alios divertente, horum verſuum lectione cum Ibburrane inhorruit:

Redde viros; quid ſæva paras, & fraude tyrannus
Imbelli, haud ullo devictos Marte fatigas?
Hoſne duces, hæc Sicaniæ decora inclyta terræ
Ferre ſitum, & fœdo ſqualentem carcere noctem?
Redde viros. Non [1] *Sidoniæ reverentia pallæ,*
Non quæ ſceptra manu, non quæ ſtant [2] *vincula fronte,*
Obſtiterint. Ruimus cæci, & te vindice ferro
Gens excita petit. Cuperent decernere montes,
Teque haurire ſolum. Sed noſtræ debitus iræ
Talis eris, qualis ſub crimine decolor ipſo,
Ignotuſque ſuis, [3] *Tyrii pro vertice montis*
Horruit iratos Pentheus concurrere thyrſos,
Diverſumque trahi pectus, vulſoſque per artus
Ire animam, & ſparſum campis ſpirare cadaver.
Et tua quòd noſtris nondum penetralia flammis
In cineres collapſa ruunt; ne crede remiſſas
Irarum pavitare faces; ſed parcimus illis
Quos Rex ſæve tenes. Hi ſunt tua fata, nec ultrà
Quàm ſpirant lux te alma manet. [4] *Meleagria non plùs*
Mater

1 *Sidoniæ reverentia pallæ.*] Regiæ purpuræ, quæ pretioſiſſima apud Tyros & Sidonios conficiebatur.

2 *Vincula fronte.*] Diadema ex faſciis. Virg. 6. Æneid.

Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.

3 *Tyrii pro vertice montis, &c.*] Non mitius tecum agetur, quàm cum Pentheo in monte Cytherone, ubi Pentheus iſte cum aſpernaretur ſacra Liberi, à matre & ſorore bacchantibus laceratus eſt. Ovid. Metam. 4. Thebæ conditores ex Tyro illuc pervenerant; unde & Tyrii dicti ſunt.

4 *Meleagria non plus, &c.*] In Altheæ poteſtate non certius erat fatum Meleagri, quàm fatum tuum in noſtris manibus: Meleager iſte Oenei Caledoniæ regis ex Althea filius erat: quo nato vidit mater tres Parcas igni aſſidentes. Quæ manu ſtipitem tenentes, æqualem cum ſtipite puero vitam aſſignabant. Recedentibus Parcis Althea extinctum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Mater in ambuſto ſervabat ſtipite natum.
Hos ſerva (ſi cura tui) ceu pignora vitæ,
Incolumeſque velis. Vel ſi meliora monentem
Dî te audire ſinunt, genti tam juſta petenti
Redde duces, tantoque exora munere pacem.

In his motibus regia erat; cùm Timonidem aliæ in itinere turbæ verſarent. Viæ ratio, & fortuna, hæc fuit. A Rege dimiſſus triduum in ſuo prædio invitus conſumpſit ominum cauſa, [1] quæ Haruſpex minori ſpatio procurare non potuit. Inde Meſſanam ad Arſidæ conjugem venit. Inſana tempeſtas tunc maria exercebat, aquis ac ventis ſub veris initium ſponte ſurgentibus. Quatriduo nemo ex portu ſolvere auſus. Interim quaſſabantur navigia, undis mutuò cogentibus alliſa; vel ejecta in arenam procumbebant. Timonides quod integerrimum ex eâ peſte ſuperfuit, confeſtim inſtaurari præcepit, agique à littore, necdum ſatis conſtanti maris pace. Præter ſuos nullum in navi vectorem, recipi paſſus; jam tenebat medium freti; Cùm occurrit recentis naufragii nefaſtum navigantibus ſpectaculum. Navis erat receptis obruta fluctibus; ex quâ tamen eminebat adhuc malus; quia non everſa, ſed depreſſa, deſederat. Et quod omnium atrociſſimum fuit; ſtabat in antemnarum amplexibus nauta, ſuperſtes naufragio, pallida & emorienti facie, niſi quòd vento adurebatur: ille manu nutuque (fluctus enim intercipiebant fragore ſuo vocem) orabat eripi morti; & omnium miſericordiam

ſervavit ſtipitem. Adulto Meleagro contigit, ut pater ex ſuſceptis frugibus Diis omnibus ſacrificaret, omiſſa Diana. Quapropter irata Dea aprum immiſit omnes Ætoliæ agros devaſtantem; Meleager collectâ robuſtiſſimorum juvenum manu confecit aprum, deditque Athalantæ filiæ Jaſiæ Argivorum Regis. Quod ægrè ferentes Plexippus & Toxeus Altheæ fratres Athalantæ capiti inſidiantur. Quamobrem iratus Meleager eos obtruncavit, duxitque Athalantam uxorem. Nunciata fratrum morte, Althea impatientiâ doloris, in furorem verſa, fatalem ſtipitem conjecit in ignem; quo exuſto Meleager exuſtis inteſtinis conſumptus eſt.

1 *Quæ Haruſpex minori ſpatio, &c.*] Nullum iter, negotium nullum aggrediebantur inauſpicatò, hoc eſt, non captatis auſpiciis per Aruſpicem, vel è cœlo, vel ex præpetibus, oſcinibus, tripudio ſoliſtimo, vel ex extis.

1 *Luna*

ricordiam non ægrè elicuit. Aliquot igitur nautæ deſcenderunt in ſcapham. Cumque ille ſe de malo deorſum duxiſſet, propè rigentem excipiunt, adducuntque Timonidi. Tum verò laxatis ſpiritibus, quos antea nimius timor intenderat, ſemianimis ſuper conſtratum navis ſe diu explicuit; donec vini odore excitatus, juſſuſque à Timonide dicere, quis eſſet, quove euntem tetigiſſet hæc fortuna, Rhegium, inquit, patriam habeo; cenſum ex nauticâ arte. Nunc in Galliam curſus erat; quò egregium virum deferendum ſuſceperam. Mare videbam non à tempeſtatibus tutum. Cœlum enim modico vento, ſed incerto agebatur, & triſtior aër horrebat. Itaque à portu ſolvere non volebam. Sed cùm ſæpiùs juſſus proceſſiſſem in altum, primùm auræ inter ſe pugnantes nos alternis rapuerunt in averſos & contrarios curſus: deſtituerunt deinde ſimul omnes eluſum navigium; Ego in tam ſubitâ pace acriùs, ut oportuit, timens, comites cœpi hortari ut remis eluctarentur pigriciam maris. Quippe illi ſereno proximum malum eſſe. In Siciliam igitur, quam vicinam fors dederat, ratem appellerent. At ille qui navigium conduxerat, negat ſibi placere Siciliam; ſtringitque demum enſem reciſurus manus illius qui in eam primus partem remum egiſſet. Inter has cunctationes dies abſumptus eſt. & mox [1] luna igneis cornibus ventum excivit. Tum verò non per gradus, ut ſolet, tempeſtas intumuit: Sed direptus ſubitò aër ita miſcuit maria, ut jam à principio mihi artem eriperet. Verſabamur incerti quid exigeret ventus, mediam navem adverſis complexus turbinibus. In his malis cùm exacta nox eſſet, dieſque afferret triſtiora, [2] capillos deponimus nihil profuturâ re-

1 *Luna igneis cornibus ventum excivit.*] Tritum eſt monoſtichon: (*renat. Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba ſe-*

2 *Capillos deponimus nihil profuturâ religione.*] Tempeſtati litaturi. Unde Petron. in Satyrico: *Neque ungues, neque capillos deponere, niſi cum pelago ventus iraſceretur. Rurſus notavit ſibi tonſorem ad lunam intempeſtivo inhærentem miniſterio, execratuſque omen, quod imitaretur naufragorum ultimum votum, in cubile receptus eſt.*

râ religione. Ecce enim improviſo exitio hæſimus deprehenſi in brevibus; cumulaverat arenam vis procellæ, proramque tenebat. Jam tabulata ſolvebantur; & nos utcunque remis & contis tendebamus in puppim, cùm ille cui operam locaveram, cum ſuo liberto, duobuſque qui proximi erant, nautis, in ſcapham deſcendit, & fune præciſo, haud dubio naufragio ſe permiſit. Raptos per turbinem non licuit oculis ſequi. Obſtabant medii fluctus, quibus par ſchapha diu eſſe non potuit; nec pereuntibus nobis vacabat alienos caſus dolere. Feſſa quippe carina aperuit undis viam, quæ victis compagibus properabant intrare. Numinum pietatem! ut voces horruere! quàm feralis pereuntium clamor, cùm deſcendentem navem mare contexit? Evado ego in arborem. Evado heu miſer! mortem ſcilicet tantiſper dilaturus, donec merſa carina in latus procumberet, & malus ſequeretur. Sed ſupra ſpem dii faverunt; areniſque circumvallantibus adeò veluti fundata ſtetit ratis, ut me incolumem illa arbor præſtiterit; quæ nunc non ſine utilitate extra aquas eminet, admonitura navigantes ut maturè ab iſtis brevibus deflectant. Biduum jam eſt ex quo triſti amplexu lacertos ad antemnam continui, deſperatione potiſſimum, & frigore exanguis. Nam nec ſomni, nec cibi memineram. Cùm autem Deorum placata vis veſtram opem monſtravit, tantùm non laxata brachia mittebam in mare.

Hæc loquentem omnes audiebant cum lachrymis: ſed Timonidem altior cura ſubiit, ne ad Poliarchum pertineret calamitas. Nam quis vector toties à naufrago illo laudatus? Ab Italiâ veniebat, fugiebat Siciliam; utrumque conveniebat Poliarcho. Nautam igitur ſociorum fata deflentem; ut nataſſent, ut cautium eminentiora amplexos ſævi fluctus avulſiſſent, turbatus interpellat; Et quod, inquit, viro nomen, quem vehebas? civis Rhegii erat, an hoſpes? Ille ſe nihil præterea ſcire reſpondit, quàm quòd Arſidas Siculus, cui opima Rhegii prædia erant, conduxerat

xerat navem, & proficiſcentem amicum ad portum produxerat: obriguit Timonides, & velato capite, quo liberiùs poſſet ingemere, deſcendit in ſecretam partem navigii, juſſis remigibus quanquam proſperum ventum omnibus viribus juvare. Haud multò poſt Rhegium applicuit. nautamque ſervatum ſequi ſe jubet, & ad Arſidam contendit. Ille tunc fortè media luce in ſcimpodio cubabat, variis cogitationibus miſcens animum proximi luctûs ignarum. Sed cùm de amici adventu admonitus, proſiluiſſet ad amplexum, læta verba, & hoſpitalia ingerentem Timonides ſuſpirio proſequutus; quid, inquit, Poliarcho factum, mi Arſida? Nos miſeros! an & ego te ipſo plura ſcio? Inter hæc dicta nautam admovit; quo viſo Arſidas ſubito metu præſagia cladis hauſit; & jam Timonide quoque pallidior: Onus, inquit, ô Nauta, quod tibi tradideram, ritè alicubi expoſuiſti? Nam deſtinata Gallia tantillo tempore teneri non potuit. At ille; Solum me naufragio ſuperſtitem vides. Navem, ſocios, vectores, omnia, ſæva tempeſtas tulit. His auditis Arſidas multo gemitu planctuque turbatus, intra tectum mœrentes recepit. Nec vacabat penè exangui de ordine mali quærere; ſed cum Timonide in cubiculo ſecretus, acerbiſſimum funus, & fata iniqua, terraſque indignas Poliarcho, aliaque in calido & furenti luctu conſueta, ingeminabat. Cumque poſt multum lachrymarum Timonides rogaret, ecquò illa Poliarchi profectio? aut unde exitiale navigandi conſilium? retulit Arſidas, Rhegium ob Siciliæ viciniam ſuſpectum fuiſſe Poliarcho. Nam nec poterat (inquit) latêre iſthic Lycogenem: & quàm facilè ab adverſo littore mitterentur ſicarii? Galliam ergo petere ſtatuit, patriam, ut arbitror, ſuam; illinc ad nos celeriter revehendus. Sed fatorum ſcilicet invidia fuit, ne hominum genus ſe tam vicino immortalibus viro diutiùs jactaret.

At Timonides de Meleandri in Poliarchum animo inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ter ſingultus agens, literas Arſidæ tradit, armillamque oſtendit de pyxide evolutam, inutile Argenidis munus. Sed artificium, gemmaſque mirari, per dolorem non licebat. Eâque veſperâ luctibus datâ, ambo conſtituunt ad Meleandrum redire, ne aut ille de Poliarcho aliquid ſperaret, aut ipſi neceſſariis temporibus Regis abeſſent. Suſpicabantur jam armis infeſtam eſſe Siciliam. Circumegere itaque curſus, ut in Epeircstes potiſſimùm portu terram ſubirent. Varia, ut ſub vere, & irrequieta flamina erant; ſeptimuſque demum dies Epeircten aperuit. Sed quò propiùs admovebantur littori, eò crudelior miſeros luctus agebat. Recedere terras amaſſent modò omni remigio quæſitas. Nam quo ore tantum facinus nunciaturi erant? aut quis deinde pro ominoſis non eos habiturus? Præcipuè Arſidam non unus, aut Timonidi notus dolor, conficiebat; Nec tam illum Meleander movebat, quàm Argenis. Poſſetne videre morientem, & quod eſt crudelius, illam triſti oratione occidere? Quo ſupercilio exprobraturam, quòd à Timocleâ inter hoſtes feliciter ſervatum, ipſe ad naufragium dimiſerat? Cur ire, aut cur ſolum, paſſus eſſet tam enixè commendatum? Hæc & ſimilia revolventi, minimum erat quòd fidei & operæ præmia ſibi perierant; Verebatur Virginis iram, ex illius oculis accepturus, an vivere deberet. Nec ipſa poterat aut eludi diſſimulatione, aut morâ mulceri. Num enim quod Meleandrum ſcire intererat, non ſtatim ad Argenidem perveniret? Ac ut ſilere ipſe vellet, nec Regi triſtem caſum nunciare: At quid Timonides, tam ſilentii quàm ſermonis per nimium dolorem impatiens? quid utriuſque familiares, feſtinaturi tantæ cladis novitate ſibi percunctatores parare?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT VI.

ARGUMENTUM.

Arſidas & Timonides concedunt ad Regiam, ubi nullum prius quam Gelanorum aſpiciunt. Audiunt ut everſa navi Poliarchus & Gelanor. in ſaxa deſiliunt, deinde ſupplices pyraticum in lembum recipiuntur. Sed ubi pyratæ tanquam captivis catenas injicere audent, Poliarchus ſtricto ferro omnes juſto furori immolat. Expilatum Reginæ Mauritaniæ theſaurum recipit, remotiſque unius pyratæ tibiarum inſtitis, exhorret ad deſtinatas ſibi à Lycogone litteras, quibus veneni Meleander arguitur.

INTER hanc cogitationum caliginem, navis crepidini portûs applicita, turbatos reddit Siciliæ. Primùm omnium amicis ſervuliſque præcipiunt, ne quid in publicùm efferant, priuſquam ipſi Regem adierint. Superato mox calle qui in oppidum ducit evadunt in atrium Regis; & illic (ô mixturam fatorum mirabilem!) neminem priùs quàm Gelanorum aſpiciunt duobus Siculis medium, & temerè læto vultu ſpatiantem. Prior Arſidas vidit; & ad idem ſpectaculum Timonidem veſte prehenſum rapiens, aliquamdiu impotens vocis, manu protenſa anhelavit. Mox redditâ voce. An monſtris deludimur? inquit; aut quæ iſta rerum omnium mira confuſio? An non illic eſt Gelanorus libertus Poliarchi, quem & naufragii fuiſſe comitem conſtat? [1] quis hunc Mercurius reddidit, miſcuitque viventibus? Horrebat Timonides: Nec reſponſo Arſidæ dato ad Gelanorum cucurrit; qui & ipſe viſis amicis ultrò obviam properabat. Sed hi muti ſtupenteſque nihil niſi hominem contuebantur. Tandemque cum gemitu

1 QUis hunc Mercurius reddidit, &c.] Dicitur virga ſua mittere umbras in Orcum & educere Orco. Virgil. 4. Æneid.

Tum virgam capit, hac animas ille evocat Orco,
Pallentes animas ſub triſtia tartara mittit.

Et 6. Æneid.

Lethæum ad flumen, Deus evocat agmine magno.

Claud. de rapto Proſerp.

—— geminoque facit commercia mundo.

Horat. 10. Ode, l. 1. in Mercur.

Tu pias lætis animas repones
Sedibus, virgaque levem coërces
Auream turbam, ſuperis Deorum
Gratus & imis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

gemitu Arſidas; ſalvum te video Gelanore? [1] an umbra es; tibique & naufrago domino ſaltem inanem tumulum quæris? Gelanorus deponere juſſit hos metus: Vivere ſervatum à fluctibus peiratiſque Poliarchum. Ab eo ſe miſſum ad Regem, Epeircten proximâ die veniſſe. Avidè illi rem omnem quærere cœperant, qui caſus egiſſent, quæ ſalus, aut fides, perditâ nave in mari irato. Sed Meleander narrationem prævertit, qui è feneſtra conſpectos præcepit advocari, alterius ſcilicet prodigii ſuſpenſus ambagibus quas per eos ſolvi poſſe ſperabat.

Nam ut navis quâ Poliarchus Rhegio Galliam petebat fracta in vadis eſt, cœpitque undarum pondere diduci, ipſe cum Gelanoro, nautiſque duobus in ſcaphulam ſe recepit; nec vento obluctabantur: niſi quòd diſpenſatis remorum ictibus negabant fluctibus latus ſcaphæ. Ita proximum promontorium circumvecti, extra conſpectum navigii fuerunt, ex cujus ruina profugerant: inde mitiùs urgentibus ventis, cùm adhuc per multa ſpacia errarent, alliſa eſt cautibus ſcapha, quas undæ humiles celabant, vectoreſque deſtituit. Exiliere igitur in medium pontum, ſolidis ſed imparibus ſaxis ita excepti, ut fluctus nemini infra poplitem eſſent, nec ullus ad umbilicum tingeretur. Longè littora; nulla navis in conſpectu, & magnitudo cladis etiam vota damnaverat. Placebat Poliarcho exire ferro miſerias. Gelanorus rapidos vortices in exitium malebat, & nautæ non vitæ ſpe, ſed horrore interitûs, aje-
bant

1 *An umbra es, tibique & naufrago domino inanem tumulum quæris?*] Inanis tumulus, ſeu Cœnotaphion, ſic deſcribitur à Virg. l. 3. Æneid.

Solemnes tum forte dapes & triſtia dona
Libabat cineri Andromache, Maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridique è ceſpite inanem,
Et geminas cauſam lachrymis ſacraverat aras.

Et Ovid. l. 11. Metam.

Et ſæpe in tumulis ſine corpore nomina legi.

Et 12.

Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.

Et 6. Æneid.

Centum errant annos volitantque hæc littora circum,
Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reviſunt.

1 *Se*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

bant in illis rupibus expectandum naturæ fortunæve imperium. Sic de fato deliberantibus viſa navis eſt è longinquo jactari fluctibus, & ad ſe paulatim accedere. Peiraticus lembus erat, qui habilis, & in tempeſtates comparatus pertulerat maris ſævitiam: & jam remittentibus ventis, incipiebat ad gubernaculi inflexiones regi. Sciebat gubernator, ſaxa latêre in eâ regione, quorum viciniam jam prodebat crebrior ſpuma, & fremitus in brevibus ſemper immanior. Detorquebat ergo navigium; cùm ſimul naufragæ ſcaphæ aliquot tabulas videt, quæ paulò ante vexerat Poliarchum. & ſupplices paſſis manibus apparent è proximis ſaxis invocantes prætervehentium opem. Dubitavere Peiratæ an excipiendi eſſent. Nam quod precium auxilii; aut quid prædæ ex naufragis erat? Humanitatem verò in illis pectoribus deleverat artis ſuæ crudelitas. Quia tamen plerunque vectores commeatuum preciosiſſima ſuis veſtibus recondunt, placuit ire ad prædam, expedieruntque ſubitò ſcapham, minùs acri jam pelago: ac ne in ſaxa inciderent, lenta remigiâ agebant, ſubinde ſcrutati quàm alto æquore veherentur. Admoniti quoque ſunt ſupplices, ut quàm proxime fieri poſſet, ad ſcapham per ſaxa ſolidaſque arenas accederent. Tandem remi fuere pro ponte, quibus porrectis proximam rupem ſuæ ſcaphæ Peiratæ commiſerunt. Sed obſtupuere ad Poliarchi & Gelanori vultus, ſimulque corporum, ſimul veſtium pulchritudine capti, multa de prædæ fœlicitate inter ſe muſſarunt.

Ubi autem è ſcapha in lembum recepti ſunt, tunc non diſſimulatâ perfidia veluti captivis catenas injicere audent, ad hoc monſtrum ſtupente Poliarcho; qui ſtricto mox enſe, quid vos autem viri? (inquit) quæ odia? quæve rixæ? aut quid tam ſubitò offendimus, modò digni quos per veſtra pericula fluctibus eriperetis? Neque ſegniùs Gelanorus manu ferrum tenebat, vinculaque repulerat. Sed cùm nihil Poliarchi ſermonibus fracti, ſæviùs tumultua-

multua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

multuarentur, enſeſque expedirent, non diſtulit Poliarchus armis uti, & catenas ſibi indere conantem ita multavit, ut in ima viſcera ferro deſcenderet. Huic cùm alium addidiſſet compari fato; victor quoque unius Gelanorus ſeſe patrono applicuit. Tum juncto, ne circumvenirentur, tergo, utrimque hoſtibus frontem objiciunt. Fractis etiam remis, qui fortè jacebant in navi, raptas palmulas, inſtar clypeorum circumegere capitibus. Nautæ verò quos cum Poliarcho captos catenis Peiratæ onerabant, tanto erecti exemplo, & ipſi contis arreptis auſi ſunt repugnare. Captivi etiam aliquot erant loris conſtricti præter eos qui catenis alligabantur remigio; illi læti hoc certamen intuebantur; Videbatque oculos miſerorum Poliarchus ſibi propitios. Neque ratus inutile auxilium, lora aliquorum diſcidit ferro, provocavitque ad ingenuam in ſceleratos pugnam. Et hi certatim ſociorum vincula ſolverunt, ut jam penè hoſtium numerus æquaretur. Tredecim omnino Peiratæ fuerant. Ex iis ceciderant ſub Poliarcho duo: unum Gelanorus abſtulerat. Nautæ verò atque ſervitia à Poliarcho liberata, in ſe quinque averterant. Ita res cum aliis quinque Poliarcho & Gelanoro fuit. Sed nec inulti cadebant. Jam enim alterum nautarum Poliarchi in mare compulerant. Et unus clavum ſpinis ferreis horrentem in cervicem Poliarchi ſimulans deſtinare, ſubitâ fraude, adegit ad latus. Niſi lorica obſtitiſſet, quàm magnos Argenidi luctus hæc clava faciebat! Sic quoque multis quidem, ſed non altis vulneribus intravit. Accenditur violentiùs Poliarchus, nec cunctanter ſuo hoſti clavâ extortâ cerebrum miſcet; magnâ atque intrepidâ voce Gelanorum ad victoriam hortatus; qui & ipſe jam in duorum ſanguine victor haud ſegniter perculſis inſtabat.

Timidi, qui adhuc ex clade ſupererant, ſeſe in aliam receperunt certaminis partem, quà ſcilicet libertati vinculis captivi dimicabant. Sed & illis ſucceſſu partium gemi-
nata

nata ferocia erat. Incluſi prædones hinc ab ipſis, inde à Poliarcho & Gelanoro ita mulctari cœperunt, ut ægrè inhibuerit Poliarchus quin omnes cæderentur. Eos enim capi malebat, maturiſque ſuppliciis ſervari. Tres igitur ad genua provolutos in vincula conjici juſſit. Et inter gratulationem miſerorum, qui eo duce de latronum poteſtate exierant; ſuaviſſimâ conſolatione perfuſus eſt, quòd publicæ ſaluti videbatur operatus. Certatim ingerebant, hunc tutelarem, hunc vindicem deum eſſe; ſupra mortale robur afflixiſſe perduelles; denique unum dignum ad quem toto ex orbe vota miſerorum confugerent. Sed in unâ omnium lætitiâ vox diſſona erat. Qui enim ſolis loris conſtricti fuerant, jamque ſentiebant libertatem, ſibi & patrono ſine exceptione gratulabantur. At remiges plenum beneficium volentes, ſolvi petebant, dimittique in ſtatum à quo per ſervitutem exciderant.

Poliarchus ne pœnitendum beneficium daret, quis illius navis dominus, quis gubernator, unde peiratæ; omnia ordine exegit. Proclamat de remigibus unus: Miſerere quiſquis es, Heros: hanc ego meo cenſu ratem compegi; hanc & dominus & gubernator regebam; frequenti inter Africam Hiſpaniamque commercio. Fortè ad oſtia Bætis appuleram; depoſitoque onere, Ibericas merces parabam; cùm iſti latrones, vectorum nomine, mihi cladem impoſuere. Ne numerus ſuſpicionem faceret, bini ad me aut ſinguli venerunt. Neque eundem portum fingebant ſe petere. Hi Adrumetum nominabant, Clupeam illi, aut Uticam. De mercede conveniebat. Rudis ego impiæ fraudis, omnes excepi; qui, quò ſolertiùs fallerent, tanquam inter ſe ignoti egerunt, quamdiu in portu hæſimus, aut à vicino littore erat auxilium. Aſt ubi procul terris ventus impulit ratem, ſoporque in cœlo ſecuro nautarum pluribus irrepſit; ſubito impetu irruunt in nos; me de gubernaculo deturbant; ſemiſopitos alios portant ad tranſtra, nexibuſque devinciunt; &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

peiratico ſcelere jam pro vectoribus domini ſuo auſpicio ferri cœpere: Nam nec deerat rei nauticæ inter eos peritus: & pro ſarcinis catenas attulerant, quibus omnium crura impedierunt. Hinc in minora, ut occurrebant, navigia, ſæpè graſſati comparavere arma, captivos, opes. Nec in mari modò ſceleſti, exſcenſiones varias in agros fecerunt. & benè prædatos ad nova ſcelera littoraque agebat hæc navis. Nuper quidem, cùm plerique eorum triduo abfuiſſent, rediere ex Mauritaniâ ad navem, opibus graves, & quantum ex eorum ſermonibus conjeci, expilato per fraudem theſauro, quem Regina Mauritaniæ habebat chariſſimum.

His auditis, Poliarchus è prædonibus unum, quem habebat in vinculis, rogavit, verane eſſent quæ ex nautâ audierat. Ille omnia ſilentio confitebatur. Sed de ultimo facinore intentiùs urgebat Poliarchus; num de Reginæ Mauritaniæ theſauris prædam egiſſent; quæ illis via ad facinus; & quâ parte navigii recondidiſſent furtum. Ille, gemmarum famam ſibi cauſam audacis conſilii fuiſſe reſpondit. Nocte concubiâ ſeptem ex ipſis armatos conſtitiſſe in plateâ; ut ex proximis compitis tanquam illic à Reginâ appoſiti, arcerent tranſeuntes; dum alii duo ferrum, quo feneſtræ ſpiſſiſſimo jungebantur, harpagine arreptum per ſecretas machinas flectunt. Ita, inquit, aditus nobis factus. Voto potiti ante lucem ad mare receſſimus. duratque inviolata hactenus præda; quia ab eo littore primùm fuga, ac deinde tempeſtas nos tenuit. & ne tanta hæreditas rixam faceret, placebat expectare donec in tranquillo divideretur. Subivit igitur navis conſtratum Poliarchus latrone præeunte; arcâque recluſa, ingentes & plerunque muliebres ex Mauritaniâ opes inſpexit.

Tum verò tanquam ad nova conſilia vocatus à fortunâ, ſe collegit. Profectionem in Galliam Dii turbare ac differre videbantur. Per tempeſtatem curſu exciderat;

nactus

nactus erat aſſuetam Africanis littoribus navem; nec fuiſſet humanum, recuperatas opes non ſtatim Reginæ nunciare. Et forſitan (ſecretus inquiebat) gloriam meam cœlites curant. Quicquid ſpei privato habitu in Siciliâ exorſus ſum, nolunt me perſequi meæ gentis fortitudine atque armis; ne generi, ne opibus, ne exercitui, ſed mihi debeam quicquid fœlicitatis contigerit. Sequar illa auſpicia. Ex Africâ facillimè res Siculas accipiam, meaſque nunciabo Argenidi.

Ubi hoc placuit, ita prædoni loquutus eſt; Equidem & Reginæ ſuas reddi divitias æquiſſimum puto, & vos quoque (nefarii) dedi ad pœnam. Navigatio in Mauritaniam flectenda eſt; ne vindicta pereat atrocis audaciæ, aut forſitan aliquot illic inſontes veſtri facinoris infamiâ laborent. Neque mora, dominum navis, per quem de prædonibus cuncta cognoverat, eximi vinculis jubet, clavoque ſuccedere. Cæteros qui erant in tranſtris, ſolvi prohibuit. Nam & remigibus egebat per quos in Africam veheretur, & tot ignotos, ac fortaſſe vinculis ſuis dignos, nolebat poſſe in ſe peccare. Itaque diligenter quæſitas tranſtrorum & compedum claves, cuſtodire Gelanorum imperavit. Et ne tamen nihil illi in ſuâ lætarentur victoriâ; agedum, remiges, inquit, in fœlicitatis articulo ſtatis. Date modò Mauritaniæ oram; ita me amet Dieſpiter, omnes ire liberos jubebo. Quid grave eſt, ſi in redemptionis pretium, brevem, ſed mihi neceſſariam vecturam repoſco? Si non fallit gubernator, bidui in Mauritaniam curſus eſt. Illa mihi navigandi, vobis captivitatis afferet finem.

Compoſiti in tantam ſpem remiges, ita juſtos remorum ordines inſtaurant, tanquam non Africam, ſed ſuam domum, ſuas neceſſitudines quiſque repeteret. Sed negabat gubernator genium pelagi ferre, ut cadavera in navi portarentur. Iraſci maris deos, & ſæpè viventibus periculi cauſam fuiſſe, ejuſmodi pietatem in mortuos. Tres

porrò jacebant in lembi conſtrato à prædonibus inter pugnam perempti. Non auſus eſt Poliarchus intempeſtivâ humanitate repugnare omini navigantium. Igitur inferis diis religioſe excuſavit quòd inſepultos abjiceret; ubi primùm Africam dediſſent, [1] ſe umbras in littore erectis tumulis collecturum. Factâ igitur poteſtate, cadavera cæſorum corripiunt; at ne fruſtra quid periret, ſcrutari cœperunt, ſi quid in veſtibus pretioſum lateret. Duorum ſpolia intra paucos nummos fuerunt: tertius, tanquam delicatior, ambientibus inſtitis tibias & crura velaverat; quas cùm unus nautarum detraheret, tabellæ cecidere, illic ut apparebat ad ſecretum repoſitæ. Cùmque juſſiſſet Poliarchus eos codicillos ſibi tradi, linumque ſolviſſet, velut ad monſtrum exhorruit, deſtinatas ad ſe litteras, & à Lycogene quidem eſſe. Scribere ad Poliarchum Lycogenem? Ceram ad ſe per tot prodigia eſſe delatam? Cunctabatur oculis ſuis credere repetentibus hoc epiſtolæ initium, Lycogenes ſalutem Poliarcho. Statim erigi cadaver imperavit, & curioſus inſpector diligentiam Gelanori adhibuit, ſi quo lineamento poſſent vultus nondum morte recenti confuſos agnoſcere. Sed ignobilem nuncium, & de ſervitio Lycogenis unum, facile fuit ab utroque ignorari. Ubi verò diligenter undiquaque inſpectum eſt, num & alias literas aliave prodigia haberet, exoneravere cadaver: navem; amicum an inſidiatorem crederent adhuc incerti. Erat is autem quem Lycogenes ad Poliarchum miſerat. Dum Timonides in prædio ſuo hæret, occupaverat iter; interceptuſque à prædonibus, tunc in pugnâ ceciderat; tanquam dubitante fortunâ utrum

1 *Se umbras tumulis erectis collecturum.*] Structo ſcilicet cenotaphio, & inani tumulò, juſta perſolvendo, ut ſuperiori cap. ſic Virg. de Palinuro, Æneid. 6.

Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque ſeverum
Eumenidum aſpicies, ripamve injuſſus abibis? (cro.
Sedibus hunc refer ante ſuis & conde ſepul-

Et infra:

Prodigiis acti Cœleſtibus oſſa piabunt,
Et ſtatuent tumulum & tumulo ſolemnia mittent.

utrum tantæ improbitatis literæ Poliarcho tradi deberent.

Poliarchus totius ſcenæ ignarus, ſeſe ad lembi malum applicuit; vultu deinde & animo perturbatus, ad omnia verba exhorruit. Veneficii accuſabatur Meleander; delator Lycogenes erat. A Meleandro ſe ad mortem audiebat depoſci; Lycogenes amicitiam ſpondebat. Quæ autem illa armilla: aut quò miſſus ad ſe Timonides? non ſe literas legere, aut ſatis vigilare, arbitrabatur. Ubi mora deinde reſtituit mentem, & iteratò totam [1] ceram evolvit; aliquid magnum, inquit, agitur, Gelanore. Nunquam Lycogenem magis timui, quàm ex quo meæ ſalutis curam agit. Si vixiſſet qui epiſtolam ferebat, forſitan illi excidiſſent indicia, quæ viam nobis facerent in tantâ caligine. Nunc quid cogitem, aut quibus argumentis ad verum perveniam, eſt incertum. Secum deinde agitabat, an credibile eſſet, voluiſſe Meleandrum amicitiæ ſpecie innocentem violare. Magis conveniebat moribus Lycogenis de Rege mentiri, quàm Regi tam infanda ſolertia. Hæc & ſimilia animo verſanti abiit dies; & nox per inſana commenta animum deduxit. Varia agitanti conſultiſſimum viſum, ſi Gelanorum in Siciliam mitteret, nullis ad Regem litteris, ſed cum hac ipſa Lycogenis epiſtolâ, quam redderet Meleandro. Non liquidiùs poſſe verum deprehendi. Quippe ſive in vero crimine, ſive in falſo, doliturum maximè Regi, vel de infamiâ inutilis fruſtratique facinoris, vel de injuſtâ ſuſpicione. Ex illius, & proximorum vultu, ac vocibus, Gelanorum intelligere poſſe, de hoc Lycogenis indicio quid credendum. Nec Lycogenem eo facto dubitabat offendere; cui, etiamſi Meleander

1 *Ceram evolvit.*] Cerâ veteres ante inventum papyri uſum, pugillares ſuos obducere ſolebant. Videntur hodie in Bibliotheca Benedictina Sancti Germani à Pratis tales tabellæ cerâ obductæ. De his Juvenalis,

Nonne licet medio ceras implere capaces
Quadrivio.

Inde deductum, *in prima & ima cera, &c.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

leander hoſtis eſſe mereretur, tamen amicus fieri nollet. Adjuvabat ea conſilia ingens cupiditas ſcribendi Argenidi; ad quam literas, niſi Gelanoro, aut Arſidæ, non credebat.

CAPUT VII.

ARGUMENTUM.

Iactâ ad Africæ littus anchorâ Poliarch. furtum reſerat Reginæ, quæ ubi inviolatam prædam explicat, lætioribus lachrymis madens, ciſtellam maxime unam complexa, ſe denuo vivere, ſe Reginam eſſe proclamat.

IAM non modò erat Africa in conſpectu; ſed & Lixa, tunc Mauritaniæ caput, pulcherrimo ſitu ab cogitationum ſolitudine nonnihil Poliarchum deduxerat. Fluvius, quem & Lixam appellant, non repugnanti pelago miſcebatur, ut in utriuſque undæ confinio, non fremitus diſcrimen faceret, non ſpuma, ſed color. Arbores quæcunque fluviis gaudent, ab utraque parte alvei, cum cæterâ riparum imagine in aquis ludebant. Urbs ingens, & mercatorum commercio gravis, ubi paululùm eſſes à mari provectus, uno duntaxat ſtadio receſſerat à flumine. In urbem ab littore euntibus dexter erat omnium qui ſunt in Africâ pulcherrimus collis, & in eo Reginæ ſuburbanum, quam dicebant Dominæ villam. Illuc amabat Regina divertere, curis feſſa, & ad negotiorum tumultum poſt alternam ſolitudinem reditura hilarior. Et tunc fortè in ea verſabatur. Quod ut ex obviis lintribus percunctanti Poliarcho relatum eſt, in proximâ orâ jubet anchoram jaci; & ne remiges quicquam ſe abſente turbarent, aut etiam à portu diſcederent; quærit ex Afris, nemone cuſtos portûs, aut cui magiſtratus delegaſſent fluminis curam. Præſtò lictores adfuere, & neſcio quis redemptor portorii, cui ſic Poliarchus, hujus lembi cuſtodiam tibi trado, quem Africæ intereſt ſalvum eſſe; dum fero ad Reginam neceſſaria quæ ex me intelligat. Simul his prædones

dones educens detracta pedibus vincula jubet addi cervicibus, unumque licium ad omnium vincula pertinens ponit in manus gubernatori navis, præmittitque verſus collem.

Ipſe cum Gelanoro ſequebatur, loci formam curioſis oculis luſtrans, quem recens maris horror faciebat gratiorem. Non anxiâ arte quæſitus erat decor. Plura Naturæ debebantur, cujus facilitas, atque ingenium, omnes artificum labores prævertit. Ruſticus ad villam aſcenſus (nec lævigari Regina paſſa erat) obliquum colli latus ſic dederat, ut circumvenire montem potiùs videretur, quàm in illum eniti. Lævam itineris tegebant denſi frutices, crebrarumque ſtirpium inæquali viriditate lætiſſimi. Tumuli illic leves, creſcente molliter campo, donec oblongum, & ſpiſſis opacum arboribus ſupercilium montis ſubito tumore conſurgeret. A dextrâ convalles viſebantur, vinetis hortiſque excultæ; & in collium radicibus, qui dimidiatum orbem ducebant, uberrima paſtu prata ſe eâdem viriditatis hilaritate porrexerant. Sub ipſo montis jugo ſublimis & ſponte extenſa planicies erat, in quâ villam condiderant. Ad fores cùm veniſſes oblectabat oculos alia loci forma, proſpectuſque in remota liberior. Quippe ante veſtibulum patebat hominum curruumque area capax, paucis, ſed ingentibus diſtincta arboribus; ad quarum umbram ſedilia, & lapideas menſas, milites cuſtodeſque extulerant: Ac ut editus locus erat, errores fluvii in valle monſtrabat; montes quoque ex adverſo Magnatum prædiis diſtinctos. Viſebatur à dextro latere pars potiſſima urbis, per ſuos colliculos & templorum faſtigia elatæ. Si oculos longiùs mitteres, mons Atlas incultâ hyeme, & ſterilibus ſaxis, per multos vertices in nubibus fractus, delectabat animum mutatione conſpectûs, & propinquam fœlicitatem blandiùs commendabat aſperitatis imagine. Domus pro Reginâ non ingens. Sed debebat artifici, quòd venti, quicunque perflarent, admiſſi, omnem æſtum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

temperabant; & triclinia lumen accipere poterant non obnoxium radiis ſolis. Hortus deinde modicus, & porrectus in longum, Muſis erat quidem dignus, & omnibus diis quos cepit ſtirpium colendarum humanitas. A domo in illum, porticus ducebat, in quâ ſolebat Regina convivari, aliquot ſignis & picturis exculta. Jam verò ſiniſtrum horti latus claudebat montis vertex, non illi utique tantùm horto, ſed domui, ſaltuique perpetuo contiguus dorſo, & duntaxat parietis interjectu coërcitus. Hanc partem fons amœnus decorabat, è marmorei Elephantis proboſcide in teſſellati operis alveum decurrens. At dextra ad proſpectum vacua erat, exiguo muro in hoc tantùm erecto, ut lapſus in abruptum caveretur, & in eum innixi fruerentur vivarii ſubjecti ſpectaculo. Nam mediocre ſtagnum coërcebant latericii aggeres: piſces in eo variæ ſenectutis, quos ab horto Regina amabat, præcipitato in aquam pane, inter ſe concitare ad certamen. Porta ex horto ducebat in exiguum ſaltum, quem facti manu calles, virgultiſque liberi, ſecabant. Cervi in eâ, & capreæ, & cætera animalia in Africam importata; quæ ea pars terrarum gignere neſcit: inciſique [2] Numidico marmore iſti verſus, qui lucum Dianæ conſecrabant:

[3] Alma ſoror Phœbi, quæ nunc per confraga curſu
Præcipitas, volucri mandas nunc vulnera ferro,
Seu damam fortuna dedit, ſeu fortiùs ira
Intumet, & noſtri fugiunt tua tela Leones;
[4] Numen [5] iô nemorum: ſi Te, comiteſque pudicas

Caſta

1 *Muſis quidem erat dignus, & omnibus diis quos cepit ſtirpium colendarum humanitas.*] Hortos amant & receſſus nemorum montiumque Camœnæ. Neque Dii ab hac hortorum voluptate abſtinuêre, ut Flora, Venus, Adonis, Priapus, Pomona, Vertumnus.

2 *Numidico marmore.*] Pretioſiſſimum marmor ex Numidia. *Pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſint:* inquit Seneca, Epiſt. 87.

3 *Alma ſoror Phœbi.*] Diana eodem cum Apolline partu edita.

4 *Numen iô nemorum.*] Diana eadem, quæ & Sylvis præeſſe credebatur.

5 *Iô.*] Vox eſt lætitiæ, ſolita in triumphis uſurpari.

1 *Fœda*

Caſta domus, caſtæque juvant pia jugera ſylvæ,
Exaudi, mitiſque tuos agnoſce, nec uſquam
Hîc, Dea, Sylvicolis ſit [1] *fœda licentia Faunis.*
Hos tibi ſacramus lucos, hæc ſurget honori
Sylva intacta tuo. Tu noſtris annue donis.
Et cùm ſpumiferos junctis in retia campis
Impellemus Apros, & cùm tibi ſacra feremus,
Non occulta veni; Vel ſi invidioſa precamur,
Huc ades ô quo more licet, curſuque tuorum
Sæpè canum, & ſacris aures latratibus ure.
[2] *Hîc Dryadum committe choros, &* [3] *Oreade multâ*
Cinge latus. Nunc vos nemorum, nunc fontis in umbrâ
Ludite, nunc magni quà ſubter viſcera montis
Antra per agreſtes exudant frigida tophos.
[4] *Illic ſi calidas exolvet fibula veſtes,*
[5] *Non erit Ogygius ſecretis arbiter undis,*
Cornua cui ſingas; non quem tibi vulnere parvo
Terra necet, campis tumidus [6] *ſe tollet Orion.*
[7] *Nec pharetram, vultuſque tuos, venator habebit*
Juppiter, atque aliam cœlo dabit improbus Urſam.
Hunc modò tu ſaltum [8] *Delo,* [9] *Dictynna, ſonanti*

Annu-

1 *Fœda licentia Faunis.*] Sunt enim lubrici minores iſti nemorum Dii, ut dictum eſt, cap. I.

2 *Hîc Dryadum, &c.*] Nymphæ Sylvarum, ſic dictæ ἀπὸ τῆς δρυὸς, à quercu.

3 *Oreade multâ.*] Nymphis montium. ἀπὸ τοῦ ὄρεος.

4 *Ille ſi calidas exolvet fibula veſtes.*] Si poſt venationem æſtu nimio fervens veſtem deponis abluendam in antri fonte.

5 *Non erit Ogygius.*] Actæon Thebanus ſic dictus ab Ogyge Thebarum rege & conditore. Vide Ovid. Met. l. 3. Ubi Actæon venator cum in valle Garganoë ad fontem lympidiſſimum receſſiſſet, à Diana nuda convitiis laceſſitus eſt; mox in cervum mutatum diſcerpſere canes.

6 *Se tollet Orion.*] Et Urion ex urina Jovis, Nept. & Merc. procreatus, cum arte ſua venatica plus æquo intumeſceret, indignatæ Dianæ precibus exorata terra tumentem interemit Scorpione immiſſo. Deinde mota pietate Diana, hunc juxta Tauri ſignum locavit. Ovid. Met.

7 *Nec pharetram, vultuſque tuos, venator habebit Jupiter.*] Non ſe denuo Jupiter in Dianam transformabit, ut ſtuprum inferat Caliſto, quam tamen poſtea mutatam in urſam in Cœlum juxta polum noſtrum rranſtulit. Ovid. 2. Metam.

8 *Delo.*] Inſula eſt Ægei mari, Cycladum nobiliſſima, Apollini & Dianæ ſacra, quòd Latona hunc geminum fœtum ibi enixa eſt.

9 *Dictynna.*] Propriè eſt Britomartis Dia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Annumerare velis, [1] Lyciæque nivalibus arvis.
Nec magis [2] Eurotæ, nec ſis magis incola [3] Pindi.
[4] Tum quæcunque ſuos Nympharum exegerit annos,
In formas abitura novas: cùm frondea fiet
Arbor, & erectis attollet brachia ramis,
Seu quercus, ſeu laurus erit; fac, [5] Delia, noſtras
Augeat hæc ſylvas. [6] Eriſichthonis impia clades
Hinc procul, & lucus nunquam ſciet iſte ſecurim.

Longum eſſet ſingula memorare; ut natura inæqualitate locorum luſerit, ut exiguo ſpatio retulerit omnes formas quibus totæ regiones variantur, ut ſylvam ex aureis malis, [7] rhododaphne, lauro, pinu, ſubere, penè totam, non mutarit innoxia hyems; & antra hîc ſponte, hîc manu aperta, dederint fontes, aut opacum ſubeuntibus frigus. Sed fons præcipuè notabilis erat, de induſtriâ ſic ornatus, ut quæ artificii erant, ſponte producta viderentur. Quippe in arcum mons effoſſus modicam planiciem dabat, exiguis lapidibus quaſi temerè ſtratam. At utrimque lateribus ſaxa ingentia, tanquam rupes ita natas, admoverant. Ubi is labor duodecim pedes in altum excreverat,

tis Dianæ comes, caſſium inventrix, quaſi δίκτυα, ſed pro ipſa Dea ſæpe ſumitur.

1. *Lyciæ.*] In qua Patara, ubi Apollo reddebat ſortes hibernis ſex menſibus. Unde Virg. 4. Æneid.

——— & Lyciæ ſortes, &c.

2. *Eurotæ.*] Fluvii Laconiæ, conſiti lauris, ſacris Apollini.

3 *Pindi.*] Theſſaliæ montis, Apollini & Muſis ſacri.

4 *Tum quæcunque ſuos Nympharum exegerit annos, In formas abitura novas.*] Ad Nympharum Metamorphoſin alludit, quæ apud Ovid. frequens eſt, ut Daphnes in laurum; ſubdit enim,

Seu quercus, ſeu laurus erit.

Vel ad Hamadryadas, quæ naſcebantur & occidebant, naſcentibus, & occidentibus arboribus.

5 *Delia.*] Diana, ab inſula Delo, ubi nata eſt.

6 *Eriſichtonis impia clades Hinc procul.*] Is ob emiſſam ſecurim in ſylvam Cereri ſacram, famem tantam paſſus eſt, ut filia ejus Methra, ad ſuſtentandum patrem, dono Neptuni in varias ſe formas tranſmutaret. Ovid. Metam. lib. 8.

Sic epulas omnes Eriſichtonis ora prophani
Accipiunt poſcuntque ſimul, cibus omnis in illo
Cauſa cibi eſt, ſemperque locus fit inanis edendo, &c.

7 *Rhododaphne.*] Ex lauro & Rhodo: id eſt, roſa, cujus ſimilitudinem habet. Frequens eſt in Helvetia, dicitur & Rhododendron.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

verat, ſemitam fecerant quâ locus circumiri facilè poſſet: Tum verò ſuper hanc molem in gyrum arbores ita ſeverunt, ut inflexorum ſtipitum cacumina in ſubjectam aream verterentur. Hæ, ubi in procerum adolevere, ſpeciem referebant jam jam cadentium ſtirpium, & ſuo pondere radices extra terram trahentium. Inter illius ruinæ innoxias minas, peribat ſub frondibus calor Solis; & laterum aggere primùm, mox curvatis in hunc modum arboribus, denique increſcentis collis mole, tegebatur ſimplex Reginæ hilaritas, quæ fontem illic per aliquot fiſtulas cadentem ſæpè inter ſuas virgines læto ocio celebrabat. Viris, præterquam magiſtratuum præcipuis, nefas domum intrare. Pauci cuſtodes in veſtibulo erant: A quibus juſſus ſiſtere gradum cum ſuis captivis Poliarchus, quis aut unde veniret, militari licentiâ rogatur. Ille negavit, quæ afferebat nunciari, niſi Reginæ, poſſe. Res ad Præfectum cuſtodum delata eſt, qui & ipſe loquutus Poliarcho, Reginæ ſignificat externum juvenem eſſe, habitu vultuque egregium, qui captivos aliquot trahens, ad colloquium quærebat admitti. Regina in eo ſeceſſu tunc hærebat, non ad vacui animi voluptatem; ſed ut in ſolitudine mœrori liberius vacaret. Lachrymarum cauſa erat, violatus à prædonibus locus, quò cum gemmis cætera quæque arcana congeſſerat. Neque gemmæ, aut direpta alia quæ vulgò jactabantur, illam movebant. Una ciſtula, nec ea quidem opulenta, quam ſimul latrones abſtulerant, illos gemitus, & penè fati conſilium ciebat. Hanc vitâ chariorem habuerat; illic filii fortunas ſciebat ineſſe; nec de diis mitiùs querebatur, quàm ſi eum extuliſſet. Cùm ergo nunciatum de Poliarcho eſſet, haud libenter accepit, adveniſſe, quem vultu compoſito deberet audire. Hunc tamen [1] per Micipſam Regio Præfectum cubiculo adduci impe-

1 *Per Micipſam.*] Nomen commune quondam Africanis, ut & Hyempſal, & Iarbas, & Syphax & Juba: Ita Florus & alii.

imperavit; ipſa inter aſtantes reſedit matronas in ſuggeſtu eburneo, quem argentei leones depreſſis onere jubis ferebant.

Is verò ut in conſpectu fuit, illam ad abſentis filii memoriam vocans (nam & juvenis, & formoſiſſimus erat) ſubito ſui favore incogitantem permulſit. Mox liberali ſalutatione perfunctus; Et ſi (Regina) parum, inquit, animum tuum tangunt, quæ peſſimi nuper fures à tuo abvexere ſacrario, tamen juſtiſſimæ Principi gratiſſimum duxi, ſi tantum facinus impunè non auferrent. In eos, diis ducentibus, medio ponto offendi. Plures in certamine perierunt. Tres adduxi ſuperſtites. Sunt ecce in limine, & fatum à tuo arbitrio expectant. Fidum autem hominem, ô Regina, mecum allega. Huic quæ à te abſtulere reſtituam, adhuc, ut ab ipſis audio, illibata. Ea juſſi in proximâ ripâ apud navem aſſervari. Regina, ad tanta & tam ſubita gaudia, muliebri ingenio impatiens, de ſede exiliit, & ignoti manum amplexa; O auſpicatiſſime quotquot ſunt mortalium, aut potiùs, modò hæc vera ſint, diis noſtris jungende; duc protinus, inquit, ad navem. Ipſa furtum, ipſa prædam recognoſcam. Neque avidam voca. Arculam modò unam reſtitue. Cætera te condono. Sic effata miranti Poliarcho viam præit. Nec jungendo currui, nec attollendæ lecticæ ſpatium fuit. Sicut erat in cultu privato, urgere cœpit gradus, ſibi uni de re tantâ creditura. Matronæ, puellæque, illius aſſuetæ obſequio, nihil mutato veſtitu, pedibus ibant. Fugæ ſpeciem celeritatis tumultus impoſuit. Cùm verò Poliarchus pro foribus prædones oſtenderet Reginæ; Sine quæſo, inquit illa, priuſquam alios damno, ſcire an me fortuna abſolverit. Nemo in regia fuit, qui non properantem ſequeretur. Ignari plerumque quæ res ageretur ſtupebant, & aliis ſtuporis cauſa erant. Statim in urbem rumor pervaſit; ſed incertus, ideoque audacior. Nunc Reginæ filium adventaſſe; nunc ejus cadaver navi delatum.

Veriora

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Veriora alii referebant, ad recuperatum theſaurum Reginam deſcendere. Ergo omnes ad amnem properabant, parata ſeu plaudendum, ſeu aggemendum, turba.

Regina ut ad ripam pervenit, ponte ex tabulatis facto in lembum ſublata eſt. Ac ut primùm reſerata à Poliarcho ingens arca, inviolatam prædam explicuit, jam lætioribus lachrymis madens, ciſtulamque quam quærebat, complexa, ſe denuò vivere, Reginam rurſus eſſe proclamabat; nec quicquam juſtius quàm ut Poliarcho divini honores haberentur. Abnuebat Poliarchus riſu modeſto, & laudantem compeſcebat. Jamque lecticæ, ut potuerunt Reginam ſequutæ, ſtabant in ripâ, carpenta etiam fœminas ſubvectura; & ipſa ad tantæ læticiæ auſpicia anguſtam villam rata, in urbem reditum edixit. Innitebatur Poliarcho (qui maximus apud Reginas gradus) illoque ducente in lecticam ſe recepit; quam mox octo pænulati ſuſtulerunt in collum. Poliarchus deinde præparatum [1] equum conſcendit; quem ipſi ex regiis ſtabulis admoverant, non ex more gentis nudum, ſed cum iis ornamentis quibus Reges aſſueverant in bello aut venatu. Toto deinde itinere Regina, ſubmotis lecticæ plagulis, cum ipſo loquuta eſt; denſis per viam Afrorum agminibus, & in eum præcipuè intentis. Poſtquam ad aulam perventum eſt, Magnates, ex Reginæ præcepto, hoſpitem in deſtinata triclinia deducunt. Illic ingentis opulentiæ cultu exceptus, mox ad familiariorem corporis curam, ſolus cum Gelanoro relictus eſt.

CAPUT

1 *Equum non ex more gentis nudum.*] Maſſili populi Africæ, ephippiis non utuntur, ſolaque virga equos regunt.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

Priſtinis redditus curis Poliarch., reſque Siciliæ anxiè agitans, pactâ cum nautis duplicatâ Remigibus mercede, Gelanorum ad Regem dimittit. Ipſe oblata in reparati theſauri gratiam dona Reginæ innatâ comitate recuſat. Siciliamque dum cogitat, vehementi morbo arcetur. Interim ad Apollinis templum Gelanorus pervenit, ubi cum Antenorio ſacerdote colloquenti Hyeroleander velut ad condictum ſupervenit, & catellæ Aldinæ obitum nuntiat.

SED ubi paululùm reſpiravit à colloquentium laudantiumque tumultu, haud mora redditus priſtinis curis, reſque Siciliæ anxiè agitans conſtituit eâ veſpera Gelanorum in Siciliam dimittere. (Nam nec amor, nec perplexæ à Lycogene literæ moram ferebant.) Ipſe Clupeæ, maritimo Africæ oppido, dum nuncius ab Argenide rediret, ſe tenere. Dum ergo Argenidi ſcribit, acciri nautam jubet, cujus remigio appulerat; quo ad ſe introducto, Navigium tuum, inquit, non modò tibi reddo; ſed præterea quicquid vi prædonum detractum eſt omne reſtituam; eâ lege ut hunc Gelanorum in Siciliam deferas; inde huc rurſus in Africam quo volet portu ſiſtas. Cum redieritis, in promptu merces erit. Nunc neceſſaria ad viam duntaxat repræſento. Ex remigibus, captiviſque, quos noſti, quotque opus eſt, delige. Hos faxo laboris ne pigeat. Inter cæteros talentum dividam: ne illis reditus in patriam, mendicitate deformis ſit. Nauta dominum & patronum appellando, de munerum magnitudine ſtupebat, operamque pollicitus ad parandum in illam noctem lembum dimiſſus eſt. Et remiges tam fœlicia nunciantem, primo impetu gaudii, inter amplexus, non ſine diſcrimine diripuerunt.

Veſpera appetebat, cùm à Reginâ Optimates ad Poliarchum intrant, nullo humanitatis genere hoſpiti defuturi. Is ab illis, inter ſermonum ambages, hæc fere de Reginæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ginæ rebus accepit; eam Hyanisben appellari; Jubæ fratri ante annos viginti tres in ſceptrum ſucceſſiſſe. Priuſquam regnarent, nuptam Syphaci fuiſſe, viro poſt Reges inter Mauros præcipuo; qui eodem tempore quo Rex Juba morbo extinctus prægnantem reliquerat. Reginam paulò poſt virilis ſexûs prolem eſſe enixam, & [1] Hyempſalem appellaſſe; qui faventibus diis anteiverit indole civium vota: Sed jam quærendâ apud exteros gloriâ, cultu privato, & præterquam uni Reginæ incertum in quas terras, abiiſſe. Hæc Mauri referentes, & ipſi viciſſim quis eſſet Poliarchus; unde, aut quò vim haberet, obliquâ ſubtilitate quærebant. Sed ille perplexos ſciſcitatores, pari arte, quaſi non ſentiens, eludebat. Invitatus deinde ad regiam cœnam, haud modicum tempus conſumpſit cum Reginâ; non multùm abſimili omnium in ſe cultu, quàm ſi [2] in purpurâ veniſſet. Perfecto convivio, cùm tanquam poſtridie profecturus, juſſiſſet valere Hyanisben, rediſſetque in thalamum, præſto fuere qui opulentioribus ferculis menſam integerent. Gemmæ erant, hæ torquibus, hæ armillis, inauribuſve compoſitæ, magna vis unionum, & præter unicam arculam, plura quàm à peiratis extorſerat. Hæc Regina, ſive meriti precium, ſive pignus hoſpitii, donabat Poliarcho. Sed ipſe neque vendere beneficium aſſuetus, neque emi muneribus; multum laudatâ Reginæ comitate, negavit tantillæ operæ deberi invidioſa præmia; ſed neque hæc armatum decere. Referrent tot dona ad Reginam; ſimulque excuſationem, & gratias. Ne tamen pervicacis ſuperbiæ haberetur, annulum quo ſmaragdus includebatur, ſibi deſumpſit; digitoque inſinuans, eum ſe cum manu ſervaturum ſpopondit; Ita enim donantem meruiſſe. Ferruminatus annulus erat,

1 *Hyempſalem appellaße.*] In Tullii Vatiniana, Hyempſal Pater Jubæ regnat in Mauritania.

2 *In purpurâ veniſſet.*] Quaſi regis ſpeciem induiſſet; Eſt enim purpura regium ſymbolum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

erat, & [1] in lapide Atlantem expreſſerant [2] ſuſpecto Perſeo negantem hoſpitium: ſimul Perſeus videbatur Pegaſo inſidens, & ad Atlantis ora ſic Meduſam revelans, ut averteret ipſe vultum, ne & intra viſcera ſaxum reciperet. Sed Atlantis habitus erat indignantis ſe mutari: rigebant in ſylvarum primordio comæ creſcentes; & in vultù figura ſerpebat, qualis nec jam hominis, & nondum montis eſſet.

Aderat interim Nauta, monebatque ventum operam dare. Si veniret Gelanorus, Africam paucis horis longè relinqui poſſe. Hunc itaque Poliarchus arcanis præceptis celeriter onerat; quæ Meleandro ferret, quæ nunciaret Argenidi: Seleniſſa, Archombrotus, cæterique amicorum, quid ſcire deberent. Etiam quid de ſupellectili ſuâ Rex conſtituiſſet; an illa publicata, & qui ſectores fuiſſent, cuncta ſolerter perdiſceret. Illinc enim quid in ſe Meleandro animi eſſet, poſſe intelligi. Poſtquam in Siciliâ mandatis eſſet functus, Clupeam, ubi eum opperiri decreverat, diligentiſſimâ navigatione repeteret.

Profecto Gelanoro, Mauriſque dimiſſis, ſe ipſe ad quietem defeſſus comparabat. Sed poſteaquam in thorum ſeceſſit, remiſeruntque ſe ſpiritus, quos tenuerat variarum rerum imago; tunc vulnera quæ lateri peirata inflixerat, non modò neglecta, ſed negotiis, & contentione animi incitata, ſubito horrore atque æſtu exardere in febrim cœperunt. Ille caſus diſtulit præparatum in poſterum diem iter, terruitque Reginam, haud ſecus quàm ſi ipſi filius in morbo jacuiſſet. Nam præter beneficium quod à Poliarcho ingens acceperat, indolis ſpecimen, & incompoſitum nihil in verbis; præterea generis opinio, & impetus

1 *In lapide Atlantem expreſſerant Perſeo negantem hoſpitium.*] Fabula eſt: Cum Perſeo de expeditione contra Gorgones redeunti negaſſet hoſpitium Atlas, Perſeus Meduſæ ſerpentino capite in eum converſo, in rupem ſui nominis tranſmutavit. Ovid. Metamorph. l. 4.

2 *Suſpecto Perſeo.*] Nam in fatis erat Atlantem ſuperandum à filio Jovis.

1 Ex

petus neſcio quid præſagientis animi, eam ad veræ benevolentiæ affectus compulerat. Ægrum itaque primo mane inviſit adhibuitque medicos ſuos. Et ſequuti Reginam Optimates, anxios vultus ad mœſtitiam figuraverunt.

Horum omnium ignarus Gelanorus navigabat in Siciliam proſperis ventis. Sed quamquam commodiſſima tempeſtas Epeircten nautis dabat, ultrò ab eâ ſtatione abſtinuit; appulitque ad ignobilem portum; eo conſilio, ne quis nautas qui eum vexerant noſſe, aut de Poliarcho interrogare poſſet. Ipſe ad templum Apollinis ivit, quod non procul à littore, verſus Panormum erat, Sacerdotis, quàm ſui Dei famâ nobilius. Sacerdos Antenorius vocabatur, in placidiſſimâ ſenectute vacuis curis, & ad arbitrium fœlix. Nam cum juvenis primos honores facilè cepiſſet, & ſumma ei omnia deſtinaret amicorum opinio; plurimorum caſibus monitus quàm miſerum eſſet inter ambitioſa vota pendere, reſpexerat ad animi libertatem; & ſeceſſurus ad genium ſuum, elegerat Phœbi templum, in quo ſeneſceret. Quippe illi numini amabat operari, & invocatum ſæpè receperat: adeò comparatus in caſus, ſeu ipſe, ſeu amici laborarent, ut omnium victor conſtantiſſimâ hilaritate diſcederet. Aderat litterarum copia ingens, acre acumen, & celere; quæ omnia vitæ integritas honeſtabat in jucundiſſimo ſene. Cæterùm amabat Poliarchum, audebatque laudare nondum publice reſtitutum. Nec ignarus Gelanorus candidiſſimum eſſe, à viâ ad illum deflexit, invenitque cubantem in ſui templi veſtibulo (erat enim pedibus æger) & ut ſolebat, cum familiaribus inter libros ſapientiſſimè ridentem.

Adhuc in primis hærentes blanditiis novo gaudio interpellavit Nicopompus. Amiciſſimus Antenorio erat, & curis tumultuque aulæ plenus, quærebat inter ſuaviſſimi ſenis colloquia turbatæ reipublicæ tantiſper obliviſci. Eo viſo Antenorius urbane quæſivit, ad Phœbum, an ad ſe divertiſſet; Ad utrumque, refert ille: ſed quis iſte Nu-

minis conſultor? Ades ergo Gelanore? & ô Numina faxint ut nec procul ſit Poliarchus. Quamquam præter Antenorium,& Nicopompum nemo jam aderat (cæteri enim Antenorio jubente diſceſſerant) tamen Gelanoro non viſum conſilia caſuſque patroni ulli mortalium priuſquam Argenidi concredere. Eum ergo in Italiâ eſſe finxit, ſeque ab eo ad Regem [1] ex Bajano portu dimiſſum.

Dum hæc ita loquuntur, ecce tibi cumulante fortunâ illius diei lætitiam, Hieroleander veluti ad condictum alio itinere ad templum pervenit. Erat ille ab Epiſtolis Argenidis, ſummus & ipſe virtutibus, inter paucos imbutus litteris, nec patruo præter fortunam, minor, qui ſacerdotii purpuram ex virtute geſtaverat. Is ſæpè Antenorii cauſa commeabat in id templum; & tunc exorando Apollini ab Argenide erat miſſus. Sed ut conſpicatus eſt Gelanorum, ſeque primùm repetitis ſatiavit amplexibus; leviſſimæ rei momento, nec cogitans, illi aditum fecit ad ea exploranda quorum cauſa in Siciliam advenerat, [2] obiiſſe Aldinam oculis ex dolore turgentibus querens. Sive excuſationem ſic parabat, quòd eam omnino habuiſſet, ſive quòd infœliciter cuſtodiviſſet. Audito Aldinæ nomine, ictus aliquantum Gelanorus, in Hieroleandrum reſpexit. Fuerat illa vetuſtiſſima catellarum; quæ Poliarcho impenſe placuerat. Poliarcho ex Siciliâ excedente, eam Hieroleander Argenidis juſſu quæſierat, alueratque ſollicitè. Ipſa Argenide non auſâ ſuccedere in id munus, ne aut aliquid de ſpoliis Poliarchi crudeliter habere videretur, aut contrariâ ſuſpicione abſentis domini gratiâ canem amare. Ea tunc ex partu deceſſerat, magno quidem ſed occulto dolore Argenidis. At Hieroleander catulæ blanditiis aſſuetus impatientiùs mortem hanc tulerat; adeò

1 *Ex Bajano portu.*] Bajæ in Campania, Romanæ quondam deliciæ ad littus Hetruſcum.

2 *Obiiſſe Aldinam querens.*] Catellam. Videntur Romæ apud Gaſparum Scioppium carmina, quibus Aldinæ ex partu obitum lugent Poëtæ.

1 *Omnes*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

adeò ut in ejus gratiam illa celebris eſſe in Aulâ inciperet; maximè multorum Poëtarum carminibus, qui eum demerituri, [1]omnes fides, omnes Parnaſſi frondes, canino funeri adhibuerant. Tunc verò de illius interitu fieri mentionem (quanquam vivam maluiſſet) ſentiebat Gelanorus ſuis rebus conducere; quia ab eo exordio poterat quæri quod Poliarchus præceperat; cui nempe ipſius opes & veluti ſpolia ceſſiſſent. Sed poſtquam intellexit innoxiæ domui curatores à Rege adhibitos, qui eam domino ſuo ſervarent; ſolamque Aldinam ab Hieroleandro captam quò delicatius haberetur; viſa ſunt omnia ex voto procedere. Nam quòd Aldina ſaltem in Argenidis domo vixerat, ritè conjecit id datum memoriæ Poliarchi. Cùmque audiſſet, ne dolore quidem intactam in ejus interitu fuiſſe Argenidem, ſatis quid hanc charitatem & dolorem faceret gnarus, Nicopompo aures præbuit dum Epitaphium recitaret, quod & ipſe Hieroleandri laudibus plenum demortuæ catellæ his verſibus fecerat:

Occidit. Exequias pulchræ celebrate catellæ;
Occidit ante ſuum pulchra catella diem.
[2] Ipſe [3] facem mœſto canis Erigoneius imbre
Condat, & attonitis terreat aſtra ſonis.
Plangere ſcit; [4] meminitque ſuæ lachrymabile murmur
Erigones, patrios cum ſtetit ante rogos.
[5] Dura Venus, quam non pariens Aldina gemendo
Flexit, & [6] Aldinæ ſic parientis herus!

An

1 *Omnes fides, omnes Parnaſſi frondes canino funeri adhibuerant.*] Carmina Poëtarum; nam per metalepſin, *fides* pro cythara, *cythara* pro verſu ſumitur, ſicut *frondes* pro lauro, *laurus* pro Poëſi.

2 *Ipſe facem mœſto canis Erigoneius imbre Condat.*] Fabulantur poëtæ canem hunc fuiſſe Erigones, filiæ Icarii, quæ cum patre à paſtoribus occiſo, vitam laqueo finiviſſet, canis heræ fato perculſus dolore contabuit; ob quam pietatem, eum Juppiter una cum Erigone in cœlum tranſtulit.

3 *Facem condat.*] Id eſt, ſplendorem nube tegat, & latratu terreat aſtra:

4 *Meminit ſuæ Erigones.*] Heræ ſuæ plangentis fatum parentis ſui Icarii ante rogum ejus.

5 *Dura Venus.*] Quæ cum præſit parientibus, catellam parturientem non juvit.

6 *Aldinæ herus.*] Hieroleander.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

[1] *An quia Phœbeis nemo eſt acceptior aris,*
Invidiam Veneris, Solis alumne, luis;
Aldinamque tuam (jus in te haud majus habebat)
Ultrici rapuit [2] *diva ſevera manu?*
[3] *Plangite ſub tenero vulſæ certamine chartæ,*
Quas aufert domino blanda catella ſuo.
Et toties parvo repetita cubilia curſu,
Dum quærit vetitas illa, fugitque fores.
Plangite nunc mutæ ſedes, nunc ſtrata, ſocique,
Et quicquid viduum functa catella facit.
Vos ſolæ gaudete nives. Nil vellere veſtro
Candidius, poſt hæc funera portat humus.

Gelanorus commendatis de more verſiculis; ne quæ de domini ſupellectili, ipſaque Aldinâ, acceperat, animum tangere, & majori omine implere viderentur, ad alia ſermonem deflectit. Ac, gaudeo, inquit (amici) eo loci eſſe res Siculas, ut de catellâ ſic dolere, aut ſcribere vacet. Et hinc ocium vobis à priſtinis bellis, & civili inſaniâ, eſſe conjicio. Imò, refert Nicopompus, hæ ſunt velut induciæ, quibus publicos dolores interdum fraudamus; ut impoſita à fatis onera ſubeamus fortiores. Tum verò Gelanorus rogare prolixiùs; an duraret Lycogeni fides; aut interverſa pace novis ſceleribus recruduiſſet ſeditio. Referebant protinus illi, perplexa omnia eſſe; Eriſthenem & Oloodemum teneri vinculis; armari Lycogenem, & in mutuum exitium diſſidere cives à Principe. Tum Nicopompus, ſive incitatior fervore ætatis, ſive quia frequentior malorum conſpectus in Regiâ indignantem impleverat; non modò fortunam, ſed & Regem atque Lycogenem

1 *An quia Phœbeis nemo eſt acceptior aris.*] An quia Hieroleander Apollini charus eſt in paucis. An Solis alumnus iſte Phœbique Sacerdos, hac pœnâ odia, iramque ferè Veneris memoris acceptæ à Sole injuriæ.

2 *Diva ſevera.*] Venus non nuptiis ſolum & partubus præeſt, ſed etiam funeribus ſub nomine Libitinæ. *Severa* dicitur, quia non favit partui Aldinæ catellæ.

3 *Plangite ſub tenero, &c.*] Plangite chartæ, quas avulſas hero, catella blando certamine ludendo lacerabat.

1 *Ducam*

nem pluribus accuſare adorſus eſt. Quamdiu, inquit, pro ratione impetum habebimus? nec ex noſtris parentumve ſucceſſibus metiemur conſilia? Quanto ſatius fuerat (apud amicos prolixiùs loquor) Regem in ſuos majores inſpicere, & malo cavere ex eorum ſive conſiliis, ſive erroribus; quàm accepto vulnere in medicinâ laborare? Iſti autem perduelles in eum erecti, quem ſeditione titulum, quodve nomen, jam non antea paribus turbis infame invenient? Jactent licet nunc iri aſſertum labantem rerum ſtatum; nunc ſe Deorum cultus Regibus velle monſtrare. Non agnoſcunt irreligioſiſſima arma dii toties neglecti; non utilitatem patria, multâ ſtrage deformis; quacunque ſpecie facinus tueri & ornare molientur, diu eſt quòd eandem alii rebelles maculaverunt. Neſcio quo grandi tumultu dii animum meum implent: abominari inquieta ingenia, pugnare in noxios, & vindictam occupare. Et ne hoc facinus ſupra meas vires putetis, eadem numina mihi arma literarum præbuere, à quibus immiſſa vulnera, ſi modus & veritas adſint, non viribus arceri, non deleri ſæculis poſſunt. Credam tandem impetui illi, [1] ducamque liberâ manu ſtylum; quid Rex offenderit deſcribam; & quam anchoram penè naufrago porrigat priorum ſæculorum hiſtoria: Tum factioſis eripiam larvam, ne eos populus ignoret: quid ſperare, quid timere videantur; quà ſe recipere ad virtutem, quà contumaces obrui poſſint. Non deinde tacebo apud populum ſuæ crudelitatis ineptiam; non, ſi ſuades, mi Antenori.

Imò, ſubjicit Vates, (ſimulque celeri motu multoties nutans arriſit) ſi me audis, compeſces hoc œſtrum. In quem uſum, aut quibus hæc ſcripſeris? Regem ſcilicet hoc pacto monebis? Saltem ſi ſecretus hoc faceres. Nunc verò quàm egregia ratio conſulendi, ut publicè quod illum

1 *Ducam ſtylum.*] Stylo exarabant in cerâ, unde & *cera* pro codicillo non raro.

lum peccaſſe credideris exſcribas; & ſi quid pluſquam populus in ejus vitâ notaveris, invidiæ jam in illum nimiæ aliquid addas? Quid acerbius Lycogenes inſtituat? Imò quia amicus es, plus fidei invenies, ſupraque hoſtes, nocebis. At factioſorum ſcilicet vitia, quæ tegere laborant, perſonâ detractà produces; ex priorum ſucceſſu temporum ibis in eorum conſilia, exitumque præſagies. Nempe, ut ad omnia quæ facies timeant; & qui deos non curant, qui ſpe, ſcelere, armis turbati ſunt, ad tuam Philoſophiam componantur. Parce verò labori, Nicopompe. Diu eſt quòd illud ſapientiæ genus eviluit. Non ignorant ſe errare, nec moniti emendationem promittunt. Sed & finge te adeò efficacis prudentiæ documenta ſcripturum, ut poſſint legentium furorem mitigare; [1] velut quidam morbi ſunt qui per tibicines curantur; quotuſquiſque vacabit lectioni? Soli te legent qui perpetuo livore procaces, in eo eloquentiam ſtatuunt, ſi Principes viros iniquiori oratione perſtrinxeris. Vel humiles fortè in ſcholis, ab negociorum uſu ſemoti, & gerendæ reipublicæ præcepta tantùm in libris aſſueti contemplari. Hiſne tu ſcribes? apud hos ſumma laudis tibi erit, Nicopompe? Taceo libertatis periculum quam uſurpas. Etiam qui verè moneri ſe ſentient, te oderint tanquam ſuæ infamiæ authorem.

1 *Velut quidam morbi ſunt qui per tibicines curantur.*] A Tarantula percuſſi ingenti ſtupore opprimuntur; ad ſonitum tamen tibiæ, vel fidium ſomno gravi excitati in inconditos ſaltus ſeſe efferunt.

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

Nicopompus fabulâ ætatis ſuæ pravos mores & iniquas in omni conditione leges retecturum ad poſterorum exemplum promittit, iſtiuſque commentitii argumenti conſilium aperit.

SUBSTITIT Nicopompus ad Antenorii hæc præcepta; &, juſtiſſimos metus faceres, inquit, diviniſſime vatum;

tum; ſi maledicentiam haberem in animo, aut tumore intempeſtivæ cenſuræ jam vulgarem plebejamque vanitatem inflarem. Cui non ſit in oculis adhuc recens Poëtæ impietas; cùm Principem contumelioſiſſimo ſcelere laceſſivit, cùm facinoris pretium crucem tulit; famaque quam flagitio quærebat, invenit ſupplicio? Cæteros omitto, quibus leviùs peccantibus, aut ineptam ſapientiam affectantibus, ſatis pœnæ eſt ex prudentum faſtidio. Longè ab illis conſilii mei ratio, mi Antenori. An neſcis quâ arte ægris pueris medicamina concilientur? Ubi medicum cum poculo vident, faſtidiunt valetudinem quæ tanti emenda eſt. Sed qui ætatem illam curant, vel mitibus ſuccis vim domant acerbi ſaporis, vel præmiis invitant ad ſalutem, deceptiſque pulchritudine poculi oculis, non videre, non ſcire patiuntur, quid hauriendum ſit. Ita ego, non ſubito & aſpero queſtu, veluti reos, citabo ad tribunal, illos qui rempublicam turbant. Par odio non eſſem. Sed inſcios circumducam per ſuaviſſimas ambages, ut etiam eos delectet ſub alienis nominibus accuſari. Erectus his verbis Antenorius, ſimulque Hieroleander, cupere ſe dixerunt, audire lepidiſſimi commenti rationem. Tum ille: [1] Grandem fabulam hiſtoriæ inſtar ornabo. In eâ miros exitus circumvolvam; arma, conjugia, cruorem, lætitiam, inſperatis miſcebo ſucceſſibus. Oblectabit legentes inſita mortalibus vanitas; eoque ſtudioſiores inveniam, quòd non quaſi docentem, ſeverumque, in manus accipient. Paſcam animos contemplatione diverſa, & veluti pictura locorum. Tum periculorum imagine excitabo miſericordiam, metus, horrorem. ſuſpenſos deinde ſublevabo, ſerenuſque diluam tempeſtates. Quos libebit fatis eripiam, fatis dabo. Novi noſtrorum ingenia: quia novari me credent, omnes habebo. Ama-

[1] *Grandem fabulam.*] Sic Joannes Barclaius ſub nomine Nicopompi commenti ſui clavim profert.

Amabunt tanquam theatri aut arenæ ſpectaculum. Ita inſinuato amore potionis, addam ſalubres herbas. Vitia effingam, virtuteſque; & præmia utriſque convenient. Dum legent, dum tanquam alienis iraſcentur, aut favebunt, occurrent ſibi ipſis, agnoſcentque objecto ſpeculo ſpeciem ac meritum ſuæ famæ. Fortè pudebit eas partes diutiùs agere in ſcena hujus vitæ, quas ſibi cognoſcent ex merito contigiſſe in fabulâ: & ne traductos ſe querantur, neminis imago ſimpliciter extabit. Diſſimulandis illis multa inveniam, quæ notatis convenire non poterunt. Mihi enim non ſub religione hiſtoriæ ſcribenti libertas hæc erit. Sic vitia, non homines lædentur; nec cuiquam licebit indignari, niſi qui vexata flagitia in ſe turpi confeſſione recipiat. Præterea & imaginaria paſſim nomina excitabo; tantùm ad ſuſtinendas vitiorum virtutumque perſonas; ut tam erret qui omnia, quam qui nihil in illâ ſcriptione exiget ad rerum geſtarum veritatem.

Excitavit Antenorium ſcribendi novum genus; alacerque utramque perfricuit manum, & da, inquit, hunc ſodes reipublicæ laborem, Nicopompe. Si te, ſi ſeculum reſpicis, prorſus hoc debes. Feret multam ætatem ille liber, & gloriæ plenum authorem deducet ad poſteros. Utilitas autem eximia, artes malorum excutere, & in eas armare probitatem. Excepit Nicopompus; & das beneficium, Antiſtes, quòd impetum meum probas. Faciam te authore. Dum res eſt recens, dum animus calet, per tormenta poëſi ſimillima concitatum laxabo ingenium; fabulam pangam. Neque te Gelanore, neque Poliarchum omiſerim. Sic effatus, ne periret is calor, quem dii ejus animo ad ſcribendum ſubjiciebant, cùm in diverſorium ſeceſſiſſet, vix paſſus cœnæ moram, tabellas petiit; jamque tunc cœpit variæ utilitatis fabulam exarare.

Non hæc erant injucunda Gelanoro. Quid enim niſi eximium de Poliarcho ſcriberet Nicopompus, olim ipſi amicus, & in Lycogenem gravis?

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT X.

ARGUMENTUM.

Poſtera die Gelanoro comite Hieroleander Epeirćten repetit. Gelanorus perductus ad Regem litteras à Lycogene ſcriptas Poliarcho tradit. Detectis conſilio Cleobuli dolis, Oloodemus & Eriſthenes veneno necantur. Quæ res Lycogenem ad arma impellit.

POSTERA die cùm egregiè Hieroleander litaſſet, Nicopompum diutiùs cum Antenorio hæſurum reliquit in templo; ipſe Gelanoro comite Epeirćten profectus eſt. Cumque hilaris nunciaſſet Argenidi Apollinem pulcherrimis extis læta omnia portendere; addidit libertum Poliarchi in veſtibulo templi obviam ſibi factum jamque in urbe eſſe; ignarus quantos animo virginis motus hoc nuncio cieret. Illa proſperis victimis deos adventum Gelanori comprobaſſe haud tardè conjiciens, trepido gaudio dubitare ſubitò cœpit, an ſine Poliarcho veniſſet Gelanorus; an potiùs ille lateret, viam furtim ad colloquium affectans. Saltem ſe cogitabat à Gelanoro audituram, ubi is eſſet, ut valeret, quid aut ſe facere juberet, aut ipſe moliretur. Nihil minus Gelanorus conveniendæ Virginis avidus erat: ſed cùm caſu incidiſſet in Eurymedem, nec diſſimulare potuiſſet quin ad Regem eſſet miſſus, confeſtim ad ipſum perductus, vultuque, ut oportuit, nec fracto, nec ſuperbo, hæc pauca loquutus eſt. Poliarchus ſalvere te maxime jubet, ô Rex; & has literas à Lycogene ſibi ſcriptas, ad te potiſſimùm mittit, ne eum, aut neſcire, aut credere putes, quæ de tuis in eum conſiliis referuntur. Simul his epiſtolam tradit; quâ diligenter perlectâ, Rex novitate infamiæ motus cum accerſito Cleobulo atque Eurymede literas communicat: neque illi aliud referebat, quàm rem altam plenamque periculi eſſe. Nihil unquam perplexius viſum; cùm nec ipſe Gelanorus precibus ac deinde propemodum minis tentatus, quicquam afferret (neque poterat) quo Lycogenis deprehen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

derentur inſidiæ. Inter occiſi ſpolia, ut res erat, ajebat hos repertos codicillos; neque aliud præterea, aut ſe, aut Poliarchum ſcire. Et Rex ad illum; Neque ipſe, Gelanore, quicquam in hac caligine video. Armillam ad Poliarchum meo juſſu miſit Argenis: & delegatus ad ferendam Timonides. Sed de veneno nec ſcio; nec de armillâ quî ſciverit Lycogenes poſſum conjicere. Tu rem apud te contine. ne quis ſciat quid ad me detuleris. Diis, & mihi curæ erit, ut arcana hoſtium ſcelera eruantur. Percunctanti deinde ubi Poliarchum & Timonidem reliquiſſet; negabat Gelanorus aut Timonidem aut armillam ad Poliarchum perveniſſe, quem ab Rhegio profectum, in pelagi varios ſinus illico tempeſtas compulerat.

Dimiſſus deinde à Regis colloquio ad Seleniſſam ivit; & ubi commodum fuit, Argenidi literas tradens cætera quoque aperuit quæ Poliarchus mandaverat; in Africâ eum eſſe, illicque hæſurum, donec ipſa ſtatuiſſet, quid potiſſimùm res utriuſque exigerent. Si opus armis ſit, jam non unum ſe, aut privatum, in Siciliam eſſe venturum. aut ſi quid commodius virgini ſuccurriſſet, ne parceret quæ videbantur præcipere; fœderumque memoriam, nullâ interim putaretur abſentia deleri. Pignus autem amoris non minimum fore, ſi nunciet num ipſe à Lycogene fideliter moneatur. Mota Argenis ad metus Poliarchi & immeriti contumeliam patris, ſanctè confirmat, nullum tale facinus profectum à parente. & penè peccare Poliarchum, quod poſſet ſuſpicari, ſi quid ejuſmodi moliri Rex vellet, ſe ad ea exploranda, aut ei nuncianda, tardiorem Lycogene fore. Ubi verò Gelanorus de Poliarchi periculo egit; ut perditâ rate, inter brevia inveniſſe ſalutem, ut propiùs quàm in naufragio inter opem prædonum periiſſet; illa tantam periculi ſpeciem non ferens, ſimulque reticere Gelanorum, ſimul loqui imperans, ad omnia verba pavebat, quaſi non abſens, aut exacta pericula audiret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Jamque anxio Rege, armillamque, & Lycogenem, & venenum in oculis mentis habente, biduum quæſtioni res fuerat; cùm Arſidas atque Timonides in aulam perveniunt, de Poliarchi naufragio quæ credebant nunciaturi. Ergo & rati extinctum cum Poliarcho Gelanorum, ad viventis conſpectum expaverant; & ſubitò à Rege accerſiti ſunt, ut ſi quid ad has Lycogenis literas haberent, audirentur. Aderat & Argenis, & cum Cleobulo Eurymedes. Illi dicere exorſi quid egiſſent, ante omnia pyxidem protulere, in eaque armillam, tot monſtrorum materiem: Ajebant divertiſſe ab Arſidâ Poliarchum priuſquam adveniret Timonides: & idoneis argumentis eluſi (inquiunt) jam ut naufragum defleveramus; cùm Gelanorus ſpem hîc nobis reſtituens, non vivere modo patronum, ſed valere aſſeruit. Poſt hæc, literas Lycogenis ad Poliarchum iis Rex tradit: ad quas illi cùm ſtuperent, Cleobulus altiori genio omnia agitans; Videamus autem, ait, an ſyncera armilla ſit, ſatiſque mendacium refutet innoxio texto; an medicamine infecta criminationi argumentum præbuerit. Dum hanc tractant, dum nexus evolvunt, protinus notant in byſſo ad quam gemmæ filis argenteis hærebant, diſparem colori reliquo tabem exiguis maculis paſſim vireſcere. Quâ conſpectâ; quid iſtud eſt, inquit Cleobulus, niſi venenum quod Lycogenes ſignificat? Sed videamus cujus crimine hoc munus funeſtum ſit. Nunquam mihi conjicienti fides ſit, ô Rex, niſi ad Lycogenem, ſocioſque id facinus pertinet. Nam & Eriſthenes, quem reum in carcere habes, tuo ærario Præfectus, apud ſe armillam hanc habuit. Et quidni exiſtimes, vel ſolertia ſuâ, vel proditione tuorum, hos ſciviſſe id munus Poliarcho deſtinari, armillaque corruptâ, huic vitam, aut denique tibi famam, invidiſſe nefarios? Sed deorum auſpicio benè cuncta ceſſerunt: impii ſuo ſcelere obruentur. Oloodemum, & Eriſthenem, quos perire maximè intereſt, occultis quidem criminibus ſontes habes; ſed aperto ſce-

to ſcelere, & apud populum valituro, hactenus argui poſſe non contigit. Hos id facinoris ſi admiſiſſe conſter, nemo erit cujus ſuffragio non damnentur. Rex Cleobulum quæ ſolerter conjecerat excutere jubet, & de reis habere quæſtionem. Ille omnia ab Eurymede utiliùs perfici poſſe cauſatus, quid agendum ſit breviter docet.

Nec detrectatus Eurymedes Regis imperium ad cuſtodiam pervenit, in qua ſervabatur Eriſthenes; & jam à limine (ut Cleobulus rectè monſtraverat) ſimulatis luctibus ardens; tandem, inquit, de Poliarcho triumphaſti, Eriſthenes. Periit armillæ contactu, quam lethalibus ſuccis imbueras. Num tu verò, quod Oloodemus facit, ultro in gloriam duces quòd operam facinori tanto præbueris? Ad hæc Eriſthenes tanquam ſubito fluctu percùlſus, quid loqueretur non habuit. Audiebat extinctum Poliarchum, à quo ejus ſpes nequaquam divertebat. Jam verò conſcientia pulſabatur ad crimen objectum. Et quid præterea diſſimularet, ſi Oloodemus (ita enim finxerat Eurymedes) jam confeſſus veneficium erat? Nec prolixiori conſilio, aut recomponendo animo tempus dabatur. Ergo, ut in perditis rebus, reſtare putavit ne languidè cunctaretur; aut fruſtra negato facinore, videretur cenſuiſſe pudendum quod nollet confiteri. Urgenti itaque Eurymedi, Bene eſt; retulit. De me quod placebit fata deliberent. Satis eſt gaudii quòd poſt Poliarchum Siciliæ hoſtem vixi. Tum ſolerter Eurymedes, tanquam de re notâ agens, ſeſe penetrabat in eorum conſilia. Ad extremum, Lycogenis perfidiam objecit; qui literis ad Poliarchum, in ſui flagitii infamiam ſubſtituebat innoxium Regem; & Eriſthene fallaciam levi riſu confitente, Eurymedes ad Regem ab eo digreditur; nec ſine horrore quid ille ſit faſſus oſtendit; reſtare, ut Oloodemus pari indicio ſe damnet.

Tam fœliciter perveſtigato facinore exultans Meleander laudatum Eurymedem ad Oloodemum mittit. Sed ille præſentiori ingenio, averſatus veneficii nomen, tanquam

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

quam de inaudito facinore, cùm interrogaretur, ipſe plura quærebat: cumque Eriſthenes jam flagitium confeſſus diceretur, ratus hanc eſſe fallaciam, nec ſe credere reſpondit turpiſſimum crimen in Eriſthenem cadere; nec ſi maximè caderet, ſe conſcium eſſe. Ad extremum, expugnavit pertinaciam Eurymedes prudenti conſilio: Oloodemum in arcano loco ſiſtit; unde Eriſthenes poſſet audiri, quocum ipſe anteactos ſermones repetere cœpit. Eriſthenes, tanquam in pignus conſtantiæ, nec ſuum abnuebat, nec ſociorum crimen; donec adeò Oloodemi patientiam vicit, ut repentè exclamaret; ô te vel ſimplicem, Eriſthenes; vel tuorum proditorem? Stragulis deinde rejectis, communem ſuorum perniciem appellavit, & ſolum exitu dignum, quem pluribus comparaviſſent. Serò intellexit Eriſthenes ſe ab Eurymede eſſe deluſum; neque Oloodemum communis flagitii indicium feciſſe. Verbis ergo quæ tempus dolorque ferebant errorem excuſare parabat Oloodemo. Sed ut ſatis explorata res, adhibitique idonei teſtes, in diverſum abſtracti conduntur in carcerem, & poſtridie ad publicum judicium trahuntur: ne ſi quæſtio populo teſte non habita eſſet, clientelis & factionibus deinde reorum tanquam parum legitima invidioſe traduceretur. Sed quamquam Epeirctanis civibus Rex fidebat; tamen ad reorum cuſtodiam, Prætoriani cum armis in foro locati ſunt. Et ex ejuſmodi loco dicenda cauſa erat, unde facile, ſi tumultus exarſiſſet, recipi in arcem poſſent, & carceri reddi. Populus in forum per præconem evocatus effuſe convenerat; & ille qui orare in publicis judiciis regias cauſas ſolebat, in hunc ſenſum loquutus eſt: Scire populum quantâ ipſius charitate Rex flagret, nec Regem viciſſim dubitare, quin ſit illi chariſſimus. Itaque Eriſthenem & Oloodemum, multorum in ſe ſcelerum reos, quanquam poterat ſuo jure damnare, tamen diſtuliſſe ad publicos judices; ut optimorum civium ſtudiis potiſſimùm vindicetur. Audiret populus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

lus pro ſe dicentes, & ipſis judicibus ſuâ voce præiret quid de illis ſtatuendum. Triginta tum judices de rebus capitalibus quærebant, ad quos Eriſthene & Oloodemo productis, accuſator multa eorum in Regem facinora, fidem ſæpè fruſtratam, habita cum inimicis conſilia ſtrictim explicuit. Acerbior oratio fuit, de veneno, & paratâ in Regem infamiâ. Cùmque verba, cùm teſtes, cùm literas protuliſſet, adeò Epeirctanum populum movit, ut nihil expectato judicio à pleriſque lapidatio urgeretur. Sed [1] deprecatus eſt actor impetum vulgi, [2] donec Judices in ſuffragia iviſſent. Plurimum intereſſe ut rei publicè dicerent. Plùs illos oratione ſuâ, & perculſæ conſcientiæ notis, quàm accuſantis voce laboraturos. [3] Duplicem quoque aquam, ſi peterent, eis ad defenſionem à Rege concedi. ſimul his, reos provocat ad dicendum. Sed illi (ut conjecerat) cauſæ inopiâ marcebant. Nec deflecti crimen poterat, nec populus conciliari. Timidè ergo pauca; & illa plùs in Regem, quàm pro ſe loquuti ſunt. Dimiſere tunc Judices in urnam ſuffragia; quâ publice effuſâ, [4] fabæ omnes atro colore noxios damnaverunt.

1 *Deprecatus eſt actor.*] Accuſator.

2 *Donec in ſuffragia iviſſent.*] Ex Senatu quidam ſuffragiis vocalibus condemnabant vel abſolvebant; quidam vocali non gaudebant ſuffragio, ſed progrediebantur in eorum partem, quorum ſententiam ſequebantur. Dicebanturque *pedarii* & *pedaria ſententia.* Tit. Liv. *Ubi ſententiam meam peregero, tum quibus eadem placebunt in dextram partem taciti tranſibitis.*

3 *Duplicem aquam ſi peterent.*] Duas horas. Nam olim in uſu fuêre horologia aquea; Apulejus lib. 3. Metam. *Et ad dicendi ſpatium vaſculo quodam in vicem coli graciliter fiſtulato, ac per hoc guttatim defluo infuſa aqua populum ſic adorant, effuſa tota aqua plura loqui non licebat.* Idem Apul. Apol. 2. ſub finem ait, *at tibi licebit aquam ſinere fluere, namque optimi viri litteras ter & quater quantovis temporis diſpendio lectitarem.* Ubi aſſerit, ſe impenſurum multum aquæ, id eſt, multum temporis, in lectione epiſtolarum Lolliani aviti familiaris ſui. Et Tyrius Maximus Philoſophus Platonicus diſſertatione 39. Utrum Socrates non debuerit crimina à Melito Avito & Lyco objecta diluere, Aquæ vero hydria breve orationis ſpatium duratura abſolviſſet Socratem, & denique Dio Chryſoſt. licere ſibi dicit, fuſius diſſerere, quoniam ejus ſermo ad aquæ menſuram non aſtringitur.

4 *Fabæ omnes atro colore noxios damnaverant.*] Dimiſſis in urnam fabis, vel lapillis nigris damnabatur reus, candidis vero abſolvebatur. Plutarch. in Alcibiade & Ariſtide. Et Ovid. lib. 15.

Mos erat antiquis niveis atriſque lapillis,
His damnare reos, illis abſolvere culpa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Rapti ſtatim in carcerem, ut [1] veneficii convictos idoneo ſupplicio [1] cicuta conficeret. Illic, triſti & [2] ultimâ libertate exercuere jus; quod ita pereuntibus leges indulſerant. Diras igitur dicere Regi; ultorem ciere Lycogenem; venerari Deos manes ut hoſtes [3] ad pejora ſervati hunc exitum ſibi invideant. Inter hæc [4] anacæum poculum aderat; quod prior Oloodemus de carnificis manu rapiens; Age, inquit, propinemus Meleandro. Nos quidem eximus miſerias, pejùs hunc noſtro fato oppreſſuri quàm viventes voluiſſe exiſtimat. His dictis non cunctanter totum hauſit. Denuo impletum cùm Eriſtheni porrigeretur; ſupercilium ille duxit, & circumſpiciens, ecquis, ait, amicos meos monebit Meleandro quid debeant? Epoto veneno, ambo à carnifice monentur, ut quo facilius virus conciperetur venis, minorique cruciatu occumberent, quantum carceris ſpatia ſinebant, ambulationem urgerent; donec tibiis gravibus ſentirent jam ab imo calorem excedere. Cùm paruiſſent, frigentibus mox pedibus procumbunt in lectum. Illic veneni nebulis imitantibus ſomnum, languebant ſine ſenſu; donec coxis jam exanimatis, tanquam ſtimulo icti, prodidere lethalem vim ipſa intrantem vitalia; nec multò pòſt extincti ſunt. Vulgati mox verſus celeritate Poëtarum; quorum alii vili audaciâ plùs juſto laceſſebant perculſos; alii tanquam adhuc pœnitentia in integro eſſet extinctos monebant, & de obitu jam exacto ſerò vaticinabantur. Minùs hæc carmina diſplicuerunt, quæ prolixiùs ambitionem quàm ipſos reos notabant.

Debita funeſtis cecidit tibi victima fatis,

Ambi-

1 *Veneficii convictos cicuta conficeret.*] Pœna Talionis.

2 *Ultimâ libertate exercuere jus, &c.*] Licebat damnatis diras evomere, ultores ciere Deos, &c. ut infra.

3 *Ad pejora ſervati hunc exitum invideant.*] Ut Æneas apud Virgilium l. 1.

— O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Trojæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere, me ne, &c.

4 *Anancæum poculum.*] Venenum dictum ἀναγκαῖον, quod eo hauſto mors neceſſaria ſequatur.

1 *Sexum*

Ambitio; Nunc pone minas, ſatiataque tanto
Sanguine, Sicaniis pacem concede colonis.
Heu quoties victrix noſtri de cladibus Orbis
Umbrarum impleſti ſedes; dum vertere regna
Dulce tibi, & ſævas terris indicere pugnas.
Prima tuos ducunt perjuria fœda maniplos,
Contemptuſque deûm, metaſque in limite nullo
Spes votis poſitura ſuis. Tunc impia captis
Mentibus illapſæ verſant incendia Diræ.
Non ſceptro jurata fides, non fama, piumque
Obſtat; Eunt ſontes, perque ipſa pericula cæci
In pejora ruunt. O dii! Tot fervere Martem
Cædibus, & ſævis fumare mapalia flammis,
Inſonteſque perire animas, [1] ſexumque minorem
(Turpe nefas belli) dominos perferre nocentes!
Quid tantis petitur furiis? exolvere juſto
Colla jugo, & ſteriles patriæ calcare ruinas,
Inſanaſque metu trepidè tranſmittere noctes.
Nam ſceleri quæ tuta quies? Mala præmia veſtræ
Ut primùm tetigere manus; ultricia ſontes
Fata vocant, ſubitiſque dies intercidit umbris.

At Rex gnarus quam gravis immineret Lycogenes; quo die de damnatis ſumebatur ſupplicium, Eurymedem dimiſit cum modico equitatu, qui eum ſubito furto tentaret. Quippe Lycogenes poſt Eriſthenem & Oloodemum captos nondum in bellum exarſerat; multo quidem armatorum præſidio ſalutem tutatus; ſed reconciliationis ſpem ſubinde ſubjiciens; ut vel ſimulatione fœderum captivos extorqueret à Rege, vel quaſi implacabilem tyrannum differret maledictis. Ac ut efficaciùs crederetur bonâ fide pacem optare, Dunalbium literis monuit ut ab acerbis conſiliis Regem averteret, abſolveret ille captivos, & quicquid ſuſpicionis aut odii erat, tranquillitati publicæ daret.

1 *Sexum minorem.*] Virgines captivas.

1 *Sepul-*

daret. Dunalbius, his ſe literis fidem habere dum ſimulat, videturque quæ erant mandata procurare apud Regem, ſuâ ipſius fraude Lycogenem luſit. Quippe ille fallendi ſpe, & amicos à vinculis recipiendi, tam lentè cunctabatur, ut interim Regi liceret ſuis rebus conſulere. Tunc verò cùm ad eum comprehendendum Rex miſit, non defuerunt ex conjuratis quidam, qui adventum Eurymedis occuparent, nunciantes de amicorum pernicie, ipſiuſque periculo. Cœnæ tunc tempus erat, & convivium militaribus viris frequens. Ad quos ita Lycogenes; ne fruſtra conveniſſe vos putetis, Commilitones, [1] Sepulchralem hanc cœnam Eriſtheni, & Oloodemo edidimus. Meleandri crudelitate perempti ſunt; & niſi quid opis in vobis eſt, eâdem tempeſtate corripior. En tyranni ſatellites, penè pro foribus, quibus mea pernicies mandata eſt. Quæ ſors inde vos maneat, quæ optimos cives, neminem reor ambigere. Cùm principum cædes eâ audaciâ faciat, an modeſtiùs de cæteris decreturum conjicias? Non vos ad ſalutem meam ſollicito, Commilitones, niſi cum veſtrâ creditis eſſe conjunctam. Simul his de ſtrato exiliit. Cæteri projectis quoque menſis ad arma diſcurrerunt. Omnis domus ſedulitate tot militum ſibi ſimul ducique timentium, fervebat. Miſſi quidam qui ex vicinis locis ampliorem manum accirent. Multi, duce Menocrito, lecti, qui obviam irent Eurymedi; poſitiſque in commodâ valle inſidiis, incautum & itinere feſſum exciperent. Sed confuſa dimicatio fuit; quia priuſquam deliteſceret ad inſidias miles, Eurymedes venit & ipſe imparatus ad certamen. Viriliter tamen utrimque pugnatum eſt: frendente præcipuè Eurymede, capi admonitum Lycoge-

1 *Sepulchralem hanc cœnam.*] Quia Oloodemus & Eriſthenes perierant. Polinctura dicebatur. Servius lib. 5. Apuleius 5. Florid. cœnam feralem à tumulo ad menſam inferrent. Juven. Sat. 5.

Ponitur exigua feralis cœna patella.

Tul. pro Muræna. Livius l. 9. Decad. 4. Sueton. in Julio. Item Tertull. de reſurr. Lucian. Plin. l. 10. & in Odyſſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

cogenem non poſſe. Cæterùm quamquam & in hoſtico & viribus impar; (nam Lycogenes ſtrepitu pugnantium ad ſe illato ſuos omnes promovit in aciem) confeſſa tamen fugâ non dilabi ſuſtinuit: & ſenſim recedentem non ſequutus eſt Lycogenis miles: ſeu fraudem ab hoſte, ſeu jam miſtum tenebris cœlum pertimuit.

Periere non multi, nocturno diſcrimine: ſed viciſſe videbatur Lycogenes, qui ſuorum impetu lætus, amicos undique accerſit: præparata concurrentibus arma diſtribuit: [1] unoque exemplo ſcribit civitatum conciliis: ut ſe publicæ authorem libertatis velint adjutum. Nec tardè deficiebant ab optimo Rege illi ipſi qui ſub ejus manſuetudine creverant: documentum mortalibus, quantumvis egregiam in Rege virtutem, niſi fortitudinis opinio accedat, poſſe contemni: nec fideliùs ullos Principes amari à Populis, quàm qui timeri meruer nt. Triſte mortalibus ſpectaculum exhibebat Sicilia. Pulſa religio; jura neglecta. Infidæ euntibus viæ; domus, vicique paſſim, rapinis, furore, incendio afflicti; ſola denique caſtra in ſqualentibus campis fulgentia Nec populus primo furore ſentiebat, graviora ſe pati ſub grege tyrannorum, quàm quæ tanquam à Meleandro illata vindicari voluerat; proditor ſui, & proditionis merces. Multos tamen ille fluctus non abſtulit. Quatuor præter Epeircten urbes reverentia majeſtatis continuit; Meſſanam, Panormum, [2] Catanam, & in umbilico inſulæ [3] Ennam.

Jamque Lycogenes jura regni & inſignia uſurpans, ſoli nomini parcebat. [4] Solium, cùm accumberet menſæ; veſtis purpurea in caſtris, & ubique ſica ad latus. Blandus immodicè, aut ſeverus, ut teneret terreretve contumaces. Nec ſegnior ad res ſuas Meleander ſubitis delectibus mul-

1 *Uno exemplo ſcribit.*] Gallicè, *Sous une meſme teneur.*

2 *Catanam.*] Siciliæ oppidum, ad radicem montis Ætnæ.

3 *Ennam.*] In media inſula, juxta hanc urbem rapta eſt Proſerpina.

4 *Solium, veſtis purpurea, ſica, &c.*] Inſignia regum Siciliæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

multùm militum effecit. Epeircte commeatu & munimentis inſtructiſſima, in arcem belli delecta eſt. Ex regiis triremibus quotquot in officio manſerant, in illum portum deductæ. Ipſe & propriâ indole, & tunc anxiis rebus, erat in deorum curam intentior. Et quoniam rebellionis nefas inſtar morbi pervagabatur Siciliam, tanquam plus fati atque amentiæ quàm ſceleris eſſet, [1] publicè clavum fixit. Ita ſperabat poſſe componi mentes quas furor rapuerat. Etiam ne in ſuos milites labes inſerperet, [2] placuit luſtrari exercitum. Ivit ergo ad caſtrorum principia (nam ſub Epeirctes radicibus milites [3] tendebant) & inde cum Tribunis ducibuſque, & deorum ſimulachris, proceſſit ad campum, in quo facturus Sacerdos inſtruebat altaria. Omnis in armis, & ſub ſignis exercitus, ſibi ad rem divinam coronas texuerat. Haſtæ quoque, & jacula, circumactis frondibus induebantur. Interim hoſtiæ omni cultu mactatæ, [4] taurus, hircus, & aries inter legitimas preces ter à miniſtris altè præcinctis circumactæ exercitui, ad aras ſiſtuntur. Tum rex & in orbem ipſe ſe egit, deos appellaturus; Adeſſent melioribus partibus, & ſi qui hactenus non faviſſent, ritè propitiati ad ſe tranſirent. Incolumis eſſet exercitus. Vires, animus, conſilium, hoſti exciderent. Quòd ſi ope, ſalute, victoriâ juviſſent, tum ſe Jovi Servatori, Martique, & Minervæ, & Cœlipoten-

1 *Publicè clavum fixit.*] Cum urgebat Romanos gravis calamitas, creabatur Dictator, qui æneum clavum numerum anni continentem, pangeret ſeu figeret in æde Jovis Opt. Max. in Capitolio, ſic C. Genutio, & L. Æmilio Mamerco conſulibus, Lucius Manlius clavi figendi cauſa dictator dictus eſt. A Vulſiniis id moris emanavit, qui eodem caſu in templo Nurſiæ Hetruſcæ Deæ clavum pangebant. Petron. in Satyric.

At paries circa paleâ ſatiatus agreſti
Fortuitoque luto clavus numerabat & annos.

2 *Placuit luſtrari exercitum.*] Morem luſtrandi exercitus ex integro deſcribit: qui mos quinto quoque anno repetebatur à Romanis, dicebaturque luſtrum conditum. *Luſtrare*, id eſt, circuire. Is autem erat luſtrandi ritus, victimas ter circumducebant, omneſque clamantes ſequebantur. Plin. & Suetonius in Julio Cæſare.

3 *Tendebant.*] Figebant tentoria.

4 *Taurus, hircus, & aries.*] Jovi, Marti & Minervæ, quos bellaturi vocabant ad ſuas partes. 4. Metam.

Alipedi vitulus, Taurus tibi ſumme deorum.

potentibus diis, quotquot bellum aut pacem curant, templum de adverſariorum manubiis extructurum. Annuos etiam ludos fore, in quorum præmiis hæc in Siciliam deorum beneficia cælarentur. Inter hæc vota hoſtiæ cadunt; [1] fibriſque ſpirantibus aruſpex admotus eſt. Is cùm integerrimum jecur, ſed craſſioribus membranis pertinaciter obductum inſpiceret; exta quidem eſſe bona aſſeruit; & iis magnam fœlicitatem portendi, ſed lentam & quæ labore conſtaret. Poſt hæc, milites geſtu inani, & haſtis ex arte aliquoties quaſſatis, tanquam ad hoſtem præſentem ſucclamantes, edidere ſimulachrum coëuntis certaminis, & innoxiè velitati in caſtra redierunt.

1 *Fibriſque ſpirantibus.*] Ex extiſpicio & ſpirantium adhuc fibrarum ſitu & integritate augurabantur, ut ſupra dictum eſt.

CAPUT XI.

ARGUMENTUM.

Archombrotus mathematicum jactabundum in Regiam intromittit. Sed ejus circa ventura ex ſyderum obſervatione ſcientiam inaniſſimam coram Rege, quibus ſolet ſalibus Nicopompus explodit.

SED Meleander quod ſuperfuit lucis, haud multùm diſpari curæ dedit. [1] Quidam enim ex Aſſyriâ hoſpes, ſpecie quærendæ in diverſis gentibus ſapientiæ errabat, reverâ ut ſuam jactaret. Is tunc in Siciliâ erat, & in Mathematicorum cœlo verſatus, vendebat ſuæ artis ludibria; ſi quis ex ſyderibus quæ naſcenti affuerant, volebat de fortunâ, quæ viventi, quæ morituro debebatur, vaniſſimâ credulitate cognoſcere. Nondum erat capitale in ipſos Principes quærere ex ejuſmodi ſyderum fide. Cùm is ergo

1 *QUidam ex Aſſyria.*] Chaldæorum ſcientia, quam confutat, tota eſt in ſyderum motu. De Mathematicis ex Italia pellendis factum Senatuſconſultum atrox & irritum inquit Tacitus Annalium l. 2. & 12. ſub Tiber. & Nerone. addendum eſt illud Apul. lib. 2. Floridor. in fine: *Chaldæi ſyderalem ſcientiam luminum vagantium ſtatus, ambitus, utrorumque varios effectus in genituris hominum oſtendere, &c.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

is ergo laudaret vix imparem diis ſcientiam; & de ſucceſſu apud multos mentiretur; quoties fœlicitatem aut mala non fruſtra promiſiſſet, quàm multi nec riſiſſent impune hæc fata, nec fruſtra timuiſſent; accidit ut ad Archombrotum fama illius pervaderet; ad quem accitus, cùm prolixè eandem cœleſtis influxus vim commendaret; juvenem amantemque ſic perpulit, ut de cupiditatum ſuarum exitu eam artem interrogari vellet. Chaldæus, quicquid ſydera portenderent, ſe cum fide renunciaturum promiſit. Sed cur privatæ duntaxat fortunæ mortales ſolicitant, (inquit) hanc venturi ſcientiam? Quidni & imperat Meleander, inſpecto cœlorum ordine deprehendi, ſuiſne an hoſtium fatis pugnetur? Movit ea oratio Archombrotum; per quem & Rex in ſpem pluſquam oraculi Chaldæum accivit. Is mercedis ſpe plenus; jamque meliùs ſibi quàm Regi, ex ea negociatione auguratus, venit ad Regiam; rogatuſque quâ diſciplinâ, quove numine, oculos poſſet in futurarum rerum caliginem mittere; ſic incepit: [1] Non ille nos ſpiritus ad vaticinium (ô Rex) agit, quem fatidici de hiatibus terræ eliciunt ad turbanda divinitatis ſtimulis ingenia. [2] Sed neque de more illorum, confuſis dubiiſque oraculis ſciſcitantes fruſtramur. Unam cœli vim, unos ſyderum curſus ſcrutari, noſtræ genti eſt ſtudium. Primi deprehendimus metas Solis; primi liquidas, nec veſtigiis notabiles, cœleſtium facum vias, nominibus menſuriſque diſtinximus; contemplatione liberâ in ſudo aëre, & nebulis non infeſto. Aſſyriis enim raró pruinæ, aut ſqualentes nubibus venti, cœlum eripiunt. Dum in ea contemplatione hæremus, experimento nobis compertum eſt, hæc humana ad aſtrorum motus regi; nec

1 *Non ille nos ſpiritus ad vaticinium agit, quem fatidici de hiatibus terræ.*] Alludit ad Apollinis tripodem & motus Pythiæ fanaticos per hiatus terræ, tripodi ſubjectos, vento ſpirante conceptos.

2 *Sed neque de illorum more confuſis dubiiſque oraculis fruſtramur.*] Sic oraculum Pyrrhum fruſtratur:

Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

[1] nec alias eſſe parcas, quæ naſcentibus fata diſponant. Quippe ex eorum inter ſe commercio ſi univerſa tellus accipit vices, & ad ubertatem, aut frugum internecionem adigitur; ſi annos, ſi ſæcula, vis illa definit; quid miremur ſingula mortalium corpuſcula, inde vitam, cupiditates, læta, & triſtia ſortiri? Liceat modò ſcire momentum quo te peperit mater. Effingam ego in tabulâ cœli imaginem, & quotquot ſyderibus [2] facimus domos; ea in illis conſtituam quas cùm naſcereris obtinuerunt. Jupiter, Solque, & Venus, optimi Planetarum; deterrimuſque cum Marte Saturnus; Mercuriuſque & Luna, varii ex ſorte locorum quos inſidunt. Cujus illorum regnum fuerit cùm in Orbem intraſti, quo gradu, quo aſpectu, illum cæteri temperarint, vel urſerint. Illic ego, ne dubita, quicquid de te decretum eſt, legam.

Fiducia orantis, & promiſſi magnitudo, tetigerat Meleandrum. majeſtas præterea artis, & tanquam ex abdito formulæ audientibus ignotæ, venerationem addiderant. Sed dum omnes laudibus fremunt, Nicopompus (nam tunc fortè inter pauciſſimos aderat) intentus in Chaldæum, riſu ſevero: Euge mi homo, inquit; [3] occupaſti deorum imperium. Scribe ſpei timoriſque improbas leges, & ſi qui hîc decipi amant, impone lubentibus. Impetus Meleandri, cæterorumque, ad hæc verba ſubſtiterat. Avidè ergo quærere omnes, quid diceret, ſentiretve Nicopompus, ipſumne Chaldæum, an artem illius inceſſeret maledictis. Præcipuè Meleander ſciſcitari, cur hoſpiti inclementer diceret. At ille, quidni hunc [4] veteratorem jurgio premam?

1 *Nec alias eſſe Parcas, quæ naſcentibus fata diſponunt.*] Putavere Græci fatum noſtrum ex Parcarum ſtamine pendere; Chaldæi vero ex ſyderum influxu in corpora. Adi Tacit. l. 6. Annal. ubi de ſcientia Chaldæorum.

2 *Facimus domos.*] Non quod immoti ſint planetæ, cum perpetuo exerrent, juxta Etymon, *ſed quod nonnunquam concurrunt, alii innoxii ſunt, noxii alii.*

3 *Occupaſti Deorum imperium.*] More Gigantum, qui propter ſuam in aſtronomiâ peritiam finguntur occupaſſe Jovis ſedem.

4 *Veteratorem jurgio premam.*] His ſcilicet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

premam? (ô Rex) qui in te ſibi plus juris facit, quàm ea ipſa quæ mendacio præfert ſydera habeant? Quicquid enim mentiri voluerit, labefactabitur aſſiduâ expectatione ſucceſſus animi tui quies, quam aſtrorum nulli motus potuiſſent convellere. [1] Sic in te hic tyrannus ſub inſontis cœli invidiâ regnabit, ac ceu Jovem ſe faciat, multum ſibi cenſebit te debere, ſi fœlicia fata exorabili ore præſagiet. Quid denique ab eo credis audire? Ego abſque Mathematico ullo cœlo quicquid facturus ſit dicam. Ubi ingentem chartam (non ſine ſuo riſu, ſi ſapit) multis lineis punctiſque vexaverit, tandem exitus mites & fortunâ tuâ dignos graviſſimâ voce promittet. Id enim ad gratiam & lucellum eſſe non dubitat. Sed inter hæc, ad imitationem non mercenarii oris, ſupercilium ducet, perplexè cunctabitur, nunc in te, nunc in aſtra reſpiciet, addet denique formidoloſum quiddam; ambiguum tamen, & quod in varios eventus facilè trahas. Hæc laboris tanti ſumma; hæc reſponſa ille vendet, quæ gratis nunc refero. Sed ceſſo hominem adoriri; quando hanc pugnam tum ſilentium tuum, Rex, tum ipſius in me obtutus efflagitat?

Ais ex aſtrorum poſiturâ, Mathematice, ex ordine, ex vi qua influunt ſubeuntibus lucem infantibus, vitæ atque interitûs rationem diſponi; ſed fateris eâ vertigine rapi cœlum, ut parvo momento ſyderum ſtatus mutetur. Si igitur celeritas quantam ægrè cogitatione conceperis cœleſtia corpora avehit; ex ſtatione porrò diverſa minæ eorum aut promiſſa inflectuntur; cui hominum ſua fata certò retuleris, cum incertum ſit quo ſyderum temperamento productus ſit? Niſi credis hanc eſſe obſtetricibus curam

ſcilicet argumentis, quod nulla obſtetrix obſervet horam nativitatis; quod aberrent horologia: quod non uno actu pueri ex materna alvo prodeant; quod plures eadem horâ naſcentes non eadem pericula, eandem fortunam ſortiantur.

1 *Sic in te hic Tyrannus.*] Chaldæus, qui Jovis Tyrannidem invaſerit, divina ſua futuri præſcientia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

curam, ut continuò ſolaria conſulant, notent diſtrictè diei articulum, & naſcenti ſuas ſtellas tanquam patrimonium ſervent. Quoties matrum pericula curam hanc circumſtantibus adimunt? quoties nemo eſt quem ſuperſtitio illa tangat? Finge tamen eſſe continuò qui id curent: at ſi diu naſcitur puer: ſi, ut ſæpè fit, manum exertam, aut capitis partem, reliquum corpus non ſequitur: quænam aſtrorum collocatio fatalis illi erit? An quæ aſtitit exeunti capiti; an quæ denique productum afflavit? Præterea cùm frequenter exerrent ſolaria: & pleræque machinarum quæ horas deſignant, ex ſiccitate aut humiditate aëris amittant tenorem; unde habebis verum illud fuiſſe, & ex menſurâ cœli tempus, quod in ortu infantium homines curioſi, aut amici, notaverint?

Finge tamen in eo non errari; deprehendas utique ſtellas, quo ſitu, quo vigore fuerint, cùm illi in quos inquiris naſcerentur. At unde tantum ſyderibus in corpora noſtra, imò in mentes imperium? ex iis ſcilicet expectabo fœlicitatem, ex iis vitæ genus, & mortis arbitrium? Num ergo qui prœlium ſubeunt, ſimulque extinguuntur, omnes ſub eodem cœli ordine erant nati? Num ſi navis peritura eſt, nullos vectores accipiet, niſi quos naſcentes aſtra naufragio damnaverint? Imo ſub ſydere omni producti, coëunt in aciem, navigium onerant, & diſpares ortus unâ morte conjungunt: rurſuſque non quotquot eodem nexu aſtrorum lucem aſpiciunt, uno fato aut vivunt aut pereunt. Regem hîc vides. An omnibus illius æqualibus putas Regnum contigiſſe: vel aliquas ſaltem opes, quæ indices eſſent beatæ & opulentæ collocationis aſtrorum? imò, an omnes ſupereſſe ad hunc diem? Ecce Cleobulum, ecce te. An qui cum illo nati ſunt, cum illo quoque ſapiunt, Regibuſque ſunt accepti; aut qui tecum omnes (ne quid gravius dicam) Mathematici ſunt? Quid autem cùm in prædonem quis incidit? Fatale erat, inquis, ut hunc prædo obtruncaret. Num ergo eadem aſtra, quæ viato-

viatorem, dum naſceretur, ferro prædonis mancipabant, ipſi quoque prædoni, diu fortaſſe, antea nato, mentem vimque dederunt, ut aliquando hunc vellet, & poſſet occidere? Certè enim non minùs dicitis ex aſtris fieri, ut hic interficiat, quàm ut iſte mactetur. Cùm quis verò ædificii ruinâ obruitur; an quia erat in aſtris, ut eum ſua domus ſepeliret, afflictus eſt murus? Imò mehercules quia afflictus eſt murus, hunc ſubjectum moles oppreſſit. Eadem de dignitatibus ratio, ad quas per ſuffragia aſcenditur. An enim ſydera quæ alicui naſcenti adfuerunt, & (ut vultis) promiſerunt dignitatem; aliis mortalibus potuerunt imperaſſe, qui ſub iis nati non ſunt; & ex quorum tamen ſuffragiis deſtinatæ dignitatis conſtat effectus?

Hanc ego vanitatem ineptiâ & ſtoliditate præcipuam dicerem, niſi ſupra hæc nomina peccaret. Peſſimæ ſuperſtitionis ingenium eſt. Quò libertas enim mortalium, ſi à præſcripto ſyderum non poſſunt recedere? Curem ego valetudinem, me honores ſolicitent; vitia abjicere cogitem; animum ad virtutes appellere; ſi naſcenti dictum eſt quid me eſſe oporteat? Jacturam humanæ libertatis deploro? Etiam deorum munus perit. Ampliùs thura non perdo. [1] Deos nec timeo, nec ambio; ſi non poſſunt, aut nolunt, quod de me eſt ſtatutum inflectere. At pro naſcituris liberis ſcilicet orabimus, ut propitia aſtra habeant. Dicam quod ego in Merganiâ vidi. Quendam hæc ſuperſtitio afflaverat; ut nec uxoris cubiculum intraret, niſi exploratis antea aſtris. [2] Si aut cauda draconis implicabat ſydera, aut ea Scorpius incinctu brachiorum corrumpebat; vel omnino quid monſtri minabatur in cœlis, ſolus oppido dormiebat. Quid quæris? nati ſunt ei liberi aliquot, & omnes inſani.

Dum

1 *Deos ambio.*] Deorum gratiam.

2 *Si aut cauda Draconis aut Scorpius.*] Draco eſt juxta urſam. Scorpius unus eſt ex duodecim ſignis Zodiaci, menſis Octobris 22. exoriens; horum concurſus ominoſus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Dum Meleander, cæterique infœlicem Mergani curam rident; Chaldæus, quanquam inſperatiſſimâ accuſatione turbatus, collegit animum, ſimiliſque eam rixam contemnenti; Nihil detrahi Diis dixit, quorum juſſu hæc ipſa vis quam prædicabat ineſſet ſyderibus; quique adeò non ſe abdicarunt poteſtate, ut res ſuperſint innumeræ, quibus ſe vel propitios vel vindices prodant. Non denique adeò Mathematicos delirare, ut omnibus qui cum Rege nati ſunt deberi regnum putent. Ad venturi præſagia multarum quoque rerum præter aſtra habendam rationem; in quibus præcipua ſunt, ſæculi genius, ſtirpiſque conditio. Cæterùm ſi quis neget aliquid cœlum in hominibus poſſe, dignum eſſe [1] cum Ceritis piari; cùm omnibus conſtet aërem ex cœli conditione vel turbatum vel placidum, ſe ipſum inſinuare in mortalium corpora, ex quorum deinde afflatu incluſi animi inſpiratos affectus accipiunt. Ita modeſtiora loquentem interfatus Nicopompus; Nec omnia, inquit, Mathematice, negamus ſyderibus. Incitari hominem ad ſegniciem, laboremve; callidam indolem, aut ingenuæ ſimplicitatis nanciſci; eſſe hilarem, aut ad iracundam ſolitudinem declinare; in vitia denique, aut virtutes, aliquo pondere & impetu ferri; hæc non nego ex cœli in iſta terrena imperio eſſe. Itaque non multùm repugnem; ſi conjicias eos qui ex mitibus aſtris hauſerunt lenitatem, victuros fortunâ ab iis diſpari quos gravia & turbulenta ſydera in fervidiora ſtudia agunt; vel quibus placidum cœlum hilaritatem infuderit, gratiori conſuetudine placituros, quam homines [2] receptum Saturnum acri & moleſtâ ſolitudine contemplantes. Ejuſmodi non certæ quidem artis, ſed egregiæ pruden-

1 *Cum Ceritis piari.*] Piari cum civibus urbis Cere, qui everſa à Romanis urbe ſua, vagi erraverunt. De Ceritis ita Horatius lib 2.
Hellade percuſſa Marius cum præcipitat ſe Ceritus fuit. ——

2 *Receptum Saturnum, &c.*] Hic planeta influit atrum & terreſtrem animum, unde Saturnia indoles.

1 *Sapien-*

prudentiæ præcepta non carpo. Alia ſunt quæ me tibi committunt; & hæc præcipue quatuor. Primùm quòd ſydera, contrà quàm ſentis, impellere credo, non cogere, ad rectas cupiditates aut impias. Tum ex ſyderum, vel cupiditatum contemplatione prænunciari certò non poſſe, quid hominem in vitâ maneat, vel quem finem dii ſtatuerint. Tertiò, non ſatis intelligi, quæ aſtra hos infantibus affectus ingenerent. Res denique liberas, res fortuitas; huic neceſſitati ſyderum vel ineptè vel impiè dari.

De iis ubertim dicerem: ſed video te fatigatum (Rex) ad Cleobulum reſpicere; à quo fateor, utiliora ſuper bello, quàm à me, vel Mathematico, accipies. Imò, inquit, Rex; ſed ſtrictim de his ediſſere. Tum ille; non nos cogi ſyderibus, vel hinc conſtat, quòd haud pauci impetum ab iis concitatum ratione domitamus: & nullâ re magis noſtrum genus à belluis diſcrepat, quam hoc libertatis privilegio; quæ ſolicitari ſubjectis & flagrantibus motibus, ſed ad vitia aut virtutem adigi invita non poteſt. Hinc in Philoſophorum ſcholis nihil vulgarius, quàm [1] ſapientis animum, expertem ſervitutis, [2] ipſis quoque imperare ſyderibus. Hinc & quotidiana eorum præconia, qui ſciunt moderari iracundiæ, amori, cæteriſque torrentibus; quibus hæc aſtra in animos noſtros inundant. Quorum omnino nihil eſſet, niſi accepta aſtrorum imperia mens noſtra faſtidire aut recuſare poſſet. Præterea ut Sol omnia quæ luce eâdem & iiſdem radiis corripit, non iiſdem effectibus damnat (nam fovebit alia ſemina, alia enecabit; urentur exiliores herbæ, & defendet alias craſſior ſuccus:) ita cùm tot infantium qui naſcuntur velut ager diverſiſſimis modis præparatus ſit, ex variâ parentum indole, valetudine, habitu; una illa vis quæ è cœlo in plures

res

1 *Sapientis animum, expertem ſervitutis.*] Ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ ἐλεύθεροι, πάντες δὲ μωροὶ δοῦλοι, id eſt, *Omnes ſapientes ſunt liberi, omnes vero ſtulti ſunt ſervi.* Marci Tullii paradoxon quintum.

2 *Ipſis quoque imperare ſyderibus.*] Unde tritum Hemiſtichion: *Sapiens dominabitur aſtris.*

1 *Luna*

res ſimul manabit, non poterit idem in omnes: ſi conſentientem ſibi infantis indolem inveniet, in eâ regnabit; ſi repugnantem, vix aliud quàm corriget; adeò ut de infantis moribus vitaque dicturus, non inſpicere modò cœlum debeas, ſed parentes, ſed fortunam, quæ gravidæ matri fuit, ſed diverſa alia, & plerumque tibi ignota. Et ex his quidem ſecundæ quam poſuimus quæſtionis ratio ipſa ſe aperit; ex aſtris ſcilicet non ſtatui certò poſſe, quid acturi paſſurive mortales ſint. Nam cùm moderari poſſimus ingeneratis affectibus, quidni & ea declinare quæ illi affectus peperiſſent ſi fuiſſemus obnoxii? cumque ex variis cauſis nunc leviùs, nunc graviùs naſcentis hominis animo incidat illa prementis cœli conditio; cur uno effectu in omnes valiturum exiſtimes, quod non in omnes eâdem poteſtate invaluit?

Addebam, nec deprehendi ſatis poſſe quænam ſit connexio vel averſio ſyderum, quæ infantibus ſemina venturarum cupiditatum ingenerat. Vos eam ſpectatis, quæ ſuperſtat naſcenti. Quidni & illam quæ fuit cùm animaretur fœtus in utero? quidni cæteras ſub quibus tenerum corpus, & adhuc anima ſui ignara, in alvo maternâ inſtruebatur ad vivendi patientiam? Equidem ex eorum ſyderum conditione, non minùs quàm ex ipſis natalibus, pendere infantem exiſtimem.

Quod ultimum aſſerui, res liberas aut fortuitas huic ſyderum poteſtati ſine ſacrilegio non addici, urgerem vehementiùs, niſi timerem prolixitatis meæ odio tibi Regem conciliare. Dicam tamen & vos id velle, & ſine ſcelere aut amentiâ velle non poſſe. Quid liberius quàm uxorem ducere; hoc vel illud vitæ genus inſiſtere? Aut quid magis fortuitum, quàm ut homo pereat ferro, aquis ſolvatur, inimicitias ſuſcipiat, certo vitæ anno ægrotet; principibus charus, dignitate vel contumeliâ inſignis ſit? de his tamen reſpondere, Mathematici, ſoletis. hîc audacia, hîc præda eſt veſtra. Nuper furtum à ſervo erat factum;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ctum; fugerat ille, & à domino quærebatur. Nihil magis fortuitum, quàm ut caperetur, aut abiret incolumis. Contigit ergo ut ſoſpes evaderet, & continuo de veſtris unus myſtis, ratus de præteritis augur, retulit nobis, inultum latronem aufugiſſe; quia interceſſerat [1] Luna Mercurio, ſcilicet furum patrono, eumque contexerat. Ægrè mihi perſuaſit ſe feriò hanc fabulam nobis afferre. Non in deûm ergo curâ, non in domini diligentiâ, aut furis ipſius ſolertiâ fuit, ut ille caperetur, aut tutò lateret: ſed hoc totum ex aſtrorum imperio factum. à quibus ſi hæc humana ſic aguntur, fruſtra negotiis quiſque noſtris operam curamve impendimus. Fient enim vel ceſſantibus nobis quæ ipſa præſcripſere; & quæcunque vetuerint, nullâ noſtrâ induſtriâ procedent. Ut cætera verò prætercam, quibus iſta refellatur quam diis naturæque infertis injuria; quæro, Chaldææ, utrum illa vis quæ fœlicem naſcenti puta infanti vitam portendit, aut violentæ mortis caſum, in trigeſimum fortè, aut ampliùs, vitæ annum conſtituit; utrum inquam illa vis quæ hos caſus, illamque motura fortunam eſt, duret in cœlo; & deſtinatum tempus expectet, quo terris illabens, cogat in neceſſarios effectus neceſſaria inſtrumenta; an verò inſeratur ipſi infanti; ut veluti fota, & paulatim coaleſcens, juſſo tempore erumpat, impleatque quod aſtra mandaverint. Si dicis in cœlo perſtare; manifeſtò es impudens. Nam cùm fortuna infantis, conſtet (ut vultis) ex modo, quo aſtra, dum is naſceretur, inter ſe erant nexa; poſtquam eum modum in cœlo deleverit eorundem ſiderum curſus, aliumque effecerit, fortè priori contrarium, quâ in arcâ, vel penu cœleſti, recondetur prior illa vis, quæ poſt multos demum annos exerenda eſt, & in ſcenam mittenda?

Sin

1 *Luna Mercurio, furum patrono.*] Mercurius dictus eſt furum patronus, ex quo boves Admeti, quorum cuſtos erat Apollo, ſuffuratus eſt. Ovid. Metam. l. 2. Unde & hic planeta talem animum dicitur influere. Horat. l. 1. Ode x.

Callidum quicquid placuit jocoſo
Condere furto.

1 *A Si-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Sin putatis adhærere ipſi infanti hoc fatum, quod in virum deinde valeat; adhuc pejùs nugamini. Scilicet in naufragio cauſa eſt, cur venti ſe tollant, cur ſui oblitus gubernator infigat vadis proram; aut colonus cauſa eſt belli quod eum pauperat; vel mitioris cœli quo fruges abundant? & quos excidentium terrarum labes abſorbet, ſolidos illos naturæ ſinus frangunt fati ſui violentiâ, ut deſtinato à ſyderibus obitu defungantur? Plura in pernicioſiſſimam amentiam non dico quæ deos, hominesque unâ captivitate damnat, quæ ratione deſtituta vaniſque ſucceſſibus ſæpè eluſa, tamen inanes, ac interdum ſceleratas ſpes ſubjicit conſultorum animis aut inutili metu ſuſpendit incautos.

Jactant tamen quædam ſuorum oracula, quibus eventus reſponderit. Ex iis conciliare fidem, tanquam non ſpernendæ arti volunt. Primùm quidem, ſi quæ talia extiterunt, nego neceſſitate fatorum contigiſſe, aſtriſve cogentibus. Faciliùs crediderim aliquod eſſe numen quod in vindictam impiæ credulitatis nonnunquam repræſentet mortalibus ea ipſa quæ ſibi non à diis ſed ſyderibus metuerunt. Deinde ut in ſomnia, quamquam ſine arte vel duce oberrantia, tamen interdum fortuitas rerum venturarum ſpecies referunt: & cœcus ſi vim lapidum ſpargit, aliquando imprudens tangit metam; ſic dum multùm & paſſim Chaldæe mentimini, nihil mirum ſi nonnunquam fortuna veſtram audaciam commendat; & miramini vos vera dixiſſe. Etiam pauca reſponſa quæ vulgò celebrantur, vanitatem artis proſcribunt. Nam quod luculentius ſignum non ſolere vobiſcum veritatem, quàm inſtar prodigii jactari, ſi in illam interdum veſter ludus incurrerit? Sed nec tantum tribuo famæ ut quod de vaticiniis veſtris memorat utique credam. Prodigia cùm narrantur excipi ſolent favore mirantium; & quamquam non ad verum exacta ſint, poſtquam ſemel Scriptorem invenerunt, pluribus placent, veneratione creſcunt, vetu-
ſtate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſtate commendantur In hunc modum fabulas veſtras invaluiſſe exiſtimem; niſi dicas impiæ arti acceſſiſſe nefandorum geniorum commercia. Hi enim tranſacta inter homines, ſecretaque accuratè explorant, & ſagaciter de futuro conjiciunt. Veſtros ergo Chaldæos, ſi in pudendam eorum familiaritatem acciti fuerunt; nihil mirum ſuggerentibus ipſis atque monſtrantibus quæ ſupra mortalium ingenium erant, interdum claruiſſe. Nimis moror. Si quæ Siciliæ ventura ſunt noſti; quidni, Mathematice, & tua ipſius fata perſpicias? Cur neſciſti me tibi hodie gravem fore? Cur non in experimentum artis monuiſti adeſſe qui te turbaret? Denique ſi potes explorare, an Rex de hoſtibus triumphaturus ſit; illud primùm explora, an ſit tibi crediturus. Tibi autem tantus Rex crediturus ſummis in rebus, eaque ex arte, quæ vel ſi de levibus ac quotidianis prædicere audet, inani eventu in omnium riſus ſolet incurrere? Nam ſerenos aut nubilos dies, vim imbrium, turbines, ventos, diſpenſari generi humano ex aſtrorum inter ſe commercio vos quoque proclamatis, & nos partim agnoſcimus. Adeò tamen frequenter erratis, cùm ex inſpectione ſyderum aut ſolem promittitis, aut pluvias, ut in proverbium abierit veſtra illa ludendi fingendique licentia. Tu ipſe cœlum explora: ſequere lunæ curſus; bella vel fœdera cœleſtium ignium confer in tabulas. Inde, ſi potes, deſtina ſudos dies, fœdos oſtende. Si non erras, ſi te eventus non arguet, ego me tuæ arti quam laceſſo dedi ad pœnam non recuſo. Neque tamen in aërem, in nubes, in ſerenum, minùs ſydera poſſe dices, quàm in corpora fortunaſque mortalium. Cùm tu igitur illa ignores, cur te iſta exiſtimemus prænoſcere? Scies nempe ex aſtris quò ceſſura ſint bella, & quæ ſors Siculas mentes actura ſit; neſcies autem quando hortulo tuo imbrem, quando pecori ſolem eadem aſtra annuerint? Imò fatendum ex hac ignoratione tempeſtatum, vel quid velint ac jubeant ſydera vos neſcire?

Vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Vel eſſe præterea vim aliam, quam neſcitis, quæ ut lubet hæc ſyderum decreta atque imperia antiquet.

Quod ſi de publicis regiiſque negotiis, adeò facilis tibi notitia; privatam rem tuam cur eâdem ſcientiâ non protinus auges? cur prævifis rerum eventibus moleſta omnia non declinas, fœlicitatem non ſequeris? cùm in Phrygiâ eſſem, erat anus quæſtuoſa divinationibus. Accidit ut in opulenti civis domo intercideret furtò paropſis pretioſa. Is cui ſupellex credebatur, amico comite ad hanc vatem cum nummis pergebat, jam furem ſe tenere, jam recipere paropſidem, ſpe oppidò vanâ præcipiens. Mane erat; & cùm iſti adventarent primùm anus fores ſolvebat, quæ tunc fortè injecto ſterquilinio altiſſimè ſordebant. Neſcio quis vicinus per illam furtim injuriam illuſerat muliercuIæ. Subſtitit ergo irata; &, ſi ſcirem quis ganeo, inquit, ad hanc inſolentiam tenebris uſus ſit, regererem, per Apollinem, regererem in os impurum quicquid meis liminibus ſordium dedit. His auditis, qui conſultum veniebat, inſpexit in ſocium; &, quid pecuniam, inquit, profundimus? Scilicet anus ſciet quis nos prædo vexaverit, quæ rerum ſuarum ignara, & ſtercore penè in os ingeſto, adhuc neſcit cui iraſci oporteat? Nec ſegnius quam venerat, diſceſſit [1] à Sibylla. Rem epigrammate vulgavit neſcio quis Poëta, quod adhuc hæret memoriæ, & quia breve eſt, ſi placet recitabo:

[2] O ſors, ſydera, [3] Pythii receſſus,
Et [4] fati bene præſciæ volucres,
Vos ſævis anus en verenda rugis,
Vos illo vocat efferata cultu,

Quo

1 *A Sibylla.*] Vate, quia hæc Anus uti Sibylla vaticinari credebatur: dicta eſt Sibylla, quaſi *σιὼ, cum* & *βϩλὴ, conſilium.* Communia enim cum Deo conſilia habere credebantur vates.

2 *O Sors.*] Oraculum Apollinis.

3 *Pythii receſſus.*] Cortina Phœbi in adyto templi Delphici: *Pythii* à Serpente Pythone cæſo. De quo Ovid. lib. I. Metam.

4 *Fati præſciæ volucres.*] Corvus, noctua, cornix, &c. Virgil. Eclog. I.

Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.

I *Quo*

[1] Quo lunam quatit Æmonis rubentem.
Quid rex cogitet; aut dei minentur,
Quid ſub pectore deliteſcat omni,
Novit ſcilicet, [2] indicatque nummo.
Unum dicite quod miſella neſcit;
Ecquis ſtercore limen omne pavit?
Quæ nunc auguria, ô potens Apollo,
Quæ lux, quæ via, ducet ad nocentem?
Fruſtra ſollicitas, Sibylla, divos,
Sortes, ſydera, Pythios receſſus,
Et fati benè præſcias volucres.
Nam [3] Phœbus pater, ô [4] verenda Phœbas,
Hæc oracula naribus reliquit.

CAPUT XII.

ARGUMENTUM.

Dum Meleander indonatum Gelanorum & verbis ſuis noviſſimis exaſperatum dimittit, domitâ Ennâ Lycogenes triumphantes copias totis campis effundit. Rex in tanto inquietæ mentis æſtu torpentes oculos mittens in pelagus cladis ſuæ primùm, deinde mitioris fortunæ auſpicium accipit. Nam præco Radirobanis Sardiniæ Regis, collatis teſſeris, de inſtantibus auxiliis Meleandrum monet.

PLURA dicturum Nicopompum Rex Cleobulo innixus deſtituit. Reliqui inter jocos ſequuti ſunt. Sed Cleo-

1 *Quo lunam quatit Æmonis.*] Æmon Theſſaliæ mons eſt, ſic altus ut lunam tangere videatur, ubi Æmonides, id eſt, Theſſaliæ mulieres, æris crepitantis ſonitu, & magicis artibus lunam immutari credebant & ad lucem revocari, ſi forte eclypſin paſſa erat; ita Ovid. 4. Metam.

Cum fruſtra reſonant æra auxiliaria lunæ.

Et Juven.

Una laboranti poterit ſuccurrere lunæ.

Hujus vanæ religionis exemplum habet Cornel. Tacit. Annal. l. 1. *Igitur æris ſono, tubarum cornuumque concentu, &c.* Et Liv. lib. 24. *Diſpoſita in muris Campanorum imbellis multitudo, cum æris crepitu, qualis in defectu lunæ, ſilenti nocte cieri ſolet.* Plura doctiſſimus Turnebus, lib. 22. Ch. 23. Horatius Ode 18. Epod. ita Canidiam inducit:

—— polo
Deripere lunam vocibus poſſum meis.

Et Ode v. Epod.

Quæ ſydera excantata voce Theſſala
Lunamque cœlo deripit.

Item Petronius, ubi de Saga in Satyrico.

2 *Indicatque nummo.*] Lucello, ut ſolent noſtræ Bohemicæ.

3 *Phœbus pater, &c. naribus reliquit.*] Lepidum acumen epigrammatis.

4 *Verenda Phœbas.*] Pythia vates.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Cleobulus Regem monebat, quamquam vanum hoſpitem, tamen periculoſum, non per injuriam dimitti debere. Facile eſſe ut læſus pernicioſa aſtra fingat; non ægrè ſuperſtitionibus militem laboraturum. Ergo jam mœſtum vocant, aguntque promiſſæ operæ gratias. Sed ne eâ uterentur, obſtare tunc tempora. Neque enim videri ex Regis majeſtate, ut tanquam victoriæ incertus anxiè ad ſui natalis fata reſpiciat. Tamen oblatæ benevolentiæ præmium fore. Nec morati, medium præſtigiatori talentum, redimendæ quam timebant injuriæ, mittunt. Inde ad graviora converſi ſunt: novis ſubinde nunciis de Lycogenis apparatu haud læta ferentibus. Nam in exercitu Regis non ampliùs decem millia juſtæ armaturæ pedites erant. Duo millia numerus equitum impleverat. Funditores & ſagittarii ter mille & quingenti dicebantur. Triginta [1] falcati currus erant. Decem naves cataphractæ: aliorum navigiorum ad bellicos uſus numerus duplex. Hyperephanii nullo publico conſilio defecerunt; ſed ut cujuſque ferebant ſtudia, hi cum Rege, alii apud hoſtem militavere. Sed in Lycogenem rerum hominumque majorem vim tempeſtas contulerat. Recenſitos haud procul Syracuſis ſub Præfectis diſtribuit. Triginta peditum millia, equitumque ſex, nomina dederant. Et [2] ne omen deeſſet, qui primus deſcriptus eſt, Nicon appellabatur; quod ſuperſtitio vulgi quaſi rem fortuitam, in auſpicium accepit. Certus erat Lycogenes, non ſe diutiùs imperaturum quàm illi inſanirent. Dum res ergo fervebat, totius exercitûs mole in Regem contendit. Rex contrà promovit ad ignobilem rivum qui humo per torrentes direpta ſub altioribus ripis fluebat. Inſidum circà ſolum

1 *Falcati currus.*] Hoc tormenti bellici genus maxime in uſu erat in orientali plaga ad ſternendas acies, ut ex Quint. Curt. paſſim & aliis liquet.

2 *Ne omen deeſſet, primus, Nicon appellabatur.*] Auſpicabatur enim à *νίκη*, id eſt, *Victoria.* Hoc Barclaius imitatus eſt ex Suetonio, qui ex duce nomine Nicon Julium Cæſarem bene ominatum eſſe author eſt.

1 *Eleva-*

ſolum faciebat perceptus venis humor, & aqua quæ extra alveum non pridem ſtagnaverat. Eo obice ſuſtinere Lycogenem vel pauciores potuiſſent; & ſtrenuè ille aderat; conatumque circuire iniquitatem loci, quacunque tranſitum parabat, objecti à Rege milites prohibebant. At ille ne interim non tempore uteretur, Anaximandrum ex ſorore nepotem, & fratrem Oloodemi Menocritum, qui Ennam, qui Catanam obſiderent, cum aliquot cohortibus miſit. Ex ſuis autem caſtris, & regiis, multi aſſiduâ velitatione collati variam in dies fortunam ad ſuos referebant. Nihil tamen ſummæ rerum decedebat inter illa privatorum certamina.

Quis putet in tam horridis motibus, & ſub ipſo diſcriminis ictu, aliarum rerum affectus durare potuiſſe? Atqui vehementiùs Archombrotum, atque Argenidem curæ ſecretæ, quam quæ palàm videbantur, premebant. Illa in Poliarchi virtutibus tota, conficiebat macie corpus, animi viribus inter ſolitarios fletus conſumptis; prædicabatque confeſtim revocandum veterem Lycogenis hoſtem, & aſſuetum de eo triumphare. At diverſa agitabant Archombrotum. Inquietatus miſerrimâ ſpei incertæ dulcedine, nunc bellum devovebat, quòd inter caſtrenſia non promoveret de amore profitendo conſilia; nunc gaudebat prodendæ fortitudinis copiam factam; & utraque de cauſa in hoſtem concitabatur. Sæpè tamen ſeipſe incuſabat, quòd ſolus adeſſet tanto Meleandri Argenidiſque diſcrimini. Debuiſſe ſcilicet comparari exercitum, & magnitudine beneficii, ſimul amorem, ſimul natalium decus oſtendi. Et hercule nihil horum neglexiſſet. Sed res temporis multi erat, hunc Siciliæ ſtatum, nunciare in patriam, cogi inde milites, traduci exercitum: Præceps verò imminebat à Lycogene periculum, neque tam lenta exſpectaturum auxilia. Neque levior de Poliarcho cura erat, quem ubique ſauciæ menti per inſanam æmulatio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

nem oblatum, diſſimulato odio ita [1] elevabat apud Regem, ut videretur ſibi ipſi nil agere. Ergo in contumaciam trahebat, quòd Poliarchus ille cum mitteret Lycogenis epiſtolam, nihil literarum ad regem dediſſet. Sui, Regiſque fuiſſe oblitum, in illâ ſive negligentiâ ſive ſuperbiâ; nec facturum ex majeſtate Regem, ſi ſcriberet prior. Sic malignis, & quotidianis verborum inſidiis paulatim aſſueſcebant Regis aures; eò facilius quòd nihil eſſe Archombroto diſſidii cum Poliarcho ſuſpicabatur. Gelanorum quoque non latuit aliud Archombroto animi eſſe quàm quod Poliarchus diſcedens reliquerat. Sed quòd videret in aulâ gratioſum, facilè id ſupercilium in fortunam retulerat, quæ priores neceſſitudines tanquam præſenti faſtigio indignas, aut graves, ſæpè timet agnoſcere. Interim patroni familiam, (hanc enim à curatoribus Rege jubente receperat) ſic admonitu Argenidis inſtruxit, ut omnes propediem eum conjicerent eſſe venturum.

Cæterùm properabat redire in Africam, diuqueocioſa dilatione fruſtratus eſt. Tandem ex Archombroti ſermonibus inſtitutus Rex, indonatum, ac nec ſaltem blandiùs habitum, jubet renunciare Poliarcho; Regem ſe, non veneficum eſſe; Oloodemi, & Eriſthenis exitium peregiſſe ſuam cauſam. Nec ſe faciliùs invenire cur ad ſe non ſcripſerit Poliarchus, quàm cur ſcripſerit ad Poliarchum Lycogenes. Gelanorus inexſpectatâ acerbitate motus, vix tenuit iram. Memor tamen Regi ſe loqui, nec plùs ſibi in expedito eſſe verba, quàm illi ultionem, haud aliud retulit, quàm non modò ſcripturum Poliarchum, ſed impigrè adfuturum; ut ſi quid erraverat, diſcuti poſſet. His verbis Meleandrum, jam ſponte omnia metuentem, in diverſas cogitationes diripiens, reliquit; nunciavitque Argenidi, quam inclementer Rex dixiſſet Poliarcho. At illa, vix lacrymis temperans; nihil dii reliquum fecerunt,

1 *Elevabat apud Regem.*] Deprimebat. Antiphraſis.

runt, Gelanore, quo mihi & Poliarcho noceretur. Diviſi, ideoque, miſerrimi, alter alterius dolore conficimur. Accedit ab Lycogene de regno mihi periculum, quoniam ei chara ſum, ipſi quoque triſtiſſimum. Quid proderit eum ſuperfluâ ægritudine onerari, ut & patris in ſe mei iram intelligat? quem ut opinor non mala mens, ſed calamitas mutavit. Si me fas eſt aliquid exorare; da mihi, illique, Gelanore, ut ipſe hoc neſciat. Ego curabo ut delicti pœnitentiam agat pater, ametque Poliarchum. Et ſilentii præmium erit quicquid tua conditio poteſt agnoſcere. Fruſtra autem ſperaveris, ſi de iſtâ re patrono indicium feceris, clam me futurum. Ut ſpondeat tutum fore ſecretum; at ſi illum mihi fata reddiderint, expugnabo taciturnitatis fidem, ſciamque quàm multùm fefelleris. Apud eum quid valeam nemo meliùs teipſo intelligit. Confirmante Gelanoro, ſe Argenidi pariturum, ipſa literas ad Poliarchum tradit. Iis vehementer petebat; ut quàm ocyſſime in Siciliam trajiceret. Si vinci Lycogenem fatum erat, ab eo potiſſimùm vinceretur. Sin dii parabant triſtiora, tegeret fugientes. Cumulatum deinde muneribus dimittit ad navem.

Jam ſecundus menſis erat, ex quo Ennam fatigabat obſidio; defecerant alimenta, nec ſpes erat à Rege auxilii. Igitur conſumptis omnibus præter fidem, legatos ad Lycogenem de deditione mittunt. Exhilaratus ille, quòd victoriæ ſimulque clementiæ exemplum hinc quæreret; Nihil ſe optare reſpondit, niſi ut fœlices eſſe vellent. Ad hoc tantùm vim adhibuiſſe. Redirent ad Siciliæ corpus, cujus in Meleandrum conſenſui imprudentes obſtiterant. Sed multi petiere ut tutò liceret ad regia caſtra concedere. Quo permiſſo, plùs pavoris militibus Meleandri, quàm auxilii fuit; cùm iſti Ennæ miſerias, & obſidentium robur, in traditæ urbis excuſationem augerent. Domitâ Ennâ licentiùs exultare Lycogenes, aditusque multiplici ratione tentare, quibus rivum, & palu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

des à Rege inceſſas ſuperaret. Diffiſuſque Meleander obtineri diutiùs locum poſſe, ¹ primâ vigiliâ totis caſtris ignes accendit; ne hoſtis intelligeret deſeri ſtationem; nec ſigno tubâ dato, militem reducit ad campum qui Epeirctæ ſubjacebat. Inſequutus poſterâ die Lycogenes triumphantes copias effudit totis campis, terribili ſpecie, militumque fiduciâ in barbaros clamores parum civiliter elata.

Et Rex quidem tot curis inſomnis, nunc prœlio optabat decernere; nunc ſe urbis munimento tueri; interdum tanquam perditis rebus, de fugâ cogitabat in Africam. Fortè fuit, ut neglectâ quiete, ſolitarius in hortum primâ luce concederet. Sublimis erat locus, mariſque ſubjecti proſpectu liberrimus. Agitantem quid in extremis eſſet honeſtius, nunc ſubibat non ignava pugnandi mens; nunc ſenem, & patrem, filiæ cura ad cautiora revolvebat conſilia. Victoriſne præda eſſet hæc virgo? & quæ in ſceptrum genita erat, à libertate excideret? Rurſus occurrebant fugiendi incommoda, rurſus numinum ira, & quod in immeritâ calamitate triſtiſſimum eſt, temporum exactorum fœlicitas. In hoc inquietæ mentis æſtu ſtupentes oculos mittit in pelagus. Sed nebulæ, quæ ex vicinis montibus incubuerant, altiori ſole diſcuſſæ, aperuere paulatim faciem rerum perculſo horrentique mirabilem. Quippe navigiis ſtratum mare, haud procul à portu, vexillis latè vibrantibus, novum bellum, novos terrores afferre videbatur. Claſſis ingens & incitata ſublimibus velis. Fulgor præterea armorum, hominumque frequentia. Cumque non multò exteriùs quàm extra tormentorum jactum fuere navigia, ſubito clamore nautarum demiſſæ à puppibus anchoræ totam claſſem ſtiterunt. Nec diu ſecum exegit, Rex, qui homines, aut unde venirent. Sed in deteriores metus

1 *Primâ vigiliâ.*] De diviſione noctis in quatuor vigilias, dicetur cap. ultimo hujus libri.

1 *Præco*,

metus ſponte jam verſus, & aliquoties pedem terræ incutiens; heu, inquit, ergo nec fugam mihi fata reliquerint. En à Lycogene claſſem, en obſervaturos portuum clauſtra exercitus. Sed neque hoc immeritò accidit. Coget te iſte caſus, ſenex ignave, ad juſtam bellicamque virtutem; & quid ſponte facere debueris, en hoſtis admonuit. Tantillam meam claſſem contrà promoveam, fortunâ, navibus, copiis impar? An iis omiſſis, quod eſt ſatius, vertar in Lycogenem terreſtri certamine, & ſaltem in Siciliâ meâ moriar? Turbatus, nec aliud quàm honeſtè cadere expetens, proximos advocat. Iis monſtrat terribilem maris ſpeciem, dimittique ſpeculatorium navigium jubet, quod de ſuſpectâ claſſe referret certiora. Archombrotus ad omnia pericula contumax, hanc ſibi depoſcebat, non ſecuræ quæſtionis provinciam. Sed annis & virtute ferventem Rex juſſit digniora diſcrimina expectare. Inter hæc lembum vident ab claſſe adverſa aliquot remigiis ad portum promoveri; & miſſus Timonides qui venientes exciperet, ſciſcitareturque quæ erant pernoſcenda, primus mitioris fortunæ auſpicium accepit. In lembo [1] præco erat; ac ne duriora nunciaturus crederetur, baculum atque caput olivâ circumdatus. Sed quis eſſet, quidve afferret, non faſſus Timonidi, cùm Regis colloquium petiiſſet, illum protinus Meleander, jam intepeſcente metu admiſit in conſpectum. At Præco; Radirobanes [2] Sardiniæ & Balearium Rex, (inquit) hanc tibi hoſpiti Meleandro Siciliæ Regi [3] teſſeram mittit. Si conferre volueris, invenies eſſe illam, quæ mutua fuit tuis ſuiſque

1 *Præco, &c. baculum atque caput olivâ circumdatus.*] Symbolum pacis. Ita Æneas apud Virgil. l. 8.

Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.

Et libro undecimo oratores Latini:

Velati ramis oleæ, &c.

per *baculum* lituum intelligit.

2 *Sardiniæ & Balearium.*] Inſulæ ſunt cum Sardoi maris, tum Iberici, ubi nunc Majorca, Minorca, &c. ultimum Hiſpaniæ regnum in mari Mediterraneo.

3 *Teſſeram.*] Hoſpitalis fœderis quondam icti ſymbolum, nempe dimidiatum annulum, aut duplicem manum, aut quidpiam ſimile.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

que parentibus. Simul [1] dimidiatum annulum tradit; in cujus ſummâ parte puſilla ex auro manus erat, quæ ſi parti alteri juncta eſſet, ſimili quoque manui, itemque porrectæ, tanquam in fœdus occurreret. Rurſus præco; Agnoſciſne, Rex, hoſpitium? ait. Et Rege fatente; quippe alteram annuli partem apud ſe ſervari; Adeſt, inquit, in æquore tuo hoſpes Radirobanes cum præcipuis imperii viribus, quas in claſſem coëgit. & cogendi cauſa fuit, quòd te malorum civium defectione premi cùm fama retuliſſet, ſtatui hoc peſſimum in Reges exemplum, maximè hoſpes, ferre non potuit. Silebat Meleander, deorum tam ſubita beneficia propè non capiens. Sed ad conſtantiæ ſpecimen erat, ne vultus mutaretur. Referes, inquit, tuo Regi, ô præco, jam me ignoſcere furori meorum; quos aliquis non inimicus deus concitavit ad facinus, ut tanti hoſpitis beneficio, & conſpectu frueremur. Subeat modò Siciliam, atque intelligat nihil nos fore in eo colendo ſegniores quàm ipſe in promerendo fuit.

Simul his, Præco ad curandum breviter corpus abductus eſt; interimque Meleander advocato ſuorum conſilio quærere cœpit, ipſumne oporteret ad Radirobanem ire, an fidei majora pignora per purpuratos experiri. Varia illi cenſebant; tantæ fortunæ nec diffidere nec credere ſatis auſi. Nam cur Radirobanes illos ſumptus, laboreſque, alienæ utilitati daret? præſertim nec rogatus, nec hoſpitio antea uſus? Omnem nimiam gratiam ſuſpicioſam eſſe. Vix credibile hunc potiùs Meleandro, quàm ſibi, eam claſſem adornaſſe. Nam & (inquit Rex) meo patri, multa ut ſcitis cum Radirobanis patre diſcrimina fuere; fœdera inde, & imago hoſpitii, veriùs bello laſſatis, quàm odia ponentibus. Nunc quid cenſeam, auxilium an inſidias

1 *Dimidiatum annulum.*] Dividi ſolebat annulus iciendo fœdere, ut ſi quando alter alteri obviaſſet, annuli partibus junctis in fœderis icti argumentum antiquas neceſſitudines recognoſcerent. De duplici manu habes multa apud Vincentium Cartari in fidio.

1 *Hæc*

dias adveniſſe, adhuc incertum eſt. At Cleobulus, nihil dubitandum aſſeruit, quin Regem oporteret ad Radirobanem ire. Nam ſi ille amicus accedebat, certè auxilium venire in tempore; & nullam in ipſum humanitatem nimiam videri. Sin aut ſponte Regem odiſſet, aut faveret Lycogeni, non poſſe Meleandrum terræ marique conjurato obſiſtere; & ex Majeſtate Regis fore, ſi fidei ſimulatione deceptus potiùs videretur, quàm expugnatus ingratiis. At unde (inquies) hic Radirobanis in Meleandrum amor? Fallor, aut Rex juvenis, & ut audio, in gloriæ cupiditate immodicus, hanc occaſionem rapuit, quâ præter bellicam famam (Rex) nuptias filiæ tuæ tanquam ex merito, ſibi conciliet. Pugnabit itaque tanquam pro rebus ſuis; eò Siciliæ amicior, tuæque reverentior majeſtatis, quò propiùs ſperabit in tuam regiam adoptari.

CAPUT XIII.

ARGUMENTUM.

Meleander adornata navi Sardiniæ Regi fit obvius. In amplexus ambo coëunt. Siculi inter hæc auſpicia, metum in ſpem, luctus in lætitiam vertunt. Vnus Archombrotus invidiæ ſtimulo lancinatus æmuli Radirobanis adventum æquo animo ferre neſcit.

ET Cleobulus quidem, ex vero diſputabat. Quippe Argenidis fama, ſimulque Siculi regni, quod ad Virginem ſpectabat, cupiditas hanc Radirobani mentem injecerat. Naves ad expeditionem in Mauros quam ſecretò moliebatur, inſtructas habuerat. Sed perlato Siculi belli rumore, diſtulit pauliſper Africam, & laudabiliori incepto ad Meleandrum navigavit. Sed Archombrotus (nam tunc conſultanti Meleandro aderat) ipſo nomine nuptiarum Argenidis offenſus, adeò in Radirobanem, Cleobulumque excanduit, ut vix mutatio animi tegeretur in oculis. Nihil tamen repugnare, aut omnino dicere auſus eſt. Cleobuli verò ſententiâ à Rege laudatâ; miſſi confeſtim ad portum ſunt, qui regiam ſcapham inſtruerent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

rent. Tranquillis rebus Rex tuta littora in eâ circumvehi amabat. Mediocris erat; nec plures capiebat octo remigibus totidemque vectoribus. Sed aureis argenteiſque picturis notabilis, totam in ambitu undam fulgore imaginum ludebat; & haud procul à puppi puſillis ex auro literis hi verſus erant ſcripti:

[1] Hæc te cæruleo natam, [2] Cythereïa, ponto
Parva ratis, ſimiliſque tuæ, pulcherrima, conchæ
Tutelam numenque petit; non Martia fortis
Tela pati, adverſas ſi fors Bellona carinas
Implicet, & tremulo ſuſpendat in æquore bellum.
Nec ſævi patiens Boreæ, cum turbidus ille
Stridet, & alternis medium ſeſe obruit undis.
Littoreis tantùm apta vadis vicina ſecabit
Æquora, [3] cùm pluvium deterget cantibus Auſtrum
Cymothoë, & pectet virides in rupe capillos.
Tunc leget extremos portus ratis iſta, potentem
Tunc dominum paucis audebit credere tonſis.
At tu, ſi meritos Eryci ſervamus honores,
Ne levibus, ne, diva, notis permitte tyrannum.
Ipſa manu contos, parvæ brevia arma carinæ,
Ipſa tene, & placidam ſeſe criſpantibus undis
Sterne viam. Tecum [4] Oebalii duo ſydera fratres,
[5] Et ſoror. O magnis verſata potentia ſemper
Fluctibus, & ſemper ventoſum Regibus æquor!

Tunc

1 *Hæc te cæruleo natam, &c.*] Ex ſpuma maris & Cœli ſpermate natam Venerem fabulantur, & in concham marinam receptam, nam ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, id eſt, ſpuma, dicitur Venus Aphroditis: Auſon.

Orta ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita Cœlo.

2 *Cythereïa.*] A Cytherone monte Cypri, ubi præcipuo cultu Venus obſervata.

3 *Cum pluvium deterget cantibus Auſtrum Cymothoë.*] Cum fugatâ procellâ incumbet pelago tranquillitas. Cymothoë una eſt ex Sirenibus, Nerei & Doridos filia, nuntia ſerenitatis; ſic appellata, quod per fluctus diſcurrat, nam κύμα, id eſt, fluctus, & θέω id eſt, curro. Virgil. lib. 1. Æneid.

Cymothoë ſimul & Triton annixus, acuto Detrudunt naves ſcopulo.

4 *OEbalii duo, &c.*] Caſtor & Pollux. Vide ſupra lib. 1. c. 1.

5 *Et ſoror.*] Helena.

1 Rex

Tunc verò purpureis tapetibus auxere ſedilia; & in puppi inſtar ſolii fuit, quod caperet duos. Eurymedes ad arcis cuſtodiam relictus eſt; Arſidas parvâ rate præmiſſus, qui Radirobani nunciaret advenire Meleandrum. Facilè tota Epeircte ſe fama diffudit, adeſſe cum validis auxiliis Sardos hoſpiti Siciliæ opem laturos. Nec tarde credebatur. Subita ergo hilaritas, nec modò ſpes, ſed victoriæ fiducia, paulò antè dejectos mutavit. Toto foro concurrebant, manibuſque, ut quiſque advenerat, plauſis, ſibi ſalutem gratulabantur. Nec temperantior eorum qui muris ad cuſtodiam præſidebant lætitia. Cùm verò Rex ad portum deſcendit, acclamationibus vulgi, tubiſque mox, & omni concentu quo tunc Martem acuebant, cœlum implentibus, ſonus in hoſtium caſtra illatus eſt. Et quoniam militaris erat clangor, Lycogenes auſus eſt credere Regis exercitum ſpe amiſſa exarſiſſe in ultimos impetus; & in ſe invehi morituros. Itaque ad proximos ita locutus fertur: Hic dies nobis laborum poſtremus eſt: modo copiam mortis iis fecerimus, quos vivere non poſſe effecimus. Ite ad milites; & ad prædam vocate propè emeritos. Dii omnes quò gratior eſſet victoria, inſperatam maturavere. His dictis, dum ordines inſtruit vultuque ac voce omnibus fortitudinis author eſt; interim exploratores præmittit qui certa de adventu hoſtium referrent. Et illi toto itinere provecti, poſtquam nihil hoſtile occurrebat, in caſtra reverſi ſunt, nunciantes, nullos quidem armatos in campis apparere; cæterùm pene bacchantium tumultus audiri in mœnibus, tubiſque & tympanis perſonare totam circum regionem. Ictus ex merito Lycogenes fortunæ recedentis præſagiis, tamen in procinctu conſtituit aciem; alioſque non militari cultu, ſed tanquam ex proximis villis agreſtes, ſubornat, omnia tutiùs exploraturos.

Jamque Arſidas Radirobani colloquutus, promota ex portu navia, quibus Meleander cum ſuis vehebatur, oſten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

oſtenderat. Quippe plurimi lembi Regem comitaturi, procedebant in altum; tumultuque & ſtudio vectorum, de more ſubitæ lætitiæ ſtrepebant. Pætoria Radirobanis, regii faſtigii opulentiâ inſignis, ſtabat religata anchoris tribus. Ab omnibus velis inutiles, & ex ſolo luxu pendentes laciniæ aurâ rapiente ludebant in aëre. Cornua, & antemnæ fluitantibus quoque vexillis incumbentem ventum temerè ſequebantur: multiplices autem à tribus malis funes, religabantur ad latera navis; ſpeciemque procul viſentibus aut ampliſſimi retis, aut detecti tentorii præbebant. Puppem Helena cum fratribus illuſtrabat trium ſyderum auro. At nautæ eo die non ſordidi, in cæruleis erant veſtibus; & vel inſtabant officio, vel antemnis ac funibus, ad artis ſuæ ſpecimen, tanquam alis ferebantur. Eadem remiges veſtis in tranſtris ornaverat. Milites armorum & ſagulorum pretioſiſſima erant induti. [1] Rex quoque frequenti in Liguriam commercio, didicerat ab Hetruſcis decora majeſtatis, habebatque in prorâ lictores, virgâ & faſcibus inſtructos, tanquam aquas ſubmoverent. Lignei gradus à latere navis ad mare deſcendebant cæruleis ſtrati tapetibus, in quorum ſummo excepturus Meleandrum, Radirobanes ſtabat, veſtem regiam indutus, quam ex auro & carbaſo textilis zona præcinxerat. Enſis ex ea pendebat, cælatæ vaginæ operâ præcipuus. Ipſe capillitium promiſerat in humeros, paulò precioſius delibutum quàm militarem decebat. Familiariſſimum habebat, ex Liguriâ ſenem; cui commiſſus puer fuerat; & adultus non tam illius conſilia ſequebatur, quam quæ facere decreverat ſcire ſinebat. Virtiganes dicebatur. Huic tunc & Arſidæ loquens ſpectabat Siciliæ oram, ſitumque, & ignota adhuc bona, ſuperfluâ humanitate commendabat. Tan-

1 *Rex frequenti in Liguriam commercia, didicerat ab Hetruſcis.*] Ligures vicini ſunt Hetruſcorum, à quibus & ipſe Tarquinius Priſcus omnia Regiæ dignitatis inſignia, ſellam auream, faſces, lictores, &c. transtulit ad Romanos; ita Livius libro I I.

1 *Cum*

Tandem ad navem ſcaphâ Meleandri applicuit; qui in paratos gradus enixus eſt admoto ad fulcienda veſtigia Archombroto; donec eo uſque pervenit, ut tradere Radirobanes manum poſſet. Tum verò tanquam olim familiares coiëre amplexibus; & gratias agente Meleandro, quòd is ſe adjutum voluiſſet, ille beneficium modeſtiſſimis verbis augebat. Pauca deinde inter ſe colloquuti, hic ad ſalutationem Proceres Siciliæ, ille Sardiniæ, admiſit. Amicos, hoſpiteſque appellabant. Mox & Radirobanes, nec rogatus deſcendit in Meleandri ſcapham, qui ſe in navi prior, ejus poteſtati tradiderat. Perſonabat toto littore, navibuſque ſymphonia; ſimulque militum & remigum clamor, celebrantium mutuam Regum fidem; non ferro, non aggere, non cuſtodibus tutos, ſimplici pietate atque jure hoſpitii, inter ſe jucundè verſari. O miſeram ſæpe potentiam, in quâ raræ fœlicitatis eſt ad bona privatorum, nec ſuſpecti commercii humanitatem, pervenire. Expoſitos in littore Reges rurſus amplexus, rurſus blanditiæ tenebant. Hinc Radirobanem, [1] cùm in primâ arenâ adoraſſet deos Siciliæ, Meleander illi exterior ad equos deduxit, qui haud procul utrumque expectabant. Inde amicis ſepti primùm in urbem, deinde in arcem provecti ſunt. Purpuratis Meleandri curæ fuit, ut Sardiniæ Optimatibus illâ veſperâ benè eſſet. Præbuere certatim hoſpitia, adeò omnis generis officiis cumulata, ut vix belli, quod arduum inſtabat, meminiſſet hilaritas.

At non Archombroto læta hæc erant, ſibi æmulum adveniſſe cogitanti, quem à Rege & Argenide non amari

1 *Cum in primâ arenâ adoraſſet deos Siciliæ.*] Ita Æneas, lib. 3. Æneid. apud Virgil.

Ergo inſperatâ tandem tellure potiti,
Luſtramurque Jovi, votiſque incendimus aras.

Æneas in ingreſſu Italiæ Deos præſides ſalutat. Virgil. lib. 7.

Continuo ſalve fatis mihi debita tellus,
Voſque, ait, ô fidi Trojæ ſalvete penates.

Item:

—— Et frondes tempora ramo
Implicat, & geniumque loci, primamque deorum (precatur
Tellurem, nymphaſque & adhuc ignota Flumina.

amari nefas eſſet. Ergo dum cæteri Radirobanis amicos excipiunt; ipſe ſpecie utilioris curæ diſcedit ad mœnia, quaſi excubitores per omnes ſpeculas Regis nomine aditurus, nec vigilias ſolveret auxiliorum fiducia: Sæpe immatura gaudia aditum hoſtibus ad nocendum præbuiſſe. Atque ubi frequentiam evaſit multò antè moleſtam, cœpit in longo & vacuo aggere ſpatiari, temerè inclinatis cervicibus, nexiſque lacertis, & ad pectus obnoxiè adductis. Nunc amens ſtupebat, nunc ſimul videbat innumera; incertus quid cogitare, aut unde dolere inciperet. Et, ô deos, inquit, ultores! Tu enim Poliarchum odiſti, tu hominis quem chariſſimum habebas reditum intervertiſti, ut æmulum graviorem acciperes. Quam malè Radirobanes ſucceſſit Poliarcho. cui me hoc pectus, hi lacerti, ſed maximè amor, parem feciſſet. At Radirobani quis me impetus, quæve virtus æquaverit; non modò ſibi nixus, ſed totâ regnorum ſuorum fortunâ, procedit in certamen, veriùs in me quàm pro Meleandro, aut in Lycogenem. Quòd ſi Argenidem amo, iſtum (ô dolor!) neceſſaria ferentem auxilia, non licet averſari. Tu ignavus amator neſciſti mereri quod optabas; ille invênit quò prius beneficium afferret quàm poſceret.

Sub hæc ſui incertus, & grandioribus veſtigiis ferociter obambulans, ſilentium aliquandiu tenuit; donec jurgio cum fortunâ reſtituto, inter acerbos riſus; En jam (inquit) tres in Argenide laboramus; tres in fœlicitatem quæ duntaxat unum caput ſumus erecti, [1] ego, Poliarchus, & Radirobanes: ut eos omittam, quos nihilo me eſſe ſaniores nondum intelligo. Miſer! non vides quotidie plures in hæc vota orituros? Niſi fortè aut illa amari indigna eſt, aut ſolus es oculatus. Sed cæteris amovendis tempora ſua erunt. Vide modò iſte à Radirobane fluctus ne navem ever-

1 *Ego, Poliarchus & Radirobanes.*] Dicere ſolebant Romani, Oppius & Cæſar: & Ætoli & Romani. Sequitur quoque Grammat. ordinem.

1 Inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

evertat. Incolumi Lycogene, intempeſtiva cum illo ſunt odio. Certe præmium non auferet ante victoriam. At quot in armis vices ſunt? quantillo momento ſe fortuna in diverſiſſimas retulit formas? Quid ſi fortitudinis oſtentator extinguetur in acie? Quid ſi Meleandro gravis erit, nimii beneficii conſcientiâ? Curandum eſt ut hæc in Lycogenem bella mihi apud Meleandrum honori ſint, & in Radirobanem rudimentum. Fraudandus interim animi impetus, ut, cum quo meditaris diſſidium, placide vivas. In hanc mentem utcunque compoſitus, ſucceſſit ad vigiles, monuitque ne turbati læticiâ ſtationum curam omitterent. Eadem Eurymedis cura, eadem Præfectorum omnium fuit. Sed militum caſtigata ſecuritas, tamen plerumque [1] inter vina & coronas vigilabat.

Poſtero mane de belli ratione cum ſuorum primoribus Reges egerunt. Radirobanis legiones erant adhuc in navibus: Nec ille ignarus ſuſpicioſum fore ſi cuperet validiſſimas in urbem copias induci; ſublevavit his verbis pudorem Meleandri, qui id ſe vereri liberaliter diſſimulabat. In hac claſſe quæ ſtat in anchoris, chariſſime hoſpes, octo millia gravis armaturæ milites advexi, funditores, & ſagittarios, ad millia quatuor. Equeſtris apud me juventus eſt; ſed pondere ſpatioque abſterritus, equos in navibus paucos impoſui. Si plures dederitis, ſeſſores à nobis invenient. Cæterùm, ne Lycogeni diutiùs ſit impune, ſi placet, in terram exponemus exercitum. Et quoniam impeditum rupibus littus ſolam per urbis pomœrium viam præbet, cohortes ſingulæ recipientur in mœnia. Hinc ubi per aliam portam munimentis oppidi exceſſerint, caſtra quæ in montis radicibus ponemus petituræ; rurſus aliæ, aliæque, à littore ad urbem conſcendent. Præſidium ex tuis in utrâque portâ erit, tam quâ copiæ intra-

1 *Inter vina & coronas.*] Scyphos lemniſcis aureis & frondibus coronatos. Virgil. lib. 1. Æneid.

Crateres magnos ſtatuunt, & vina coronant.

Et infra, lib. 4. c. 5.

intrabunt, quàm illâ quæ receptos evolvet in campum. Meleander tantâ ſolicitudine nihil eſſe opus reſpondit; nec quicquam à militibus timendum, qui fuiſſent ſub Radirobanis diſciplinâ. Cuſtodes in portis ſi Radirobanes vellet conſtitui, ex ſuis ſanè apponeret. Nunquam ſeſe tutiorem quàm inter illius præſidia arbitraturum. Tali utrimque colloquio prolixum de humanitate certamen Regibus fuit.

Sed ut Sardi, Baleareſque, de claſſe in littus effuſi ſunt, ad ſpectandos, cohortandoſque milites ambo in equis ad forum proceſſere. Radirobanes, aurea arma purpurei ſaguli ambitu non tota contexerat; nudo capite, [1] niſi quà faſcia ambiebat. Meleander, & ipſe armatus, longè conſtantiori majeſtate omnium oculos & ſtudia trahebat. Primi funditores urbem ingreſſi ſunt. Baleares hi erant, tribus quiſque fundis armati. Nulli tunc genti ejuſmodi habenarum major peritia; quam ſcilicet unam colebant à puero. Dicebantur excipere in aëre aves, & in probris numerare, ſi quem ictus fefelliſſet. Sequebantur vexilla Sardorum, [2] qui Punico more, ex gentis viciniâ, armati, lævigatis atque ingentibus clypeis tegebantur. gladii breviores pendebant ex balteo, quo conſumptis jaculis uterentur; caſſides plerunque ex ære, verticibus in urſarum leonumve rictus horrentibus. Tantum exercitum ægrè illa dies tranſmiſit. Archombrotus atque Timonides in Meleandri caſtris erant, qui hoſpites ab urbe in præparatum vallum deſcendentes exciperent. Novum illi aggerem excitaverunt, valloque quod Meleandri milites præbuerunt, aucta caſtra cinxere. Largus fuit à Rege commeatus, juſſique Siculi partim ad Sardorum cœnam ire, partim in ſuis illos tentoriis provocare ad epulas.

CAPUT

1 *Niſi qua faſcia ambiebat.*] Diadema & purpura, ſigna Regiæ majeſtatis. Vide infra lib. 5. cap. ultimo, & ſupra.

2 *Qui Punico more, ex gentis viciniâ, armati.*] Ancilibus utebantur in acie Carthaginienſes, teſte Varrone.

1 *In*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT XIV.

ARGUMENTUM.

Pervulgato Regis Sardiniæ adventu, Lycogenis exercitus pavore percelli incipit. Meleander rebellium animos ſollicitat. Primus Acegoras deditione audet Regis fidem experiri, & cum militibus non paucis ad caſtra Regis transfugere. Tum tumulum aſcendens Lycogenes poteſtatem facit, ſi qui abire vellent. Tanta libertas Ducis militum pudorem excitat.

LONGE alia facies in Lycogenis caſtris. Quippe poſtquam de Radirobanis, & auxiliorum adventu certâ fide relatum eſt, pleriſque metus inſaniam excuſſit. Quid in Regem eſſent auſi tum demum intuebantur. Subjiciebat paventibus ſolicitudo, adeſſe jam deos violatæ ultores majeſtatis: & conſternatio animi in omnibus, etiamque vulgaribus rebus, dira omina inveniebat. Auxit hos metus, alacritas Regum, quibus maxima erat virium ſuarum fiducia. Quippe puduit tanquam obſeſſos in urbe conſidere. Promoverunt itaque caſtra à radicibus montis propius hoſtem, ut, ſi prœlium detrectaret, vel pellerent vallo, vel foſſis incingerent. Cauſa, & imperatorum majeſtas, magna ſæpè in bellis momenta ſunt. Regia caſtra majori auſpicio venerationem invenerant, Meleandri & Radirobanis tentoriis per ſummi imperii inſignia latè ſurgentibus. Hinc eorum militibus ſpes acrior ſubjiciebatur; inde hoſtes ad ſuæ militiæ ignobilitatem jam laxatis animis reſpiciebant. Sciebat quoque Lycogenes nihil optabilius ſibi quàm prœlio experiri, priuſquam altiùs timor in ſuorum mentibus perciperetur; gaudebatque idipſum Reges velle. Adhuc enim incerta lux erat, cùm ex regiis caſtris educi ad pugnam exercitum, exploratores ad eum retulere. Ne itaque remoraretur vir acer, [1] in tentorii culmine coccineam tunicam committendi prœlii ſignum

1 IN *tentorii culmine coccineam tunicam expoſuit.*] Sæpe pro ſigno fuit vexillum, edito è loco ſublatum. Virgilius lib. 8.

Ut belli ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit. ——

ſignum expoſuit. Per varia deinde caſtrorum ferebatur; nunc militibus, nunc præfectis, ſpem & animum, fronte, verbis habituque ſufficiens; quid metuerent tot victoriis clari? An Meleandrum veluti ex fugâ reprehenſum; [1] an peiraticam Sardorum inſaniam, qui non tam propitii Meleandro in Siciliam appulerant, quàm ex bello prædam quærentes? Si inclinabit victoria ad nos, inquit, properabunt egregii auxiliatores Epeirčten ſpoliare, & in ſuam inde claſſem relati, circumferentur ad alias fraudes. Ac etiam ut illis fides ſit integra; at num putes pro ignotis & externis ſanguinem gnaviter daturos; cùm præſertim ſint à nobis in quos pugnandum eſt, nullâ rixâ laceſſiti? Deſtituent ſuâ fugâ Meleandrum, ſi vos ſenſerint viros, ſi quicquid minantur experiri inceperint, denique ſi cogitabitis in omnibus quidem bellis pericula eſſe, at raró tantæ laudis offerri materiam, ut duo ſimul Reges inter ſpolia aut captivos poſſint haberi.

His dictis cùm milites proceſſiſſent [2] extra vallum, caninum catulum de ritu Spartano (nam [3] originis milites admonebat) [4] Marti Enyalio immolavit; & [5] eſſe litatum emptus aruſpex in manipulis ſparſit. Acies autem eo modo ordinabatur. Dextrum cornu frater Oloodemi Menocritus

1 *An peiraticam Sardorum inſaniam.*] Unde & peiratæ, noſtrâ linguâ vocantur, *Corſaires*, à Corſica, vicina Sardiniæ.

2 *Extra vallum caninum catulum de ritu Spartano immolavit.*] Canem Marti mactabant extra caſtra Lacedæmonii, apud quos ad hunc uſum optimi alebantur. Vide Alexand. Neapol. lib. 3. cap. 12.

3 *Originis milites admonebat.*] Dictum eſt hinc in Siciliam deductam eſſe coloniam, quæ Syracuſarum primis incumbit fundamentis. Unde Virgilius Æneid. lib. 5.

Et qua Bacchiadæ bimari gens orta Corintho
Inter inæquales poſuerunt mœnia portus.

Inter Pelorum ſcilicet & Pachinum. Lacedæmones Syracuſanis oppreſſis à Catanenſibus, auxiliares copias adduxiſſe, author eſt Juſtin. lib. 4.

4 *Marti Enyalio.*] Unum eſt ex Martis cognominibus, teſte Macrobio l. 1. Saturnal. cap. 19. *Enyalius* dicitur, quaſi ἐνυῶς ὑὸς, *bellorum filius.* Unde ejus mater, ſeu ut aliis placet ſoror, Enyo & Bellona dicitur.

5 *Eſſe litatum emptus aruſpex ſparſit.*] Evulgavit corruptus augur, propitios fore Deos manifeſtum eſſe ex hoſtiarum extis, nihilque inauſpicatum eventurum.

1 *Privato*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

critus ducebat, partium ſtudiis; & [1] privato dolore Regi hoſtis. In lævo, quod paludibus tegebatur, tyrones, & mercenariorum ſuſpectos Lycogenes locaverat, Nabide duce; ut intercepta fuga animos ad vincendum acueret. At ipſe dilecto ſuorum robore in medio erat, equo ſublimis, vultuque terribili, quem tot ſimul affectus in incerto ſceptri vel mortis incenderant. Exſpectabat ut hoſtis copias, ut apparebat, inſtructas admoveret, cùm ex Meleandri acie viſus quidam in equo procedere, quem modico intervallo pauci milites tanquam ad præſidium ſequuti ſunt. Is confecto plùs medio campo, longè à cæteris ſtetit ſolus; & vàrio corporis motu videbatur poſtulare colloquium. Miſit quoque Lycogenes haud imparem manum, unumque qui præiret, ſeu colloquendum eſſet, ſeu certandum, idoneum. Conjecerat ex juventute Meleandri aliquem eſſe, qui ſingulari certamine prælium partium præcepturus, parem ex hoſtibus ſuperbè flagitaret; cùm ex illis quos explorandæ rei dimiſerat, unus redit, publiceque renunciat, hunc à Meleandro [2] cum caduceo, & infulis eſſe præconem. Mirâ expectatione acies tota diriguit; quid hoſtis armatus nunciaret; quæ fœdera, quæ commercia jam telo erecto mutuas cædes ferentibus. At præco, poſtquam habuit qui audirent; Rex furoris præteriti, inquit, gratiam facit, ſi qui defectionis pœnitentes ante veſperam in ipſius caſtra tranſiverint. Quicquid hactenus eſt delictum, nullum forum, nulla lex vindicabit. Hanc veniam ſuâ fide publicè ſancit. His dictis, ſchedia, in quibus eadem referebantur, pleniſſimâ manu ſpargit, verſiſque habenis ad ſuos, qui haud procul expectabant, revertitur. Milites plùs viginti illas voces acceperant, quibus ad ſuorum ordines reverſis, ſtatim fremitus

1 *Privato dolore Regi hoſtis.*] Ob violentam Oloodemi fratris, & Eriſthenis necem.

2 *Cum caduceo & infulis eſſe præconem.*] Fecialis ſunt inſignia, inquit Livius lib. 1. Veget. lib. 3. cap. 9. *Inter hoſtes diſcordiam ſerere ſapientis eſt ducis.*

mitus per cohortes increbuit interrogantium, proximiſve narrantium, quid præco attuliſſet. Et Lycogenes cùm præter ſpem hæc avidè à multis audiri frenderet, diſſimulato metu; Meleandro, inquit, parendum, ô milites. Ad illum, ſed armatis, eundum eſt. & accipio omen quòd ad ſua caſtra noſtros exercitus invitat. Spes eſt in iis nos hodie victores accubituros. Inter talia, ſuorum cuneos adhortanti relatum eſt, Reges eo die poteſtatem pugnæ non facere. Sed exercitûs partem locaviſſe in tumulum, qui ante caſtra erat; excepturos ſi qui ab ipſo deficerent. At ille, Eliciam, inquit, ad pugnam, ſolicitatores fidei noſtræ, cogamque jam viribus, non improbâ arte decernere. Ite ſub ſuis quiſque ſignis, ite milites, diis volentibus, & jam ſua confeſſione impares vobis opprimite.

Sed ægriùs miles imperata exequebatur. Inter ſe muſſantes videbat, & in pluribus impetum fractum; utique poſtquam primus Acegoras auſus eſt deditione experiri Regis fidem. Vir egregiâ famâ, clientibus & ſtirpe præcipuus, minùs ſuo quàm temporum vitio ſequebatur Lycogenem. Gnarus ergo ingentis gratiæ locum patere occupanti, cum quadraginta ferè militibus, & amicis aliquot erupit; emenſoque qui interjacebat campo, ad primam Meleandri ſtationem poſuit arma. Tum ad Regem deductus; Deſertoris nomen, inquit, hoc facinore non metuo, ô Rex. Abſcedo enim ab adulterinâ militiâ ad juſtum imperium; erroriſque in te mei ſolatium habeo; quòd tardè cum factioſis conjunctus, ad officium redeo omnium primus. Rex paucis collaudatum, monitumque quia viam cæteris præiviſſet, præmia expectare, ad Archombrotum mittit. Mandatum huic erat, cavere ne reconciliationis nomine pejora pararentur. Igitur in campum eductos qui regiis caſtris erat obnoxius, fide interpoſitâ incolumes fore, inermes conſtituit. Acegoræ tamen, duobuſque præterea, in honorem generis reddita arma; iidemque haud procul à Rege, adjuncti purpuratis.

Cæte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Cæterùm apud Lycogenem haud obſcurè omnium ordinum fides nutabat. Multi per circuitus dilabebantur. Hi commilitones ſequebantur, illi trahebant. Tandem Lycogenes ex re capto conſilio, ſubitum de ceſpitibus tumulum conſcendens, edixit ut ad concionem, ſaltem ſilentium afferrent. Et mox; Nam quo vos, inquit, nomine appellem? commilitones? an, quod abominor, hoſtes? Sed quocunque vos titulo cenſeri æquum eſt, ne quis infames, ne quis deſertores militiæ dicat, miſſionem facio. [1] Solvite cingulum; abite domum, cives. Neque in mei gratiam ad bellum coiiſtis; ſed operâ meâ & conſilio uſuri. Jam verò [2] remitto ſacramentum; deſino vobis incolumitatem præſtare; quia invitis beneficium facere, ſæpè pro tyrannide habetur. Vos incolumes, vos victores eſſe volueram; & jam propè eratis. Nunc turpi confeſſione ignaviæ hoſti perculſo atque irato cervices ſubjicitis. [3] Quis Pan? quæ furia animos lymphavit, ô milites? Abſolvebat vos juſtiſſima cauſa, quos pœnitentia nunc ſponte reos facit. Miſeret me ſortis veſtræ plus quàm pudet levitatis. Ite ſanè, ite inſtar victimarum; ſive Meleander irâ recenti perire vos volet, ſive ad ſecuriorem vindictam ſervabit. Ego cum intactæ fidei viris rempublicam non deſeram; & Meleandri in vos perfidiam, immemor quid hodie meriti ſitis, ulciſcar. Et diis quidem gratias habeo, quòd ante certamen ſecernere à fortibus viris voluerunt lubricam veſtram fidem. Potuiſſetis in ipſo

1 *Solvite cingulum.*] Cingulum, non modò militum geſtamen, ſed & nota, ſine qua nemo militaribus dignus ordinibus cenſebatur, quippe eis inſerti gladii geſtabantur. Claud. lib. 2. in Eutrop.

Quid quod & armati ceſſant, nulla virilis
Inter tot gladios ſecum reminiſcitur iræ?

Polyb. lib. 8. *iis, qui faciunt ſtipendia, quos belli eventus parum attingit, cohortatio eſt neceſſaria.*

2 *Remitto ſacramentum.*] De ſacramento militari vide Servium ad lib. 2. 7. 8. Æneid.

3 *Quis Pan?*] Deus terrorum & nocturnorum phantaſmatum; nam & *terrorem Panicum* vocitamus, qui repente accidit, qualis ſæpe in gregibus ſubito metu perculſis, cum enim ignoretur unde ille terror, Pani præſidi agrorum attributus eſt; dicitur & Pan buccina, quam Tritones geſtant, decertantes gygantes perculiſſe.

ipſo diſcrimine bonos milites permovere, quos jam abitu veſtro luſtrabitis. Abſit enim tam malè Siciliæ conſultum ſit, ut non plurimis reſtet integer animus. Hos jam vultu; hos alacritate ſecerno; videoque plùs indignatione veſtri erroris, quàm ejuſmodi commilitonum jacturâ commoveri.

De ſuggeſtu inter hæc deſcendens, poteſtatem iterum fecit, ſi qui vellent abire. Tanta libertas paulò antè chariſſimi ducis plurimorum pudorem excitavit. Itaque multi illius partes obſtinavere; maximè qui conſcii ſibi erant præter civilis defectionis fas aliquid peccaviſſe; aut quorum egeſtas pro ſupplicio metuebat inopem pacem. Interim alii paſſim excedebant manipulis; & nunc viarum anfractibus, nunc publicè, & per compendia, ſigna Regis petebant. Non pauciores quindecim millibus ſui deditionem fecerunt, ſæpiùs aſſerente Meleandro noluiſſe ſe tot civium morte victoriam emptam, quod ſibi ille dies reddiderat. Tanta clade perculſus Lycogenes repetit caſtra, cum illis quorum fidem probaverat cæterorum defectio. At Reges incruenta fœlicitate ſic potiti, vix gratulantibus ſufficiebant; [1] dexteram, chlamydem, equum, ipſa veſtigia, omnibus pro cujuſque ſorte tangentibus.

CAPUT XV.

ARGUMENTUM.

A præfecto Catanæ nuntius ad Regem venit, fœlicis auſpicii index. Nempe Catanam Regi fidiſſimam Anaximander Lycogenis nepos dum obſideret, Ætna ſubito æſtuans igneos rivos evomuerat, & quaſi conductâ operâ in Anaximandri caſtra fluxerat, & obſidione laxata in eum Catanenſes eruperant. Capta hic anſa de Cyclopum genere aliiſque antiquis Siciliæ monumentis diſſeritur.

REDEUNTES in caſtra omen etiam excepit, quod maximè vatibus placuerat. Cum enim tentorium Meleandri

1 *Dexteram, chlamydem, ipſa veſtigia tangentibus.*] Virgil. *Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe Tyranni.*

leandri incommodo loco poſitum famuli in editiora transferrent, fierentque exiguæ foſſæ ſtatuendis ſtipitibus, quibus religatum tabernaculum niteretur, [1] reperta ſunt aliquot oſſa, corporis quidem, ut videbatur, humani, cæterùm longè aſſuetam hominum illius ſæculi menſuram vincentia. Nec dubium quin alicujus de gente Cyclopum reliquiæ eſſent. Continuò Augures interpretati ſunt, omnes Siciliæ vires ſubjici Meleandro; cùm [2] nihil in eâ fuiſſe validius Cyclopibus memoretur, qui tabernaculo Regis ſubjecti, ſeipſos denique tradebant. Nondum intra aggerem Meleander & Radirobanes erant, cum hæc illis immenſorum corporum fruſtra gratantium vatum adulatio oſtendit. Plus inde ſtuporis Radirobani quàm Meleandro fuit, non tunc primùm oſſa Cyclopum contemplanti. At Radirobanes, qui antea ipſam Cyclopum memoriam in fabulis habuerat, cùm & oſſa contrectaret, & videret Meleandrum vix ad ſpectaculum, tanquam haud inſolens eſſet, moveri, ſciſcitari impenſiùs inſtitit, quæ gens illa Cyclopum, quibuſve moribus; unde orta; quomodo periiſſet; & Meleander, qui belli atque caſtrorum curâ Eurymedi traditâ, ad ſecuritatis regiam ſpeciem, variis hilariter ſermonibus vacabat, Sardis maximè circumfuſus, lætuſque de ſuæ Siciliæ monimentis interrogari, dum in caſtra procedunt, ſic orſus eſt; [3] Cyclopum omne genus quidam, ferum fuiſſe, & ſylveſtre; alii non [4] deorum modò cultores, ſed & ſanguinem, putant; primos tenuiſſe

1 *Reperta ſunt aliquot oſſa.*] Hæc Meleandri narratio de reperto Gygantis cadavere, expreſſa eſt ex hiſtoria Th. Fazeli rerum Sicularum lib. 1. cap. 6.

2 *Nihil fuiſſe validius Cyclopibus.*] Unus Cyclops in Odyſſea par eſt Ulyſſi ejuſque ſociis, neque potuit Ulyſſes, niſi ſolitis artibus ejus furorem deflectere.

3 *Cyclopum omne genus ferum.*] Inde *κυκλώπειος βίος*, pro vita fera & barbara, quæ neque legibus, neque diſciplina conſtet.

4 *Deorum ſanguinem putant, &c.*] Nam hi Neptuni & Amphitrites filii, miniſtrique Vulcani, Jovi ſua fulmina fabricaſſe finguntur. Sic dicti ſunt, quod unicum haberent oculum, eumque orbicularem in media fronte. Montem Ætnam incoluerunt. infra: *Genitos Neptuno jactatum eſt.* Item, *tenuiſſe has ſedes, &c.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

nuiſſe has ſedes, ſimplicibus legibus vitam inter ſe agitaviſſe. Illud in confeſſo eſt, exceſſiſſe humani corporis menſuram. Et hinc exteris fortè error; ut cum iſthuc appellerent, in immanibus corporibus impias mentes latêre crederent, aut nec colloquium auſi, in ipſo terrore ſpectaculi toto remigio [1] abirent à littore. Præter cætera, ne eorum mores damnem, facit vetus Græcorum religio; apud quos [2] in Iſthmo Corinthiaco ad veterem aram Cyclopibus tanquam cœleſtibus fieri mos eſt. Unde his ortus, quæ leges, quæve facinora, rudis ætas involvit, niſi quòd maximè inciderunt [3] Ætnæos & Leontinos ſpecus; quodque genitos [4] Neptuno jactatum eſt; quem plerumque immanibus viris patrem, noſtri majores fecerunt. Nec mirere tam pauca duraviſſe ab intima vetuſtate eorum veſtigia. Quippe & [5] priores Saturno hîc regnarunt, à quo ſunt tot ætates, ut Chamaſeni, quod præcipuum oppidum condidit, dudum ruinæ exciderint. Sola de Cyclopibus [6] ſepulchra ſuperſunt, ſed & illa plerunque in antris, quorum ora vel voraginibus mutata, vel cumulis ruinarum celata ſunt. Sæpè tamen in illa imprudentes incidimus. Quantæ illæ cadaverum moles? quis in extinctis frontibus vigor? ac quàm denique [7] ora fabulis ſuis digna! Haud procul Syracuſis venatum exiveram, cùm [8] in campo, quem

1 *Abirent à littore.*] Teſte Ænea, apud Virgil. lib. 3. Æneid.

2 *In Iſthmo Corinthiaco.*] Jugum eſt terræ inter duo maria, ubi Corinthus, inter Achaiam & Peloponneſum: hîc ara Cyclopibus fuit.

3 *Ætnæos & Leontinos ſpecus.*] Juxta Ætnam & Leontinos agros, de quibus Tull. Philipp. 2. Hos agros Livius juxta Syracuſas aſſignat. Ptolom. oppidum ejuſdem nominis in Sicilia aſſeverat eſſe.

4 *Neptuno quem plerumque immanibus viris patrem fecerunt.*] Longum eſſet tot recenſere τοὺς θυμικοὺς γὰρ συμπάντας καὶ πάντας τοὺς ἀνδρείους.

5 *Priores Saturno.*] Penè in ipſis mundi cunis, in inſulâ primum Cretâ, deinde in Latio, cum Jano regnavit, poſtquam à filio Jove imperio deturbatus eſt.

6 *Sepulchra cumulis ruinarum celata.*] Terræ motibus, in Sicilia frequentiſſimis.

7 *Ora fabulis ſuis digna.*] Qualia depinguntur ab Homero in Odyſſea. à Virgil. 3. Æneid. qui graphicè deſcribit Cyclopem.

8 *In campo, quem Gereatem.*] Hic ager eſt Syracuſanus.

po, quem Gereatem dicunt, canis ſagax, tanquam feram indagaret, ad incognitæ ſpeluncæ ora ſe penetrat. Pertinaci latratu cùm nos illuc traxiſſet, video antri intactum horrorem, ad quem veluti ſacrum exhorrui. Subiit inde animus ulterius explorandi id quod dii obtulerant; ſentibuſque utcunque dimotis circumſpicio à limine quicquid lux tenuis, & eò tantùm aditu accepta aperiebat. Locus deſederat in profundum, ducebantque in imum ſaxei gradus. Illatis igitur facibus cum exiguo comitatu ſubeo terram, frigore & ſolitudine, grave aliquid inſpirantem. Anguſto progreſſi veſtibulo, tandem in patentiora ſucceſſimus. Pandebatur latè ſpecus. Tophi ſublimes, laterumque exudantium curvatura nitebat pellucidâ cruſtâ; & criſpatam gelu aquam imitante. Ingens erat in medio ſaxum, quod illic ut ex radicibus conſtabat, natura poſuerat: id verò terribili prodigio onerabatur. Timeo proloqui mi hoſpes. Nam quid ſperem apud te fidem, qui hiſce oculis & manibus vix credo? dicam tamen, ut vel mihi perſuadeam ipſe quod vidi. Jacebat ſupra ſaxum terribilis moles ad membrorum humanorum diſtincta figuram. Sola magnitudo vetabat pro cadavere id haberi. Tardè igitur acceſſimus; diuque, ſive monſtrum hoc eſſet; ſive deorum aliquid, manus non admovebamus. Caput adhuc non inviolatos modò crines, ſed & vultus ſervabat. Ferox barba procumbebat in pectus, & à genis utrinque cum pari miſcebatur cæſarie. Quid crura? quid lacerti? quid [1] metarum inſtar pedes? Signum probè effictum (cogitabam) ſi hoc artifex figuravit! Sin naturæ opus eſt; unde jam imbecilli, unde homunciones à magnitudine illâ excidimus? Mox ſtupore, ut ſolet, dilabente, primus injectâ manu, auſus ſum quid hoc eſſet experiri. Sed quodcunque ad contactum pervênit, video in pulverem

1 *Metarum inſtar pedes?*] Quales ſunt agrorum termini, qui pyramidali figura fieri ſolebant.

rem reſidere. Et hinc facta cunctantibus fides; verum eſſe corpus humanum. Ac ne periret menſura, priuſquam inter attrectantes ſolveretur, cadaver quàm longum eſſet exigimus. Convenit inter omnes ad viginti cubitos pervenire. Tanquam Heroi ſacrum fieri volebam, & inviolatum relinqui. Sed dum hæc cogito, ſub meorum manibus, momento in cineres defluxit. Reſtabat occiput ſolum; arcuſque coſtarum, & crura omnino paria mole quam fulſerant. Ea meo juſſu ſervata, chariſſime hoſpes, & pro Neptuni foribus Syracuſis appenſa miraberis. Ex Cyclopibus fuiſſe non ambigo; maximè cùm ad hanc penè menſuram aut interdum agreſtes reperiant tota in antris cadavera, aut oſſa inter egeſtam humum effodiant. Sed malui quibus ipſe interfui apud te memorare. Neque Siculi mei, ut fortè exiſtimas, quæ modò effoderunt utcunque grandia oſſa, ad nos ideò detulere, quòd neſcirent ſæpè mihi majora diverſis caſibus fuiſſe oblata; ſed quia viſum eſt Aruſpicibus lætiſſimum monſtrum, ea in ſolo eſſe reperta quod meo tabernaculo deſtinabatur.

Inter illos ſermones ad locum pervenerunt, unde hæc oſſa foſſores eruerant. Cœnavit eâ nocte apud Meleandrum Radirobanes: adhibitique convivio fuere præcipui utrimque amicorum. Ecce autem dum pœnitentiam tot civium qui redierant ad regem, omnemque illius diei fortunam ſermonibus celebrant, intrat cum literis ad Meleandrum miles. A Præfecto Catanæ veniebat, inuſitatæ fœlicitatis index. Quippe Catanam Regi fidiſſimam Anaximander Lycogenis nepos obſederat. Sed cùm extrema imminerent, [1] Ætna ſubito furore exæſtuans, præter ingentem vim lapidum, & cinerum moles, tres ex liqui-

1 *Ætna tres ex liquidiſſimâ flammâ rivos evomuit.*] Non ſolum rivi flammei ex illo ſulphureo monte ſcaturiunt, ſed & flumina more torrentium obvia quæque abſumentia, præter ingentem vim lapidum & cinerum moles. Ita Dionyſ. Halicarn. Diod. Siculus, &c. Statim eundem montem deſcribit Barcl. cauſamque horum ediſſerit.

liquidiſſimâ flammâ rivos evomuit; qui tanquam conductâ operâ in Anaximandri caſtra fluxerunt. Nocturna hæc ſtrages fuit. Jacebant homines, pecudeſque, machinæ, tentoria, arma, quicquid in curſu ignis torrens offenderat. Eâ peſte trecenti milites conſumpti ſunt. Anaximander, & ipſe malo afflatus, poſterâ die, amiſſis quæ ad incœptum neceſſaria erant, obſidionem laxavit; cumque lecticâ ad Lycogenem referretur, erupere Catanenſes, cæſiſque quotquot repugnare auſi ſunt, ipſum quoque ceperunt. Jam Regem conſulebant, quid fieri eo vellet. Hoc nuncio ſemel iterumque audito, in tantum repentè gaudium tam convivæ quàm qui miniſtrabant, effuſi ſunt, ut non voci, non plauſui temperaretur; ſecutique licentiam qui ad fores in ſtatione erant, ſerpente læticiâ, tota caſtra impleverunt. Non jam ferro, non viribus opus; ipſos deos, ipſa pro Regibus elementa pugnare. [1] Coronæ inde paſſim deorum ſignis datæ; congeſtique in utrumque Regem flores; & promiſcuo impetu auſi militum multi, non prætorium modò, ſed & triclinium intrare.

Sedatis deinde gaudiis, Radirobanes curioſa ſedulitate à Meleandro quæſivit; Unde illud ab Ætna in Anaximandrum auxilium; an credibile eſſet à ſolido monte poſſe tantam vim ignium efflari; quis in viſceribus ardor, quis genius, quæ ſoli natura. hîc paucis docere Meleander, longè altiſſimum eſſe illum Siciliâ totâ montem, qui nativo ſulphure, receptoque in viſceribus vento exæſtuans, impatientem cuſtodiæ flammam per hiantis ruinas cacuminis attollit. Neque verò quotidianis ignibus (inquit) fervet hic apex. Sæpiſſimè ater fumus eſt, per longa volumina cœlum inficiens; favillas interdum aſpicias huic miſtas caligini.

1 *Coronæ inde paßim deorum ſignis.*] In triumphis, ſacrificiis, conviviis, communibuſque lætitiis olim non capita Regum modo, ſed & Deorum aras coronari ſolitas, inquit Plin. Natur. Hiſtor. Coronis Deorum tunc capita impediebant, tanquam victorum; eorum enim beneficio has flammas in caſtra Anaximandri manaſſe conſtabat.

1 Qui

gini. Rariùs denique ſeipſo citatior turbo proruentibus flammis, vicinam regionem fœdè pervaſtat. Quippe ſpiſſiſſimus ignis à ſummo emanans cacumine, torrentibus veluti rivis deorſum exigitur, in perniciem trahens quicquid occurrerit. Tunc verò graviora quàm è cœlo tonitrua; & populis terror, ne quanta eſt Ætna, ſe ſolvat, obruatque Siciliam. Nec minore quàm pro tumultu prodigio, ſaxa ingentia ex montis viſceribus hoc tormento in campos mittuntur. Adhuc fuligine plena ſunt, totoque colore indicant ab incendio ſe venire: cinerum deinde tanta vis ab igneo jugo; ut ad multa millia impetu primùm ſuo, mox vento, circumlati, obruant altè campos, & deprehenſas ſegetes enecent, ſolumve corrumpant, ad ſementem deinde inutile. Ita ſaxis, cineribus, & maximè flammis, non tantùm armenta hauriuntur, vel caſæ paſtorum. Sylvam omnem hæc peſtis quacunque inciderit, necat. Tota oppida ſic interdum periere. Catana vix multi operis aggere ſe tutatur; urbs inter montem & mare; opportunis ſedibus, ſi hæc pericula abſint. A Lycogenis militibus obſidebatur. Sed ut audis nunciari, dii hos ignes ex Ætnâ, ſupplicia antea noſtra, nunc beneficium ſuum fecere.

Poſtquam deſiit Meleander ipſa res, conviviique alacritas, ſermones provexit in diverſa. Quicquid in Sicilâ dignum quod noſſent externi, memorabatur. Fabularum inde voluptas hiſtoriam abegit. [1] Qui canes latratibus Scyl-

1 *Qui canes latratibus Scyllam ambirent.*] Scylla, Phorci filia, cum mutuo amore Glauci teneretur, indignata Circe (quæ Glaucum efflictim deperiverat) Scyllam ſibi ab illo præferri, fontem in quo lavari ſolebat, veneficis infecit herbis, cujus rei ignara illa, cum lavandi gratia fontem ingreſſa eſſet, vidit inferiorem corporis partem caninos rictus induiſſe, quam deformitatem ita exhorruit ut ſeſe in vicinum præcipitaret fretum, ubi & in ſaxum mutata fingitur, Charybdi ex adverſo objectum periculoſumque navigantibus: hoc abſorbentur, illo franguntur illiſæ naves Ovid. 4. & in 13. Metam.

Scylla latus dextrum, lævum irrequieta Charybdis
Infeſtant: vorat hæc raptas, revomitque carinas,
Illa feris atram canibus ſuccingitur alvum.

1 *Quæ*

Scyllam ambirent: [1] quæ Charybdi proluvies, quæve ora inexpleta naufragiis. [2] Acis inde infœlix amator de calido vulnere provolvebat frigidiſſimam aquam. fugiebat Galatea ſaxa Cyclopis, non ſine aliquo metu narrantium. Ab Elide [3] alter amator ſubibat maria incorruptus, & Arethuſæ pernicitatem proſequebatur. [4] Cadebat ſub Hercule Eryx, & maledicebat cæſtibus Venus. Religioſa etiam repetebant, facili in deos inter convivia pietate; [5] quâ Inſulæ parte erupiſſet ad connubium Pluto; quæ horridi currûs ſigna; quæ dimotæ ad exeuntis impetum rupes: [6] ubi rapta Proſerpina, ubi ſerta, [7] ubi zona illi exciderit; in quem ceſpitem primùm ſeſe [8] Cyane fluere

ſit

1 *Quæ Charybdi proluvies.*] Gurges eſt vorticoſus in freto Siculo, juxta littus Taurominitanum, Scyllæ oppoſitus, obvia quæque abſorbens, iterumque evomens. Virgil. 3. Æneid.

Dextrum Scylla latus, lævum implicata Charybdis
Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſque ſub auras,
Erigit alternos & ſydera verberat undis.

Poëtæ fabulantur Charybdim mulierem fuiſſe rapaciſſimam, à Jove, cum Herculis boves ſubripuiſſet, fulminatam, & in voraginem hanc converſam.

2 *Acis inde infelix.*] De Acide & Galatea fuſe ſuprà lib. 1.

3 *Alter amator.*] Alphæus fluvius Elidis, defluens longo curſu in Achajam, & ibi in terram abſorptus atque ſubter mare currens ex Græcia in fontem Arethuſam apud Syracuſas in Siciliâ ſe attollit, inde labitur in mare Siculum. Quamobrem fingunt Poëtæ Arethuſam deamatam ab Alphæo fugiſſe per ſubterraneos cuniculos in Ortygiam, eamque Alphæum fuiſſe inſequutum: uterque divinos apud incolas conſequutus eſt honores. Ovid. Metam. l. 5.

4 *Cadebat ſub Hercule Eryx.*] Butæ & Veneris filius, qui cum viribus plurimum polleret, hoſpites ad Ceſtuum certamen ſolebat provocare; cumque cecidiſſet multos, ab Hercule, ex Hiſpaniâ redeunte, ſuperatus occubuit, atque in monte, in quo Veneri Matri templum condiderat, ſepultus eſt. Unde mons Eryx, & Venus Erycina dicta. Ibidem.

5 *Quâ inſulæ parte erupiſſet.*] Dicitur apud Ennam rapta Proſerpina, dum legeret flores, nec procul eſſe paludem & ſpeluncam, habentem hiatum ſubterraneum, quo currum Plutonis cum Deâ raptâ delapſum ferunt. Ibid.

6 *Ubi rapta Proſerpina, ubi ſerta.*] Dum ſpatiabunda Perſephone flores legit in campis Enneis, à Dite incauta rapitur. Vide Claud. de raptu Proſerp.

7 *Vbi zona exciderit.*] Ceres undequaque filiam ſuam perquirens acceſſit ad fontem Cyanem; qui zonam Proſerpinæ, quam dum rapiebatur, reliquerat, mœſtæ parenti obtulit; ex quo conjicit Ceres, quâ viâ rapta eſſet filia.

8 *Cyane fluere.*] Hæc Nympha Sicula cum Proſerpinæ adverſus Plutonem ferre opem conaretur, ab illo dicitur in liquidum ſui nominis commutata fontem, qui in agro Syracuſano oritur. Vid. Ovid. Metam. l. 5.

1 *Fruſtra*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſit mirata. [1] Fruſtra uſurpare Eleuſinios aliena monumenta; [2] nec prope Cephiſſum, ſed à Siciliâ fuiſſe [3] Diti viam, quâ [4] dotalibus umbris ſponſam inveheret. [5] Errores inde Cereris referebantur, & nocturna religio, quæ tædas planctuſque ſecretos initiatis credit. [6] Primam noctis vigiliam inter illos ſermones cœna conſumpſerat; quod ex tuba ut conſtitit, imperavit Meleander ultimam menſam tolli. Sed de convivio conſurrecturos, jamque [7] libantes Mercurio, ſubitò ferox clamor, unoque per caſtra tumultu terribilis, longè alio motu complevit.

1 *Fruſtra uſurpare Eleuſinios.*] Dicti ſunt à Celeo Eleuſis rege, qui Cererem filiam quærentem liberaliſſimè hoſpitio excepit; in cujus rei memoriam Eleuſini ſolemnia ſacra inſtituere. Stat. l. 1. 12. Theb.

Noctivagumque gregem, quamvis ſibi luget Eleuſis,
Flevit, & arcanos errantibus extulit ignes.

2 *Nec prope Cephiſſum.*] Hic amnis per agrum Eleuſinum concitato curſu defertur in varios campos, ut teſtatur Pauſanias in Atticis, ibidemque locus oſtenditur, ubi Pluto Proſerpinam rapuit, nec procul petra, in qua ſedit mœſta Ceres, audito gnatæ caſu. Ovidius Metam. 7.

3 *Diti.*] Pluto Dis appellatur, quod ſub ditione ſuâ habeat divitias omnes, quæ ſub terra ſunt.

4 *Dotalibus umbris.*] Inferis, quos in dotem Proſerpina erat receptura.

5 *Errores inde Cereris & nocturna religio, quæ tædas planctuſque.*] Hos errores & furores Cereris imitabantur ſacerdotes, viri & fœminæ, Cereri facientes, nam & nocte, & cum ululatu, & cum facibus diſcurrentes Cerealia, ſeu Theſmophoria celebrabant, quæ nefas erat revelare, ob eam enim culpam Alcibiades Athenis exulavit. Vide ſupra lib. 1. cap. 3. Et Apollod. bibl. l. 3. Δήμητρα δὲ μετὰ λαμπάδων νυκτός, καὶ ἡμέρας κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν ζητοῦσα περιῄει.
Et Prudentius:

—— *Facem recincta veſte prætendit Ceres.*

Lactantius lib. 2. c. 21.

6 *Primam noctis vigiliam.*] In ternas horas quatuor vigilias noctis penſitabant, quas diſtinguebat tubæ cantus. De his fuſe Polybius.

7 *Libantes Mercurio.*] Græcos & Romanos in convictu familiari ciborum quiſquiliis & vino in ignem conjectis, conſtat libamina feciſſe Mercurio; & quædam adhibita menſæ fercula, quæ non guſtarentur, & pocula illata, è quibus non biberetur. Ultimum certè poculum Mercurio erat. Homerus l. 7. Odyſſ.

Σπένδοντες δεπιέεσιν ἐϋσκόπῳ ἀργειφόντῃ
ᾯ πυμάτῳ σπένδεσκον.

Teſtaturque Apollon. l. 1. in conviviis ultimùm ſacrificiorum partem linguas victimarum in ſacros ignes & parum vini conjicere morem fuiſſe.

Τέως ἐπίτε γλώσσῃσι χέον
Αἰθομέναις.
Interea accenſis fundunt libamina linguis.

Sic Homer. l. 3. Iliad. γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον,

Injiciunt igni linguas.

Quod fiebat in honorem Mercurii, cui erant linguæ conſecratæ.

JOAN-

JOANNIS BARCLAII ARGENIS.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Lycogenes provecta nocte, agmine bipartito Meleandri ſtationes adoritur. Ad reges convivantes famâ mali perlatâ, Radirobanes armis cingitur: Meleander inſignia ſuo capiti caventi Archombroto tradit. Is receptum intra caſtra Lycogenem ſuſtinet. Sed ultima auſurus Meleander in aciem redit, & ſupra ætatem fortis hoſtiles copias includere tentat. Archombrotus ſubito amplexu ligatum æmulum in terram affligit, & brevi pugione illius latus haurit.

CUM in caſtra jam pro militibus laxa perturbatus Lycogenes intraſſet, ferox mali inſaniâ, & mox neceſſitatis ingenio, ultimis conſiliis aperire animum cœpit. Inclinatam rem, niſi ſtatim erigeretur, ſiſti non poſſe. Noctem ſi ſuis ad cogitandum dediſſet, forſitan tutiora ſequuturos. Quid verò ſi nec ſimplici defectione contenti ex ſui ducis captivitate præmia apud Meleandrum quærerent? Infœlicibus inimicos omnes eſſe. Sed nec nova auxilia jam ſperari; nec apertâ vi ſe Regibus parem fore. Belli furto igitur opus, dum reſtabant quibus adhuc imperaret, & recenti gaudio cuncta in Meleandri caſtris fervebant. Oppreſſurum forte incautos; & in partibus eſſe noctem, illatos tumultus geminaturam. Celere ſaltem exitium pro beneficio fore pejora metuenti. His ſecum exactis primores amicorum advocat; oſtendit hoſtium caſtra. Et quid agere jam crediṫis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tis, ait, immerito ſuo victores? Gaudio marcent; & [1] inter ſuas infulas tanquam victimæ opprimi poſſunt. Age modò & transfugarum noſtrorum beneficio utamur. Laxaverunt ſuo adventu, tanquam bello jam confecto, quicquid nervorum erat in hoſtibus. Superveniemus ergo incautis; & quò plures ſunt, eò magis confuſo exitu ſeipſi onerabunt. Nemo fuit cui non videretur ſolertiſſimè dicere. Ad ſuos igitur quiſque digreſſi, monent ut ſufficere modò velint diis vocantibus. Offerri victoriam contra fœlicitatis impotentes. In ſolutos, vinoque depoſitos, eſſe eundum. Iram deinde acuebant; & verò ferendam ab iis omnem cladem quam non priores intuliſſent. Tenebræ, & dulcedo fallendi, ad alacritatem plurimùm erant; multiſque magnitudine criminum à ſpe veniæ excluſis, ſtrenuè aut mori aut vincere placebat.

[2] Cùm igitur provecta nox eſſet, bipertito agmine, quò latiori terrore hoſtem obruerent, iter ingreſſi ſunt. Via erat per patentes facilis campos, & ad ipſa hoſtium ducebat prætoria. Per eam Lycogeni placuit ire. Anguſta alia, ſed propior, dumis plurimùm tegebatur. Hanc iniit cum parte copiarum Menocritus, lentiſſimè progredi juſſus, nec aliquid antè movere, quàm prœliantem cum ſtatione Lycogenem ex tumultu cognoſceret: tunc & ipſi multo clamore in vallum niterentur; quippe dilapſis in Lycogenem illarum ſtationum militibus, nudum latus ſubitò occupaturi, vel averſuri ſaltem ab eo aliquam belli partem. Plus duodecim armatorum millibus hoc bivio in Meleandrum ibant, haud impar ad ſpem victoriæ exercitus; maximè in neceſſariâ fortitudine ferocior. Et ſilentio quidem ivere, donec in vigiles ſubito curſu irruerent.

1 *Inter ſuas infulas tanquam victimæ opprimi poſſunt.*] Erant enim infulati, ſive diademate cincti, pro majeſtate ſua Reges: cæteriſque triumphantibus, & convivalibus amicti ornamentis. Allegoria ducta à ſacrificiis, in quibus victimæ vittis amictæ cædebantur.

2 *Cum provecta nox eſſet.*] *Nox opportuna irruptioni*, inquit Liv. lib. 7.

rent. Tum verò quicquid ad horrorem valet, impigrè cumulaverunt. Tubas & tympana ex compoſito plura quàm pro uſu portaverant. Acceſſit inconditus clamor ſe mutuò ad victoriam invitantium.

Jamque pellebantur ſtationes: cùm qui proximi in tabernaculis erant, ſubito metu attoniti ſurgunt ad arma. Sed accenſo per tentoria tumultu, maximè à ſomno, aut vino venientes, ſeipſi inconditè premebant. Territi, ſemiermes, ſine imperio aut conſilio palantes. Quæ tam ſubita clades? Quis in caſtris graſſaretur? An externa hæc peſtis, an domeſticum proditionis nefas? Multi arma, fugam plures meditabantur. Neque ſatis ad ſigna poterant convocari, miſti tumultu, & inter tenebras licentiùs metuentes. Convivantibus Regibus famam mali ſimul clamor, ſimul nuntii attulere. Nec quid certi nunciabatur, niſi ad portas caſtrorum pugnari. Radirobanes à ſuis in tentorium raptus, cingitur armis. Eadem circa Meleandrum cura erat; cui ad ſecretum vocato Archombrotus toto ore interritus, Si pateris, ô Rex, ego hac nocte tuo periculo defungar. Quid juvat tenebris te committi, & pugnæ, quæ unde ſit, aut ubi, adhuc neſcimus? Subduc tuam ſenectutem ex qua tot mortalium ſalus pendet, ſive hoc prœlium eſt, ſive fortaſſe inſidiæ. Si placet, auſpicium tuum ſubibo meâque fortunâ ſi quid in tuum corpus paratur, excipiam. Arma tua, & chlamydem concede. Tu per portam quæ ab hoſte averſa eſt, egreſſus, cum delectis aliquot militum, ad neceſſaria pericula te ſervabis. Placuit fraus illa Meleandro, fidemque miratus per propria diſcrimina capiti regio caventis, tradit juveni ſua inſignia. Ipſe in ignotis armis ad portam cum pauciſſimis elabitur. [1] Apice ergo & purpurâ inſignis Archombrotus, cum iis qui conſcii fraudis erant tabernaculo egreſſus ferebatur, quâ pugnantium clamor vocabat. Præcipitatio; & quòd

1 *Apice inſignis.*] Galli, *une aigrette.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

quòd intra caſſidem vox incluſa ſuum genium non ſervat, vetuere ne qui loquentem audiebant, intelligerent non eſſe Meleandrum. Ubi verò ruit in pugnam, omnes non tam in hoſtem quàm pro Rege accenſi ad ſubſidium properavere. Lycogenes vallo reciſo occupaverat turrem; neque paucos ſuorum in eam receptos ulteriùs effuderat. Jamque in primis viarum anguſtiis per caſtra pugnabatur, cùm ferro Archombroti tres continuis ictibus ceciderunt. Qui circa illum erant, Regem ſenem in hoc robur valuiſſe credebant, & æmulis per lætitiam viribus pugnantem ſequebantur. Eo impetu territus hoſtis pedem verſus aggerem referre cœperat; cùm ex alia caſtrorum parte auditus eſt Menocritus, & ipſe cum ſuis ingenti ululatu noctis & belli pavores ingeminans. Dubio & multiplici malo territus miles, regi ægrè jam poterat; cùm Radirobanes ſtrenuè ad illam periculi partem converſus eſt. Occurrit ergo Menocrito, repellitque cum eo irruentes. Sed illi non periculis, non vulneribus tardati, ſolâ morte ſiſtebantur. Nunc in propugnantes erecti, nunc alternis tecti clypeis, & [1] pertinaci teſtudine ſuccedentes ad aggerem. Atrox facies rerum. Hinc Archombrotus jam receptum intra caſtra Lycogenem ſuſtinebat; illinc Radirobanes arcebat Menocritum. Utrimque infeſta nox, incertis per tenebras quid oppugnare potiſſimum oporteret, vel tueri; donec Lycogenes in proximum tabernaculum facem emiſit, ſuis admonitis ut paſſim caſtra incenderent. Hoſtem cum ſuis ſarcinis conflagrantem, ſibi ad victoriam lucem daturum. Contrà regius miles confeſtim diruere vicina incendio tentoria, ne ulteriùs diffunderetur incendium.

1 *Pertinaci teſtudine ſuccedentes, ad aggerem.*] *Teſtudo*, inquit Iſidorus, *eſt ſcutorum connexio, curvata in teſtudinis morem, quam ſupra caput ſic ſuſtinebant, ut non modo milites armati, ſed etiam equi nonnunquam ſuper illos clypeos incedentes in hoſtium mœnia inſilirent*; ut ſcribit Oppianus in Cynegeticis. Livius lib. 10. *Galli teſtudine facta conſerti ſtabant.* Et Tacitus Annal. lib. 13. *Hos in teſtudinem conglobatos ſubruendo muro inducit, alios ſcalas admoventes.* Denique Cæſar belli Gallici lib. 5. Saluſt. Curtius, Maro, &c.

1 *In*

cendium. Adjuvitque ſolicitos imber, qui impetu fuſus, malum compeſcuit. Sed & lubrica inde terra fallebat ſubinde militum pedes, neque certos ictus eſſe patiebatur. Nocte inter mutuas cædes exactâ tot corpora quæ jacebant, tantum ſanguinis fuſum, & omnia ſtrage immania, calidos furenteſque erexerunt in rabiem. Tanquam primùm ad certamen coiiſſent, toto impetu implicabantur, videbaturque ſingulorum potiùs odiorum crudelitas, quàm publicarum partium eſſe certamen.

Jamque non diutiùs ſuſtinebat Meleander abeſſe à ſuorum diſcrimine. Ergo ultima auſurus, juſſit Archombroto nunciari ſe eſſe in procinctu: at ille Eurymedi; ſi Rex cum ſuis advenerit, inquit, laborabimus multitudine, ô Eurymedes. Caſtrorum anguſtiæ tot propugnatores non capiunt. Præſtabit ex his ipſis quos nobiſcum habemus educere, qui improviſo circuitu terga hoſtium cædant. Nam quid equitatus noſter ceſſat? quid arcus inter tentoria iſta compreſſi? Facile Eurymedes aſſentitur Archombroto; delatuſque ad Regem, quid è re præſenti ſit, monſtrat; ſimul partem copiarum per averſa caſtra deducens, cum ipſo ad includendum hoſtem convertitur.

Lycogenes intellecto periculo (jam enim ultimam ſuam aciem circumveniri audierat) tamen ab hoſtibus quos habebat à fronte, in Meleandrum averti non voluit, ne ſpecies fugæ eſſet; ſed ad Menocritum mandata dimiſit, ut quàm ocyſſimè illuc ſuos inveheret. Cùm ille pareret, Radirobanes recedentem inſequutus, partem ſecum exercitûs eduxit. Multa planicies, & explicandis militibus apta erat: illic ergo Menocritus in Meleandri & Radirobanis medio deprehenſus, & utrimque [1] in arctum compulſus eſt; Balearicis ſagittariis & Siculo equitatu in apertâ demum pugnâ valentibus. Hi curſu effuſo, illi

1 *In arctum compulſus eſt, &c.*] *Amplius prodeſt locus, quam virtus*, inquit, Veget. *Conſul ubi ad iniquum locum ventum eſt, ſiſtit aciem.* Livius.

illi contentis arcubus, propè ſimul longeque turbabant. Tunc verò Lycogenes, gnarus ſi cum copiis deleretur Menocritus, de partibus eſſe actum, frendens, & animi impos, eò vexilla omnia ad ferendam opem egit, obliquo tamen curſu; ut & latus infeſtaret Meleandri, neque terga inſequuturo Archombroto præberet. Nec ſegniùs Archombrotus laxatâ caſſide vultus exeruit. Et ſum, inquit, ſum Archombrotus, Commilitones. [1] Dii bene quod Patroclo fœlicior [2] ſub majoribus armis fefelli. Regis juſſu quos videtis cultus ſumpſi, ne fruſtra nocturna diſcrimina ſubiret. Si ſalvum hunc vultis, bis vincendus eſt Lycogenes. Jam enim in regem contendit non tàm quòd victoriam illic ſperet, quàm quòd hîc victus eſt. Tamen à furentis & morituri impetu Regem eripite.

Poſt hæc dicta, quà direptum à Lycogene vallum erat prorupit; & acies acclamationibus exultans, ducentem ſequuta eſt. Nihil verò illo certamine crudelius. Alternis cohortes fugiebant, & ſequebantur; confuſa latè ſigna: non frons, non terga aciei, non latera aut cornua erant. Surgebant acervi cadaverum, & per ipſa mortuorum vulnera vivi pugnabant. Meleander ſupra ætatem fortis inter militarem audaciam ducis oblitus videbatur. Circa illum Eurymedes & Arſidas, eximiâ virtute ſimul intenti ad certamen, & Regi metuentes. At Radirobanes propriâ ferociâ, præmioque quod ſperabat accenſus, omnia audebat. Nunc hoſtium turbabat ordines, nunc vulgaribus non contentus periculis, quacunque rem perplexam aſpiceret, impavidus effundebatur. Sed non idcirco hoſtes cedebant. Rabies, & quid de Rege meriti eſſent nihil fallens conſcientia multùm ipſis commendabat

1 *Dii bene quòd Patroclo fœlicior.*] Patroclus aſſumptis Achillis armis, ab Hectore ſingulari certamine peremptus dicitur ab Homer. Iliad. lib. 16. Archombrotus vero tectus Meleandri armis incolumis, imo victor è pugna receſſit.

2 *Sub majoribus armis fefelli.*] Hic ſupra Achillem Meleandrum extollit.

1 *Ex*

bat nobiliorem in acie mortem. Eminebat Lycogenes notiſſimis armis, & per ſuorum ordines ferebatur, collaudans milites increpanſque prout cujuſque exigebant facinora; ſtrenueque ſi qua lababant, hoſtium cæde reſtituens. Tandem Archombrotus, inter ipſum pugnæ ardorem; animum ſumpſit ad facinus ſupra omnia quæ in acie edebantur eximium. Urebant juvenem & Radirobanes æmulus, & hoſtis Lycogenes. Itaque vicino Timonidi curam dedit eorum quos ducebat. Ipſe cum ſuorum aliquot avidè ruit quà pugnabat Lycogenes. Et ille ſe quæri indignatus, ultrò in venientes prorupit. Prior Archombrotus haſtili in pectus impreſſo cùm fruſtra illius clypeum tentaviſſet, haud mora grandi ab eo bipennis ictu ſine ſucceſſu excipitur. Uterque dexteræ ſuæ iratus, teliſque abſque vulnere redeuntibus, fatali quodam æſtu efferbuit. Ac dum repetunt ictus, dum armorum aditus veſtigant, Archombrotus moræ impatiens quàm proximè equum admovet, ſubitoque amplexu Lycogenem ligans, ſimul ab ipſo aſtringitur. Inter hos nexus mutuo pondere ad terram ducuntur. Eoque in lapſu, virtute & induſtriâ Archombroti evênit ut Lycogeni incideret. Plurimi militum uno turbine luctantes oppreſſere; hi Archombrotum, alii Lycogenem ſublevaturi. Verſabat ſe in arenâ Lycogenes obligatus tibiarum & lacertorum hoſtilium articulis. Sed Archombrotus, quamquam multùm inter turbam & ictus anhelabat, non paſſus attolli jacentem, brevi pugione repetiit vulnera quà lorica deſinebat, donec eum conſtaret expiraviſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

Archombrotus deciſum Lycogenis caput arrepto capillitio alte concutiens, ad pedes Meleandri projicit. Huic Radirobanes & Argenis palmam invident, ille propter ſuam ſpem, hæc propter Poliarchum ſuum. Meleander cæſis militum ſuorum corporibus juſta perſolvit.

UBI verò extinctum Lycogenem utrique viderunt, longus clamor diſſonuſque exortus eſt, his de victoriâ exultantibus, illis horridum ejulatum in proximorum funerum confeſſionem tollentibus. Incumbit attonitis acrior cum ſuo milite Archombrotus, terroremque per illorum aciem latè circumfert, utique poſtquam deciſum Lycogenis caput arrepto capillitio altè concutiens, de clade dubitare non paſſus eſt. Sat deinde quaſſatum ad Meleandri pedes projiciens; en, inquit, jam tranquillum Lycogenem, & cui fidere, ô Rex, poſſis. Pari exitio cæteri hoſtes, quotquot clementiam tuam nolent, deorum ſeveritatem experiantur. Meleander Lycogenis caput aſſervari præcipiens, in trepidos, & dilabentes invectus eſt. Jam enim totis campis non certamen, ſed ſtrages videbatur. Nemo ferebat ora victoris, aut revocantem audiebat Menocritum. Quidam montes ad fugam petiere; alii locorum periti in proximo antra; plerique quà metus & fortuna ferebat, improvidi errabant. Nonnulli curſu exanimes procumbebant in terram, mox fœdè inſequentium equorum ungulis protriti. Nullis in miſeros caſibus ruina pepercit. Radirobanes fugienti inſtans Menocrito, [1] ex armis & galeæ apice cognitum, capi præceperat. Nec ille, jam fugâ prærepta, ignaviter certabat, donec capto, ſubitiſque aſtricto vinculis, non modò non in hoſtem, ſed nec in ſe ſæviendi copia fuit. Veſpera erat, priuſquam

1 *Ex armis & galeæ apice cognitum.*] De armis ſeu ſcutis non rara volumina. Ulyſſes Delphinis inſigne in ſcuto prætulit, Alcibiades Cupidinis, & ſic de cæteris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

quam ſe ad Meleandrum omnes ex perſequendo hoſte reciperent. Et Rex quamquam peracto jam bello, in caſtris per tot mala corruptis pernoctavit; ſed prioris noctis furiæ inquieta gaudia ſuſpenderunt, appoſitis undiquaque vigilibus, ne quà bellum reſurgeret.

Nicopompus licèt de prœlio erat laſſus, tamen neſcio quâ hilaritate compulſus ad carmen eſt. Læticiæ impetu ad eum furorem ſponte vergente, qui rapta vatum ingenia diis miſcet. Ergo ſive quò maturius gratularetur ſuo Regi, ſive ut ex celeritate æſtimaretur induſtria; fortè etiam ut ineptos poëtas terreret, haud dubiè niſi ſtatim arcerentur verboſe cruciaturos victoriam; paucis horis condidit iſtud carmen, tradiditque [1] filio, adhuc ſcilicet prætextato, qui id Regi primo mane tanquam ſuos labores porrigeret:

Vicimus. ô magnis tandem exaudita piorum
Vota deis. Nunc [2] alma ſalus, nunc ſæcula curat
Juppiter. [3] Omnis iò Superûm domus, omnis honores
Ara ferat, [4] nullæque vacent à fronte coronæ.
Viderat inſidos latè ſævire maniplos
[5] Armipotens, [6] Siculaſque rapi vertigine mentes;
Quamquam ſævus amat ferrum, quamquam ardua multo
Sanguine tela madent; [7] ſemperque ad fræna tumultus,

Et

1 *Filio, adhuc prætextato.*] Puerili prætexta utebantur Patricii uſque ad annum circiter 17. Ita Livius, Tacit. Sueton. Macrob. l. 1. Saturn. Quint. *Prætextato filio relicto obiit.*

2 *Alma ſalus.*] Saluti, tanquam deæ, templum Bibulus Cos. in bello Samnitico vovit, dictator erexit. Erat illa juxta aram, quam Serpens Æſculapii ſpiris ligabat, geſtabatque calicem; teſtis eſt Pauſanias à Sciſcioniis ſimulachro fuiſſe donatam, à Græcis ὑγεία dicebatur. Ejus numiſma inſcriptum erat, *Salus publica, Salus Auguſti*; ab ea dicta eſt *porta ſalutaris.*

3 *Omnis iò Superûm domus, omnis honores Ara ferat.*] De armis vexilliſque hoſtium appenſis templorum tholis dictum eſt, l. 1. cap. 1.

4 *Nullæque vacent à fronte coronæ.*] Teſtis eſt Tacitus Annal. 3. erant antiquitus illæ coronæ ex lauru, poſtea fieri ex auro cœptæ; quod dictum aureum coronarium. de variis coronis vide alibi.

5 *Armipotens.*] Mars belli Præſes.

6 *Siculaſque rapi vertigine.*] Inſania tanta, ut à legitimo principe deficerent.

7 *Semperque ad fræna tumultus, & furor.*] Vide ſupra in Dianæ Hymno:

—— axibus ſeveris
Lethum, vim, gemitum, arma, fata ducis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Et furor, & fractæ vaſtis in mortibus haſtæ;
Has tamen invitus ſtrages, hæc funera vidit;
Tunc primùm iratus bellis, [1] *ex quo improba cœlum*
Terra Giganteæ tetigit formidine pugnæ,
Et [2] *Pallenæis Superi ſudaſtis in arvis.*
Ergo animis, vultuque calens, & grandior irâ,
Terribilem dextrâ [3] *pinum, lævaque frementes*
Exhortatur [4] *equos.* [5] *Vix Thracia liquerat arva*
[6] *Phryxeoſque ſinus, & jam* [7] *noſtri alta Pachyni*
Torvus inaſpecto pulſabat littora curru.
Tempus erat quo miſtæ acies, [8] *infenſaque ſigna*
Certabant, Regiſne forent, hominumque, deûmque,
Jura ſoli, an noſtris Erebus regnaret in oris.
Jam partes, Meleandre, tuas, jam numine toto
Aucturus, volucri Mavors ſe nube tegebat;
Cùm medio obſtupuit curſu, librataque tela
Continuit; rapidi vix audivere jugales
Imperium, & prono non ſat ſtetit [9] *orbita cœlo.*
Tum ſic ore loqui: Quænam hæc ſpectacula belli?
Invideam, læterne magis? Nil Marte faventi,
Nil opus eſt. Vincent, ſed non heu munere noſtro,

Quos

1 *Ex quo improba cœlum Terra, &c.*] Ex quo Terra filios in cœlum armavit. Gigantes filii Terræ bellum moverunt adverſus deos, & montes montibus aggeſſere, ut more teſtudinis cœli mœnia expugnarent. apud Ovid. l. 1. Metam.

2 *Pallenæis.*] Phlegræis. Pallene, quam alii Thraciæ, alii Macedoniæ adſcribunt. Phlegra olim dicta fuit à Gigantibus inhabitata, cum quibus dum Hercules pugnat, tonitrua & fulmina cœlitus emiſſa ſunt; Unde conficta fabula pugnæ deorum contra Gigantes.

3 *Pinum.*] Haſtam. Metonym. materia pro inſtrumento.

4 *Equos.*] Odryſios, ſeu Thracios.

5 *Vix Thracia liquerat arva.*] Vix deceſſerat è natali ſolo, Helleſpontumque trajecerat, ſeu curru prætererierat.

6 *Phryxæoſque ſinus.*] Helleſpontum à Phrixo, qui Helle ſorore comitatus, Ægei maris, ſeu Archipelagi fretum in Ariete cum trajiceret, illa victa metu aquis immerſa eſt, & ponto nomen dedit.

7 *Noſtri alta Pachyni.*] Siculum mare transfretabat, vel curru tranſvolabat Pachynum promontorium Siciliæ, Peloponneſum ſpectans, ab æris craſſitudine nomen habet, nam παχὺ, craſſum, dicitur.

8 *Infenſaque ſigna Certabant, regiſne, &c.*] Certabant, utrum Juppiter, qui juſto Regi æquus erat, vinceret, an Erebus, & Furiæ, quæ impellebant Lycog. cæteroſque rebelles.

9 *Orbita.*] Currus Martis. Hypallage.

I Quon-

Quos viciſſe velim. Virtus hæc fata peregit;
Indulſitque ſuis. Quænam hæc ſub caſide ſancta
Canicies? Tune his animis anniſque verendus,
Tu pugnas Meleandre; & nondum deficit hoſtis?
Talis ſydereâ [1] *quondam Saturnus ab arce,*
Aſſertor ſi ſtare ſui, ſi bella ſubire
Noſſet, adhucque recens dextrâ terrere periclum;
Non Latio celandus erat, non aurea noſtro
[2] *Sub Jove, mutatis liverent ſecla metallis.*
Quinam autem (ô animos! ô noſtram æquantia ſortem
Pectora! & emiſſæ pluſquam mortalibus haſtæ!)
Quinam illi mediis victores hoſtibus ardent,
Impelluntque acies? Parili quàm fulgure caſſis
Emicat & geminos mors efferа ſurgit in enſes!
Nempe ambo externum Siculis genus; ambo triumphos
Adproperant Meleandre tibi. [3] *Sardoa veretur*
Hunc dominum tellus, [4] *Libycis hic venit ab oris.*
Macte animis gens ambo deûm; Vos omnia famâ
Secla manent, [5] *donec veſtris ſervata lacertis*
Inſula ſpumantes circùm teret altior undas.
Quid reliqui, quid deinde duces? quid [6] *ſydera miles*
Promeritus? [7] *Vade ô celeri victoria greſſu,*
[8] *Sudantemque tuâ lauro deterge laborem;*

Vade

1 *Quondam Saturnus ab arce.*] Commiſſo Saturnum inter & Jovem prælio, devictus Saturnus profugit in Latium, ibique latens cum Jano regnavit.

2 *Sub Jove, mutatis liverent ſecla metallis.*] Nam aureum Saturni ſeculum, in argenteum, æreum, & ferreum tandem mutatum eſt, inquit Ovidius Metam. l. 1.

3 *Sardoa veretur Hunc dominum tellus.*] Radirobanem Sardiniæ Regem.

4 *Libycis hic venit ab oris.*] Archomb. ex Mauritania in Libya.

5 *Donec veſtris lacertis Inſula, &c.*] Dum veſtra virtute florebit, hoſteſque ſuos domabit Sicilia,

6 *Sydera miles Promeritus.*] Apotheoſim vel paulò minus: Apotheoſis enim Imperatoribus tantum decernebatur.

7 *Vade ô celeri victoria greſſu.*] Alloquitur victoriam, quaſi deam, quæ apud Athenienſes & omnes Atticos præcipuo cultu obſervata fuit. Romæ templum habuit ab Livio Poſthumo Cos. erectum bello Samnitico. Fingebatur alata, nam Mars anceps, hinc inde ſemper, &c. Cum corona ſeu palma, eam Athenienſes ſtrictè ligaverunt, (quemadmodum Martem Lacedæmonii) ne ſuis finibus evolare poſſet.

8 *Sudantemq́; tuâ lauro deterge laborem.*] Demulce belli ſudores tuis victoriis.

Vade lubens meritoque para ſubvecta triumpho,
Te ſimul, & magnos populis oſtendere Reges.
Dixerat armipotens; & jam fuga devia cœtus
Fregerat hoſtiles; diri ducis impia cervix
Jam ſummâ Libyci ſtabat victoris in haſtâ;
Cùm fragor humano major ſcidit æthera vaſtum,
[1] *Et plauſu Superûm, & furiis ululantibus hoſti.*
[2] *Iſta loquebatur Phœbus mihi, & iſte tumultus*
Eripuit, noſter dixit quæ cætera Phœbus.

Rex quamquam occupatus, dum mane induitur, totum carmen perlegit; cum Nicopompo jocatus, quòd adhuc rudem filium ſubſtituebat in gloriam ſuam. Miſit deinde ad Radirobanem, qui referrent, an jam adiri poſſet: nec multò pòſt cum procerum cœtu ad illius tentorium contendit. Ille quamquam auxilii quod Siciliæ præſtiterat, editæque fortitudinis, plus juſto erat memor, inter hunc tamen ſuperbæ lætitiæ tumorem ægritudine macerabatur, quam ingerebat Archombroti de Lycogene victoria. Tanto invidiæ ſupplicio incubantem adivit Meleander, humaniſſimè acceptum beneficium commendans, Sardiſque imputans momentum armorum. Victoria noſtra (inquit) ô hoſpes, tui operis eſt. Ego reſtitutis à te rebus cùm utar, ſæpiùs meminero hæc à te accepta quàm cogitabis te dediſſe. Fruere interim bonis auxilio tuo partis, & ex læticiâ populi intelligas quantum nobis præſtiteris. Radirobanes, quamquam nimiùm ratus verè hæc dici, publicè vetat Regem, ipſius verecundiam onerare. Cauſæ enim, & fœlicitati Meleandri omnia deberi: ſe quoque beneficium accepiſſe, cui ſanctiſſimis armis miſceri licuerit.

Sic

1 *Et plauſu Superûm, & furiis ululantibus.*] Senſus: ingens tumultus aëra complevit. Nam ſuperi plauſu excipiebant victores; & Furiæ victos ululatu laceſſebant.

2 *Iſta loquebatur Phœbus.*] Dum Phœbus poëſeos genius iſta carmina mihi ſuggerebat, reliquam poëſim confudit ingens ille plaudentium deorum & ululantium Furiarum tumultus.

1 *Quæ*

Sic inter ſe loquentibus nunciatur, Argenidem ad caſtra perveniſſe: illa pridie in Epeirctes mœnibus, unde pugna poterat proſpici, non lacrymis magis pepercerat quàm ſanguini miles: decolor, & nunquam fœliciùs habens, quàm cùm timor ſenſus extinxerat; nunc concedebat doloribus, nunc redibat in ſpem ac vires, nunciis identidem miſſis qui ſtatum pugnantium referrent. Nunquam tamen Poliarchus animo excidebat. Hunc intra ſe nunc dejecta, nunc cum jurgio alloquebatur. Malim ego, chariſſime, hos fletus, hæc incertæ mentis mala te ſcire, an ut facis ignorare? Perires mecaſtor ad dolorum meorum memoriam. Quòd ſi audies captam, aut ex hoſtili ludibrio, ſuâ manu, ſuo vulnere ereptam Argenidem; ô facinus! ô amor infœlix! nondum ſemel morte defuncta, jam nunc iterum tuo exitu conficior. Abes autem Poliarche? Tene, an inimicum aliquem deorum reum agam, quòd tam lentus es? Quæ oblivia? [1] quæ te in Africâ lotos à reditu arcet? [2] Non te genius tuus quid hîc rerum gereretur admonuit? Aut plus apud te odium patris, quàm noſtræ familiaritatis jura poſſunt? & qui ceſſare non potes, an, proh ſcelus! gratiora pericula inveniſti? Adeſſes, Poliarche; pugnares in hoſtem. certa eſſem victoriæ: deberet Siciliam, & me ipſam, genitor tibi; quæ nunc aut perire

1 *Quæ te in Africâ lotos à reditu arcet?*] Oblivio. *Hæc arbor*, inquit Plinius, lib. 23. cap. 17. *vocatur Celtis, tamque dulci eſt guſtu, ut nomen etiam genti terræque dederit, ſociiſque Ulyßis oblivionem patriæ induxerit, uti fertur in Odyſſ. Homer.* Hinc locus factus eſt proverbio. Loton guſtaſti, λῶτον ἔφαγες, de iis, qui diutius in peregrinis regionibus capti earum deliciis hærerent. Neque inconcinne dixeris in eos, qui ſimul atque voluptatem inhoneſtam deguſtarint, ad priſtina ſtudia evocari non queunt. Ita Tibul. l. 4.

Non valuit loto arreptos avertere curſus.

Aptè omnino hic uſus eſt Joh. Barclaius loto, namque lotos naſcitur in Africa, ubi ſunt Lotophagi populi, & forte tunc cum hæc Argenis quereretur, Poliarchus ægrotabat in Africa.

2 *Non te genius tuus quid hîc rerum gereretur admonuit.*] Vel genius præſes, quem cuilibet aſſignant, vel certe Gelanorus Poliarchi Achates, & Conſiliarius fidus in ultimis. Pauſanias aſſerit genium Jovis & Terræ filium fuiſſe ſine fœminæ congreſſu è ſemine Jovis in terram per ſomnum profuſo, figura quidem humana, ſed ambiguo ſexu, quem poſtea Agdiſtem appellarunt.

1 *Quod*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

perire pateris, aut ſaltem alienam gloriam eſſe. Nam ſi velles, non elementa, non caſus, non natura obſtarent redeunti. Poſt illam objurgationem, tanquam ſacrilegio confuſa quòd Poliarcho iraſci eſſet auſa, in contraria animum rapiebat. Satis ſibi dolorum & curæ, quòd in eâ acie genitor verſabatur. Si Poliarchus in idem periculum miſſus eſſet, non ſe ſuffecturam ſolicitudini. Benè, inquit, fata conſuluiſtis, quòd in tantarum rerum diſcrimine, ſaltem de Poliarcho non timeo. Donec vivet, donec erit incolumis, quid me calamitoſam exiſtimem? Aut quid tantopere formido? quaſi ille in fidem, vel dii in illum, ut æqui ſunt, peccare unquam poſſint.

Hæc & talia inter lachrymas expendentem, quæ paulisper peplo ſummiſſo tegebantur, nunciata hoſtium fuga, quam & ipſa utcunque cernebat, in ſolatia erexit. Tunc paſſa alloquentem Seleniſſam, & gratulationem cæterarum quæ proximè conſtiterant. Populus quoque in palatium ſequutus redeuntem, ſuo more intemperanter lætabatur. Poſterâ luce, cum maximâ civium parte ad caſtra ſe contulit. Sed ne integra illi gaudia eſſent, crebra in populo fama effecerat, pactum ipſius cum Radirobane conjugium ita credente, ut etiam tanquam votis virgini gratis rem palam celebraret. Rex inter ſuaviſſimi amoris lachrymas venientem amplexus eſt; Et te, gnata mea, jam heredem Siciliæ teneo, inquit. Periere qui gentium jure perverſo ad ſe regnum trahebant. In Radirobanem deinde intuens; hic eſt, mea Argenis, inter cœleſtes Siciliæ tutelas numerandus. Deûm virtute, illiuſque, ut hodie regnemus, effectum eſt. Archombrotum præterea eximiè commendans, ad minores quoque duces, & præcipuè exteros, laudatione aptiſſima deſcendit. Argenis convenientibus verbis unumquemque proſequuta, viciſſim audiebat gratulantes: & à ſolius Radirobanis, quem timebat, blanditiis, ut licuit potuitque averſa eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT III.

ARGUMENTUM.

Sumpto de captivis crudeli ſupplicio, in caſtrum Epeircten Rex victor reditum maturat. Lauro miles caput ſuum cingit. In currum inſignibus majeſtatis & victoriæ ſpectabilem ſola Argenis attollitur. Præit Archombrotus læva frænum temperans, dextra opimum ſpolium geſtans Lycogenis caput. In fanum Iovis proceditur, peractiſque ſacris ad arcem Hic Argenis & Poliarchus acrius angi, vellet hunc per Archombrotum reduci Sed ubi Radirobani conſtitit Argenidem ad Archombrotum iviſſe. Exarſit illicò ſuſpicio, & frendens Radirobanes cum Virtigane ſecedit, qui accenſum demulcet, ſuadetque affinitatis conſilium aperire.

MELEANDRO Epeircten redituro ſolùm obſtabat, [1] quòd perſolvenda cæſorum corporibus juſta erant. Jam enim & ſponte, & monitu vatum, diſperſus ad opus exercitus poſtremæ in mortuos pietatis officia urgebat. [2] Hi cædere arbores, advehere alii, thoros cæteri multo gramine apparare Sedulitate tam variâ extiterunt ſubitò pyræ; & funera in quamlibet digeſta jacuerunt, maximeque vulgaria. Nam præcipuorum cadaverum multa, quò precioſius cremarentur, pietas propinquorum lecticis abvexerat. [3] Rogos ergo militari pompâ ſubornant devictorum exuviis, ut inter omnis generis tela & arma, trophæorum inſtar eſſet. Qui privatas neceſſitudines invenerunt, purgatis lymphâ vulneribus, uncti-

1 QUod perſolvenda cæſorum corporibus juſta.] Hic mos à Græcis ad Romanos per Scyllam tranſlatus eſt, qui verebatur ne corpus ſuum exhumaretur. Virg. l. 6. Æneid

Nec minus interea ſtantes in littore Teucri
Flebant, & cineri ingrato ſuprema ferebant.

Vide ibidem reliquos ritus funebres.

2 *Hi cædere arbores.*] Ita Virg. l. 2. Æneid.

Per ſylvas Teucri, miſtique impune Latini
Erravere jugis, ferro ſonat alta bipenni
Fraxinus.

Et rurſus:

Jam pater Æneas, jam curvo in littore Tarchon
Conſtituere pyras, huc corpora quiſque ſuorum
Morte tulêre patrum, ſubjectiſque ignibus atris,
Conditur in tenebras altum caligine cœlum.

3 *Rogos ergo militari pompâ ſubornant devictorum exuvias.*] Ibid. Virg.

Hinc alii ſpolia occiſis direpta Latinis
Conjiciunt igni galeas enſeſque decoros,
Frænaque, ferventeſque rotas: pars munera nota
Ipſorum, clypeos & non fœlicia tela.

1 *Uncti-*

[1] unctique, aut ut cujuſque opes erant ornati, expectabant ignium munus. Omnium verò capitibus [2] corona data ex Apio, victoribus & mortuis quippe conveniens; nam & tumulis eam herbam amabant inferre, & Græcia plerorumque certaminum victores coronabat hoc præmio. Fœminarum multitudo, puerorumque convenerat; planctuque & jacturâ comarum, ultrò incipiebat exequias celebrare; ut appareret non conductas lachrymas eſſe. Sive propinquos deflebant, ſive mœſticia ſpectaculi, aut ejulantium tot exempla, non ingratum lugendi impetum vulgo admoverant.

Compoſitis cadaveribus, [4] pullatus Meleander procedit ex caſtris. Sequebatur Regem exercitus, [5] verſis telis, & in terram negligenter pendentibus. In hunc modum [6] funebrem campum aliquoties ambiere; [7] juſſis per vices clamoribus, rurſuſque non minus atroci horridoque ſilentio.

1 *Unctique.*] Ungendi corpora mortuorum mos apud omnes gentes fere ſemper viguit; & id, qui agebant, dicebantur Polinctores. Sic apud Mart. l. 10.

Jam ſcrobe, jam lecto, jam polinctore parato.

2 *Corona victoribus & mortuis, &c.*] Honos cæſorum militum inferiis adorea dicebatur. Apium autem in manium ſacris & feralibus cœnis apponebatur, ut in certaminibus Gymnicis, Iſthmicis ludis, ut inquit poſtea.

3 *Ut appareret non conductas lachrymas eſſe.*] Inſtar earum, quas ære conductæ præficæ emittunt, utpote quæ hîc more Iliadum vere lamentarentur, de quibus Virg. l. 2. Æneid. — *Sed*

Hîc matres, miſeræque nurus, hinc chara ſororum
Pectora mœrentum.

4 *Pullatus Meleander.*] Sic Ovid. l. 6. Metam.

Diripit ex humeris auro fulgentia lato,
Induit atque atras veſtes.

Juvenal. Sat. 3.

Nemo togam ſumit, niſi mortuus, &c.

5 *Verſis telis, & in terram negligenter pendentibus.*] Cornel. Tacit. l. 3. annal. *Incompta ſigna, verſi faſces*; in quem locum, Juſtus Lipſius; *quia*, inquit, *in dolore omnia fieri præter morem amant, etiam lictores, faſces præferebant inverſos.* Pedo in Eleg. ad Liviam:

Quos primum vidi faſces, in funere vidi,
Et vidi verſos, indiciumque mali.

Nec faſces ſolum ſuos lictores; ſed milites etiam invertebant ſcuta & arma. Virgil. — *Et verſis Arcades armis.* Manent in militia noſtra hodie veſtigia hujus ritus.

6 *Funebrem campum ambiere.*] Ita Virg. l. 2. Æneid.

Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis, &c.

Et Ovid. l. 13.

Terque rogum luſtrant, & conſonus exit in auras
Ter plangor.

7 *Juſſis per vices clamoribus.*] Ita Euripides in Oreſte, & Ovid. l. 13. ut ſuperiore notâ, & Virg. lib. 3.

Et magna ſuperum voce ciemus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

lentio. Rex denique ad maximam pyram venit, facemque accenſam manu ſuſtinuit, donec ſocios jam arſuros miles conclamaviſſet. His tertiò vocatis, vultu operto, [1] averſuſque, ignem ſubjecit. Idem Radirobanes ad alium rogum fecit, Archombrotus ad alium. Cæteros ſubito amicorum officio flamma corripuit. Sed [2] atrociſſimum fuit de captivis inter concitatos furenteſque ſupplicium. Et parcebatur quidem [3] gentilibus. Sed qui externi ſub Lycogene meruerant, producebantur vincti ad rogos, & multipliciter confoſſi fundebant ſanguinem, quo ignis ſpargebatur. Invocabat miles victor ad tam dira ſolatia manes ſodalium; donec Rex abominatus crudeles inferias, captivos qui ſupererant ſervari tanquam ad alia ſupplicia

Homer. Iliad. 23.

Ψυχὴν κικλήσκων Πατροκλῆος δειλοῖο.

Iterum Virg. lib. 5.

Salve ſancte pater, iterum ſalvete recepti
Nequicquam cineres, animæque umbræque receptæ.

Idem Virg. l. 6.

—— Dixitque noviſſima verba.

Nam ubi præfica noviſſimum iſtud verbum pronunciaverat, Ilicet, quod eſt, ire licet, qui comitati funus erant, domum abituri, extremum vale alta voce pronunciabant hoc modo, vale, vale, vale, nos te ordine, quo natura promiſerit, ſequemur. Varro Logiſtorio ſcribit, *ideo mortuis ſalve & vale dici, non quod valere, & ſalvi eſſe poßint, ſed quod ab his recedamus.*

1 *Averſus, ignem ſubjicit.*] Nempe oculis averſantibus funus. Ita Virg. 6. Æneid.

—— Et ſubjectam more parentum
Averſi tenuere facem.

2 *Atrocißimum fuit de captivis ſupplicium.*] Credebant cruore placari manes virorum fortium, unde vel captivorum vel gladiatorum, vel victimarum ſanguine rogum aſpergebant, vocatis manibus. Virg. 2. Æneid.

Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæſos, ſparſuros ſanguine flammas.

Hinc origo gladiatorum buſtuariorum ab Hetruſcis. Ita Damaſcenus Nicolaus: *οἱ Ῥωμαῖοι παρὰ Θυῤῥηνῶν παρέλαβον τὸ ἔθος.* Hetruſci vero à Græcis. Hermippus apud Athenæum, *τῶν μονομαχούντων εὑρετὰς ἀποφαίνει τοὺς Μαντινεῖς.* Tertullianus: *Olim quoniam animas defunctorum humano ſanguine propitiari creditum eſt, captivos mercati in exequiis immolabant: poſtea placuit impietatem voluptate adumbrare.* Et Servius ad hoc Virg. l. 10.

Viventes rapit inferias, quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat ſanguine flammas.

Moris erat, inquit, *in ſepulchris virorum fortium captivos necare, quod poſtquam crudele viſum eſt, placuit gladiatores ante buſta dimicare, unde buſtuarii dicti, quod Homerus Achillem feciſſe ait ſuper Patrocli rogum,*

Δώδεκα μὲν Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλούς.
Bis ſenos juvenes Trojano ſanguine cretos.

3 *Gentilibus.*] Ex eadem gente.

1 *Publici*

plicia præcepit. Ad cadavera autem hoſtilia, ne per infeſti aëris tractus, in morte etiam nocerent, [1] publici lictores cum uncis ſunt dimiſſi, qui in proximos gurgites foveaſque inſepultos provolverent.

Mox tumultu intepeſcente, & pyrarum labentibus flammis, [2] Meleander conſcendit in ſuggeſtum. Illic breviter, ut Regem oportebat, eos laudavit quibus ſepulturæ honorem habuerant; Victores appellabat; & in morte fœlices, qui inter ipſam virtutem defuncti, non periclitarentur ſuas laudes ullo facinore ullave fortuna corrumpere. Pulcherrima hos præmia brevis doloris ferre, diis manibus charos, futuroſque in terris famâ ſuperſtites, [3] donec ulli Siticines canerent. Converſus deinde ad circumſtantium præconia; navatæ operæ, fideique ſervatæ, gratias egit. Deos quidem, virtutemque, & conſciam rectè mentem, gratæque poſteritatis memoriam, viris fortibus mercedem ſummam eſſe: ſibi tamen præterea curæ fore, ut beneficium in memorem Regem, benè collatum cognoſcerent. Luctu depoſito ſe in urbem ſequerentur [4] lætioribus ſacris operaturi. Aderant ex compoſito familiares, qui ad hæc verba (nam & [5] ſacerdos aquam luſtralem

1 *Publici lictores cum uncis.*] Virg. l. 2. Æneid.

——— Corpora paſſim
Multa virûm terræ infodiunt avectaque partim
Finitimos mittunt in agros.

Dicuntur vero lictores, ait Feſtus, *quod faſces virgarum ligatos ferunt; ut magiſtratibus parentes, plagas delinquentibus ingerant.*

2 *Meleander conſcendit ad ſuggeſtum.*] Ad laudandos Epicedio ſeu funebri oratione occiſos; Ita Cor. Tacit. Annal. l. 2. & l. 3. *Defletum in foro, laudatum pro roſtris.* Et paulo infra meditata ad memoriam virtutis carmina & laudationes.

3 *Donec ulli Siticines canerent.*] Commendabuntur donec vigebit ille mos, ut Siticines, apud ſitos ſeu mortuos næniam tuba canant, hoc eſt ſemper. Statius de Archenoro:

Tibia enim teneros ſolitum deducere manes.

4 *Lætioribus ſacris operaturi.*] Ad referendas Diis grates, pro reportata victoria. Idcirco Romani, victores Capitolium conſcendebant. Æneas 2. Virgilii:

Vota deûm primo victor ſurgebat Eoo, &c.

5 *Sacerdos aquam luſtralem ſpargebat.*] Ut cædes ablueret patratas in acie. Ita Virg. 6. Æneid.

Idem ter ſocios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, &c.

lem ſpargebat) [1] detraherent ejus humeris funebrem veſtem, [2] palmatamque reponerent. [3] Alii Pæanem exorſi ſunt, [4] ex fœlici omni gramine aut arbore decerpentes, quod temporibus manuque geſtarent.

Jamque omnibus præparatis, Rex cum ſuis Epeircten redire maturabat. Nec viſum eſt triumphare; quia de civibus victoria erat. Proximus tamen triumpho reditus fuit. Nam & milites lauro, & qui pompam procurabant, oleâ caput incinxerant: Antecedebat cum ſignis exercitus, & vario cantu ad ſpectaculum [5] invocabat læticiæ deos. Currum omnibus majeſtatis & victoriæ inſignibus ſpectabilem, Meleandro admoverant: ad quem ille cùm Radirobanem invitaret, longa fuit humanitatis contentio. Radirobanes hunc Argenidi locum aſſerebat convenire: Sederet cum Patre princeps virgo. Ambo conſpicui populo eſſent, ambo omina plauſuſque exciperent: illis deos, illis fortunam pugnaviſſe. Se ſanè, ſi ipſi paterentur, [6] equum funalem inceſſurum; ſi nollent, currum proxime ſequuturum. Palàm erat à juvene ambitioſiſſimo hæc

1 *Detraherent ejus humeris funebrem veſtem.*] Ut parum convenientem victori.

2 *Palmatamque reponerent.*] Regiam veſtem & triumphalem, ſic dictam à palma intexta, vel, ut aliis placet, à latitudine clavorum; & picta veſtis dicebatur tunicæ Jovis ſimillima. Martial. lib. 7.

Palmatæque ducem ſed cito redde togæ.

3 *Alii Pæanem exorſi.*] Pæan Hymnus eſt triumphalis, propriè ſacer Apollini; quemadmodum Baccho Dithyrambus, Dianæ Hypingos, Cereri Iulus, Veneri Eroticus, &c. Pæan autem ſeu proſodia, non ſolum in averſione malorum decantabatur; ſed etiam in victoria, nam interfecto Pythone, carmine Apollo celebratus eſt, quod pæana dixere. Virg. 6. Æneid.

Lætumque choro pæana canentes.

4 *Ex fœlici omni gramine.*] Lauro, apio, olea, quercu; vel gramine, tanquam patriæ ſervatores eſſent. Quæ corona obſidionalis dicta, nam obſidionis vindici texebatur ex obvio gramine, quod in obſeſſo loco reperiebatur. Sic Plin. lib. 22. cap. 3. Et Livius 7. ab urbe condita.

5 *Invocabat lætitiæ deos.*] Bacchum, Cererem, Minervam, &c. Ita Virg. l. 1. Æneid.

Adſis lætitiæ Bacchus dator.

Et lib. 10. Ceorg.

Adſis ô Tegææ favens, Oleæque Minerva.

6 *Equum funalem.*] Funales equi ſunt, qui fune, ſeu reſte juncti currum triumphalem præcedunt, σειραφόροι dicti. Suetonius in Tiberio: *Dehinc pubeſcens Actiaco triumpho currum Auguſti comitatus eſt, ſiniſteriore funali equo, cum Marcellus Octaviæ filius dexteriore vehe-retur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

hæc amori tribui, & ſpei nuptiarum; cui cum non perſuaderet Meleander in currum conſcendere, aut expectare dum alius ornaretur, ipſe quoque vehi non voluit. Denique non Principum modò conſenſu, ſed & votis acclamantium militum, [1] ſola in eum Argenis collocatur. Currum Reges [2] in equis, & ipſis laureatis, præcedebant. Ante illos Archombrotus in candido equo ibat, lævâ temperans frænum, dexterâ optimum ſpolium geſtans, Lycogenis caput; in quod alacer populus intuebatur, gnarus illic ſummam eſſe victoriæ. [3] Arborem armis Lycogenis indutam miles quidam præferebat Archombroto chariſſimus. Neque procul [4] Menocritus gravis catenis viſebatur. Prætoriani autem, militumque præcipui, tam currui quo Argenis vehebatur quàm Regibus circumfuſi, in virginis quidem honorem [5] licentiam triumphalem, ſaleſque prætextatos omiſerant; ſed nuptiales paſſim deos, Hymenæumque, & Junonem, & Erycinam vocabant, nunc in Argenidem, nunc in Radirobanem intenti. Ortum à Sardis hunc ludum credidere. Et cùm Siculi conve-

1 *Sola in currum Argenis collocatur.*] Senec. Octav. lib. 4. Scena 1.

Sublimis inter Civium læta omina.

2 *In equis, & ipſis laureatis.*] *Triumphi inſtrumenta omnia lauro cingebant, capita, equos, arma, naves, tabellas, poſtes, columnas, &c.* Ita Plin.

3 *Arborem armis Lycogenis indutam.*] Trophæum, arbor erat truncata ramis, & lorica, galeâ cæteriſque armis victi onuſta. Virg. 3. Æneid.

Ingentem quercum deciſis undique ramis
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezentii ducis exuvias, tibi magne trophæum
Bellipotens; aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaque trunca viri, &c.

4 *Menocritus gravis catenis.*] Sequebantur vel præcedebant triumphum vincti, qui victi fuerant, ut eum ornarent. Quod dedecus reverita quondam Cleopatra morſu aſpidis declinavit.

5 *Licentiam triumphalem, ſaleſque prætextatos.*] Militibus maxime prætextatis, proximis victori licebat Feſcenninos verſus & ſales in triumphatorem jactare, ne humanitatis immemor ſuæ, ſupra ſe extolleretur. Sic Julio Cæſari in Capitolium aſcendenti identidem repetebant; Aſcende, Calve. & Sueton. 49. in Jul. Cæſare:

Gallias Cæſar ſubegit, Nicomedes Cæſarem:
Ecce Cæſar nunc triumphat, qui ſubegit Gallias,
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Cæſarem.

Item,

Urbani ſervate uxores, Mœchum Calvum adducimus.

1 *Impe-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

conveniſſe de nuptiis inter Reges arbitrarentur, lubentes futuri Principis animum per hos jocos laceſſiſſe. At non Argenis hæc patiens audiebat, indignata victoriæ ſi eo pretio emeretur, jamque propè Radirobani inimica.

Interim populus, fores ornatas [1] impedierat lucernis atque lauro. Quiſquis [2] majores ex cera in atriis habebat, apertis armariis ſimul genus oſtentabat, & mortuorum imagines citabat ad gaudium. Civium quoque diſtincti ordines, obviam Meleandro proceſſerunt. Primus erat puerorum, in pexâ, & candida veſte chorus, [3] rudi pæane pluſquam jubebantur clamantium. Mox quotquot in urbe Muſicam excolebant; hi voce, illi plectro ac fidibus Regi canentes. Succedebant artificum collegia; quos ſtatim Magiſtratus ſequebantur quiſque [4] cum infulis dignitatis. Hi Regem longiſſimâ gratulatione morati, locum miniſtris deorum permiſere, qui ultimi in honorem veniebant. Signa quidam ex iis, & inculti operis veteres deos, coronas alii, omnes [5] ignem præferebant; tutò, nec ſine prudentium riſu, deorum omina ingerentes, prænunciatumque [6] Lycogenis exitium [7] ab avibus, * fulminibuſque,

1 *Impedierat fores lucernis atque lauro.*] Ovid. 2. Metam.

Tu ducibus lætis aderis cum læta triumphum
Vox canet, & magnas ducent Capitolia pompas
Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos,
Ante fores ſtabis, &c.

Tacit. 3. Annal. *Domus feſto ornatu.* Et Juvenal.

Ornentur poſtes, & grandi janua lauro.

2 *Majores ex cera in atriis habebat, ſimul genus oſtentabat.*] In his imaginibus cereis (quas ad triumphi conyivii-que gaudia citabant) antiqua conſiſtebat nobilitas. Unde Juvenal. Satyr. 8.

—— Quid prodeſt, Pontice, magno
Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Æmilianos,
Fumoſos equitum cum dictatore magiſtros?

Expreſſi cerâ vultus ſingulis diſponebantur armariis, ut eſſent imagines, quæ comitarentur gentilia funera, ſemperque defuncto aliquo, cum titulis, ſpoliis hoſtiũ, ſecuribus, ſtemmatib. &c.

3 *Rudi pæane.*] Carmine vel acclamationibus, iô Pæan, iô vivat, iô triumphe. Ovid. 2. de Arte:

Dicite iô Pæan, & iô bis dicite Pæan.

4 *Cum infulis dignitatis.*] Qualis eſt latus clavus, tunica talaris, &c.

5 *Ignem præferebant.*] Sacrum & æternum ignem, qui mos erat ſupplicationum: Darius apud Quint. Curt. ignem præire volebat exercitui, quaſi victoriam auſpicaturum.

6 *Lycogenes exitium ab avibus.*] Ab auguribus obſervato præpetum volatu, cantu oſcinum, extiſpicio, tripudio ſoliſtimo.

7 *Ab avibus.*] Quarum aliæ dictæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

buſque, & [1] extorum prodigiis. Inter hanc pompam Rex ad portam urbis pervenit;in cujus limine ſublimem ſtatuerant Pacis imaginem, [2] cujus dexteræ Mars Olivam inſerebat. & adulatione immaturâ, quaſi pacatæ res Siciliâ totâ eſſent, ſubjecta imagini tabula Meleandrum affabatur his verſibus:

Victor ades, tecúmque redux (pater optime gentis
Sicaniæ) feſto Pax cingitur aurea cultu;
[3] *Et cœlo niveis Pietas demittitur alis.*
Aſpice quàm facili redeunt tibi [4] *Numina curſu;*
Aſpice quàm ſubitas mutat [5] *Concordia terras.*

Alma

ſunt oſcines, quod cantu ſive garritu augurium facerent, ut corvus, cornix, noctua. Præpetes aliæ, quod volatu crederentur ventura prædicere, dextraque auſpicia portendere, dum opportune prævolarent, aut ſedes idoneas caperent, in ſpatio ſive in templo quod lituo deſcripſerat Aruſpex, ut aquilæ, vultures; ab iſtis apud Plutarch. in Romulo, ab hirundinibus in Antonio, à paſſeribus in Sylla, quam inſpectionem, dexteram Statius 3. Theb. appellat,

Si probibes, hic necte moras dextriſque profundum
Alitibus prætexe diem.

* *Fulminibus.*] Captabant etiam auguria ex tonitru ſive fulmine. Quod ſi ex ſiniſtra ad dextram emicuiſſet, auſpicium erat optimum, ſine quo nefas quicquam agi.

1 *Extorum prodigiis.*] Extiſpicina, qua motum ex ſingulis hoſtiæ jam mactatæ membris ſacerdotes rimabantur cor, pulmonem, renes, maxime vero jecur. Exta autem triſtia, irata, &, ut loquitur Anicanus, ominoſa, quando pallida, lucida, tabida, marcida, vitioſa, aut cum omnibus ſuis partibus non conſtabant, aut aliqua labe, puſtuliſque aſperſa: quæ loco mota, & naturali ſitu minimè poſita; quæ ſplendida, bene colorata, integra, plena, ſolida, abſque macula & vitio, hæc bona, hæc læta dicebantur. Exta porro Aruſpices mente & cogitatione in duas partes dividebant, unam hoſtilem, inimicis; alteram familiaribus, amicam, ſeu ſacrificium offerentibus tribuebant: Atque utriuſque partis colore, tabe, habitu, plenitudine, diminutione, quid adverſariis, quid ipſis eventurum eſſet, ariolabantur. Hinc Lucan. l.10.

——— *Venaſque minaces*
Hoſtili de parte videt.

2 *Cujus dextræ Mars Olivam inſerebat.*] Symbolum pacis, cum Mars, hoc eſt, bellum, paci quaſi in poſterum regnaturæ olivam inſerebat. Octav. Auguſtus pacem cum oliva in ſuis numis juſſit effingi.

3 *Et cœlo niveis Pietas.*] Ovid. l. 1. Metamorph.

Ultima cœleſtum terras Aſtræa reliquit.

Vel certe pietatem illam intelligit, quæ Romæ templum habuit in foro oleario ex munificentia Manlii, T. Glabrionis Duumviri, eodem loco quo habitaverat pia illa fœmina quæ patrem ſuum fame damnatum diu lacte ſuo ſuſtentavit. Dicitur evolaſſe niveis alis, unde ſacra erat illi ciconia, avis miræ pietatis in parentes.

4 *Numina.*] Pietas, concordia.

5 *Concordia.*] Non in Sicilia modo, ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Alma quies, diveſque labor, ſe numine miſto
Indulgent latè campis: Hîc flore comanti,
Hîc culmis ſtipatur ager. Se blandiùs ulmus
Porrigit, & lapſæ [1] *repetunt connubia vites.*
Bella procul, ſcelerumque minæ, ferrique licentis
Nunquam tuta fides. Solio ſublimis avito
Tu, Pater, & tantùm [2] *lex tecum armata ſedebit.*

Rex à portâ proceſſit in editum Jovis fanum. Inde Menocritus in carcerem miſſus, & cum eo Anaximander, quem paulò antè Catanenſes vinctum adduxerant (ſed ille ex vulneribus intra quatriduum, alter non multò pòſt ægritudine animi deceſſit.) [3] Fractæ quoque Lycogenis imagines, edictumque ne ſervari privatim, aut in ſuorum deinde gentilium ſive honoribus ſive funeribus has aſpici vel ferri liceret. Peractis inde ſacris ad arcem Meleander digreditur. Feſſus erat pridiano certamine, curiſque, & mox ipſa læticiâ. In cubiculum itaque ſecedit, ſumptaque leviter inter domeſticos cœnâ componitur ad quietem. Neque minùs imitatione ſoporis, ſolitudinem quæſiverunt in graviſſimis curis, Radirobanes, Archombrotus, & Argenis. Singulos ſuus dolor urebat. Radirobanes quamquam plenus temerariâ ſui fiduciâ, graviter tamen acceperat virtutem ſucceſſumque Archombroti; & populi voces, & vultus in eum Meleandri. Sed ut imparem

ſed etiam Romæ tantâ colebatur obſervantiâ iſta Dea, ut multa templa habuerit: Nam & Camillus, & Gracchi, & Julius Cæſar, & Livia Tiberii mater varia conſtruxere. Ita Petronius in Satyr.

1 *Repetunt connubia vites.*] Suis alligantur palis, in quos aſſurgunt.

2 *Lex tecum armata.*] Legem arma tuentur.

3 *Fractæ quoque Lycogenis imagines.*] Viris illuſtribus, ſeu dignitate, ſeu ingenio erigebantur ſtatuæ, ita Julius Cæſar in Commentariis, heroïbus & magnis viris, &c. ſi quid tamen indignum dignitate priſtina geſſiſſent, eorum evertebantur imagines, ut Vitellii, & Othonis, apud Tacitum, &c. Idem Tacitus 3. Annal. *Effigies Piſonis traxerant in Gemonias, ac divellebant.* Juvenalis:

Deſcendunt ſtatuæ, teſtemque ſequuntur.

Iterum Tacitus Annal. lib. 6. *Atroces ſententiæ dicebantur in effigies ac memoriam ejus.* Idem lib. 11. *Juvit ejus oblivio ne ſenatus cenſendo nomen & effigies Meſſalinæ privatis ac publicis locis dimovendas, &c.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

parem contemnebat: niſi quòd omnia magnus amor formidat. Verſus igitur in contemplationem ſui, quantum auxilio, quantum viribus præſtitiſſet, ſuavi ſopore & per fœlicis prælii imaginem ludente, eſt obrutus. Altiùs ictus erat Archombrotus: expertus nihil eſſe crudeliùs quàm quod homines appellant ſuaviſſimum amorem. Nec tam ſibi nocere fortunam arbitrabatur, quàm ſilentium ſuum. Se enim haberi in privatis, dum genus atque opes patitur ignorari. Nihil eſſe conſultius, quàm ut ſuas fortunas atque vota apud Meleandrum profiteretur. Hæc ita decernenti, occurrebant parentis mandata, adhibitique jurejurando dii, ſe in Siciliâ ſui generis indicium non eſſe facturum. An ergo ſcribere ad parentem, an ipſum illuc ire ſatius eſſet, jurisjurandi gratiam petiturum? Tardum utrumque videbatur. Minùs tamen ſcribendi diſplicebat conſilium. Nam ab Siciliâ tamdiu abeſſe, hominis eſſe credebat non ex merito amantis Argenidem. In hac animi tempeſtate inquieto ſtrato negligenter jactatus, mentis mala tranſire ad corpus non ſatis ſentiebat.

At Argenis multiplici malo confuſa ad ſolatium adhibuerat Seleniſſam. Simul ambæ de Poliarcho & Radirobane querebantur. Cur ille abeſſet, aut heu miſeræ iſtum viderent? O gravem (mater) victoriam! inquit Argenis. Quid intereſt Lycogenes an Radirobanes vicerit? niſi fortè, quod ereptus à Lycogenis telo pater jam parricidio meo concidet. Nam ſi me Radirobani tradet, ego effugium in morte inveniam, & mei vulneris dolore conficiam patrem ſenem. Ergo vel in prædam nata ſum; vel in ſpolium, mercedemque victoriæ? Ergo fatum mihi in exitium deſtinavit quæ præcipua dabat, regnum & formam; & ideò tantùm perveni in Poliarchi notitiam, ut ſcirem me indignam quæ tantæ virtuti conjungerer? Quid hunc autem ceſſare exiſtimas, Seleniſſa? An experimentum capturus conſtantiæ meæ, hæret alicubi diſſimulatus, & in Inſulâ forſitan iſtâ? An inſidiis æmulorum petitus

titus

titus eſt vir fortis, ideoque non ſuſpicioſus? Cui jam verò fidere poſſim? quem exploratorem ſuæ ſalutis, quem miſeriarum mearum nuncium mittere? Sub hæc in lachrymas lapſa audiebat Seleniſſam, majora ſolatia, quàm quæ ipſa capiebat, credebatve, ingerentem: donec reſumpto loquendi impetu; non prima, inquit, ſum, ô Seleniſſa, quæ infœliciter amaverit. Quid fortunæ manus damus? Mors ultimum remedium erit, & quod nunquam effugiet. Poſſim cultu mutato ire ipſa, & inveſtigare Poliarchum? hei quòd non ſufficio illi audaciæ, rudis fraudum, nec fronte ad mendacium obductâ; fortè etiam, (ſed hoc leviſſimum eſſet) inter labores expiratura. Præterea, neque me ſequi poſſes, & in crimen ſubſtituereris, ſi Rege ignaro elaberer. Audi quid potiſſimum probem. Archombrotus eſt, ut intelligis, amiciſſimus Poliarcho. Cauſam abſentis pridem egit apud Regem, author maximè ut revocaretur. Facilè efficiam, ut Poliarchum quærat, reddatque Siciliæ. Neſciat tamen quæ me illius videndi cauſa ſollicitet. Aliquid poterit fingi; nec carebit veri ſpecie mendacium quod ad crudelitatem exegerimus ambæ.

Laudavit ingenium Seleniſſa; ſive fraus illi placebat, ſive defeſſa, ſibi & Argenidi quærebat ab eo luctu quietem in reliquas noctis horas; quibus ab inſomni Argenide conſumptis, Præfectum cubiculi vocat, & de Lycogene occiſo pauca quædam locuta, palàm jubet ab Archombroto ſciſcitari, ſatiſne à vulneribus (nam levia, ſed pleraque acceperat) eâ nocte valuiſſet. Meditabatur enim blanditias, gravia de merito juveni imperatura. Archombrotus, tanquam in cœlum raptus, & propè non dubius ſe amari, præfecto reſpondit, ſi Meleander & Argenis valerent, quoniam ab eorum ſalute pendebat, ſe ſatis eſſe incolumem. O mortalium mentes, plerumque timentium gaudia ſua, & calamitates amantium. Lætus juvenis, ignaruſque conſilii quod Argenis iniverat, fatigabat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſupervacuis cogitationibus animum, & in limine virginis ſtabat, ut egredientem ſalutaret. Nec ingratus advenit; totoque itinere, dum ipſa ad Meleandrum procedit, cum eo colloquuta, nihil dum tamen de Poliarcho dixit; nondum enim matura res erat; & ſermonibus illis ſolitudo debebatur. Ecce autem novos errores. Radirobanes, ab amore non ſanus, habebat pecuniâ emptos, qui de Argenide, & Meleandro aſſiduè referrent. Ergo adhuc in cubiculo hærenti nunciatur, Argenidem primo mane ad Archombrotum miſiſſe. Illum ſtatim adfuiſſe; & oppidò quàm familiariter virginem illi loquutam. Exarſit illico ſuſpicio, & ut in litigioſa fœlicitate, non ſecus animum ad amandum, quàm antea ad bellum compoſuit. Frendens cum Virtigane ſeceſſit; quâ arte, quove prætextu Archombrotus tolli poſſet: aut quid indignius quàm ab æmulatione ignoti privatique Regem tantum metuere? Mulcebat accenſum Virtiganes, [1] elevando Archombrotum; ſuadebatque eo die aperire Meleandro (cui ad prandium promiſerat) ineundæ affinitatis conſilium. In expedito rem fore; deſpectumque Archombrotum inſaniæ pœnas ad ſatietatem daturum; cui ſi magis anxiè aut publicè vellet Radirobanes iraſci, nimia ſupplicii ſolatia forent, tantum Regem æmulatione uſſiſſe.

CAPUT IV.

ARGUMENTUM.

Cleobulus Meleandro cauſas, effectus, & remedia defectionis recenſet. Cauſas *eſſe docet opes nimias, quas Regum beneficio accumularunt.* 2. *Honorum ac præfecturarum famem inſatiabilem.* 3. *Reverentiam quam ſibi conciliaturos putant.* Effectus. *Pereunt urbanæ & ruſticæ opes. Latrociniis magis quam conſtantia creſcit miles.* Remedia. *Factioſorum vires non ſimul, ſed per partes accidantur. Non præfecturæ vel arces iis committantur, aut ab illis erigantur. Non acie Rex, nedum fœderibus cum perduellibus coëat.*

HIs curis amotis vacuus Meleander, majora procurabat. Belli enim non temnendæ reliquiæ erant, Syracuſæ;

1 *Elevando Archombrotum.*] Deprimendo. Antiphr.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

racuſæ; Lilybæum, Agrigentum, & quæ cæteræ urbes à Lycogene ſteterant. Illis ſimul opprimendis an dividi præſtaret exercitum, an in ſingulas totis viribus niti, conſulebat Cleobulum. Is nihil dubitabat de deditione oppidorum; quia nemo factioni ſupererat quem ducem dignarentur. Satis eſt, inquit, ô Rex, ſi minari perſeveres, oſtenteſque pauliſper armatum exercitum; tantùm ut timor pœnitentiam civitatum acceleret; à quibus propediem, videbis hîc legatos. Nam præter ingenium lymphatæ, amabunt redire in naturam, quam videbatur excuſſiſſe defectio. Ne time. Bello iſto defunctus es: Sed nec illius verè cauſa in civitatibus fuit; & ſi dehinc ſecuritatem amas, longè alii ſunt malorum fontes, quos obſtruas. Meleander tot recentium malorum crudâ imagine ſolicitus de futuro; curandum eſt, inquit, ut diuturna ſit hæc regni reſtituta valetudo. Nec unquam certiùs quàm cicatricibus adhuc novis, deprehendemus vim telorum, & formam; quibus paulò antè ſaucii, rurſus peti poſſumus à fortunâ. Quod ſi inter atrocitatem periculi objeciſſes, quæ antea à me peccata ſunt, non tam monere quàm exprobrare viſus eſſes. Nunc autem in tuto, ſi quod ſentis ediſſeres, in futurum cautio erit ne eadem peccemus, Cleobule. Ille veritus quamquam volentem Principem contumaci libertate irritare, amoliebatur omnem ab eo culpam. Temporum enim, hoſtiumque & fatorum eſſe crimen. Et poſtquam eâ modeſtiâ, conſiliis quæ parabat obnoxium Meleandri animum fecit; quamdiu, inquit, lenitas in virtutibus erit, non dicêris ullo vitio impuliſſe labentem in clades Siciliam. Lenitate, inquam, tuâ malignitas fatorum in tuas & patriæ clades abuſa eſt. Illa facilitas, illa indulgentia in Magnates, illa tua tuorumque Majorum incauta in eos profuſio, prodidit præcipuas imperii vires, aperuitque injuriis deſpectam dignitatem. Jam quidem perculſi ſunt; jam ſilebunt defeſſæ factiones. Aſt ubi reſpirarint, expecta alios fluctus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

[1] niſi ventos pluſquam Æolico utre tenueris. Pugnabunt erumpere; & quamdiu nimis poterunt illi, nunquam ſatis Reges poteritis. Nec in tyrannidem te adorno. Ipſis quoque conſules, ô Rex, ſi efficies ut timore, aut faſtidio culpæ, paulatim inquietos mores dediſcant. Tum Meleander; ſcio, inquit, ex his nubibus fervere pleraſque procellarum. Sed vires eorum hominum adultæ ſunt, & ipſo tempore patientiâ Regum jam propè legitimæ. Has itaque accidendo, vel injuriam facere credar, quia natam ante me potentiam percellam; vel nimio in conatu regias vires jam ſæpè delibatas, & quarum infirmitatem celari intereſt, inconſultò experiar. De ſucceſſu (reponit Cleobulus) meliùs ominare; dum ordine, & per partes evellas eam ſegetem quâ iſti luxuriant. Sed nec crede iniquam fore cauſam, & quam dii homineſque non probent, ſi pugnabis pro regiâ dignitate, & Siciliam à parricidio prohibebis quo ipſa ſe furiis mactat. Quinam illi ſint, vide; unde proceſſerint; quæ illos machinæ faſtigio ſuo admoverint. Utcunque ſe jactent; majorum tuorum beneficio, opes comparavere, in præfecturas miſſi ſunt, regiæque amicitiæ indulgentiâ hoc culmen condiderunt ex quo hodie ſive ipſi, ſive eorum poſteri certant in Reges. Tua ſunt ergo tela quibus laceſſeris: tua acies tot mucronum, cæcâ diſcordiæ manu infœlicitatem ſui authoris voventium. Si merentur, ſi ferre fœlicitatem ſuam non poſſunt, ab iis duntaxat recipe quod à vobis acceperunt. Nudos mediusfidius relinques, cogeſque obliviſci ſpirituum, quibus nunc intumeſcunt, veſtras apud ſe mirati divitias, ſuæ verò ſortis ignari. Ac quò maturiùs conſulas ſceptro, vide quàm multum coaleſcat illorum in vos imperium; quàm

1 *Niſi Æolico utre.*] Alludit ad Ulyſſem, qui ventos in utre recluſos accepit ab Æolo, ut patet ex Odyſſ. Homeri, & Ovid. l. 14.

Æolon Hippotadem cohibentem carcere ventos
Quos bovis incluſos tergo, memorabile munus
Dulichium ſumpſiſſe ducem, flatuque ſecundo
Lucibus ille novem, &c.

1 *Quan-*

quàm publicè, quàm periculoſo conſenſu hæc veluti jura peccandi nunc afferant. Inter ſe æmuli, inimici; tamen vix libenter accipiunt à Rege ullum premi. Quiſquis ergo rebellat, cæteri adſunt vel publicè, vel privatis affectibus. Nunc cauſæ ſe addunt, nunc tempore utuntur jam ſatis occupato, quo alio jurgandi prætextu diſtrahant Regem. Alii tuum latus, tua caſtra non deſerunt. Sed lento, & per ambages fracto regiorum conſiliorum aut militum uſu, diu volunt rebellium contumaciam conferri viribus ſceptri, ne videatur indignum Regibus aut impar eſſe periculum, aſſueſcatque populus vereri hos motus & pati. Ita ſibi ipſis & exemplum faciunt, & exitum ornant, ſi iraſci in Regem contigerit. Hanc conjurationem niſi antevertis conſiliis, [1] quantum aberis à Merganiæ fato. Regio erat ſub uno formidanda, nunc ſegnicie vel patientiâ imperantium, adeò in varios Principes lapſa, ut domino tota exciderit.

Quamquam recenti memoriâ tenes, Rex, quid hæ poſſint factiones; permittis hîc tamen earum cunabula, & ingenium percenſeri. Nam & accendi te volo, vel parari ad patientiam haud dubiæ cladis. Igitur ſi quos amas, ſi quos attollis, præter veterum Optimatum libidinem, tanquam de eorum bonis ſit quod largiris, excedunt ab Aulâ, queruntur ſe contemptos, in arces, in præſidia, quæ iis credidiſti, confugiunt. Fortunas populi deflent; exanimati [2] regni ſanguine paucas hirudines repleri; non ferendam eorum ſuperbiam qui faſcinato Principi illudunt, vetereſque & emeritas ſtirpes inexperto recentis potentiæ gaudio calcant. Frequens hæc quidem (ut noſti diſſidendi eſt

1 *Quantum aberis à Merganiæ fato.*] Anagrammatiſmus, id eſt, à calamitate Imperatoris Germaniæ, qui cum ante ſub ditione ſua provincias omnes teneret, tandem factum eſt, ut privati imperium inter ſe dividerent.

2 *Regni ſanguine paucas hirudines repleri.*] Illuſtris comparatio, cum hoc verme, de quo Plin. Jun. l. 32. c. 10. *Diverſus hirudinum, quas ſanguiſugas vocant, ad extrahendum ſanguinem uſus eſt; quippe eadem ratio earum quæ cucurbitarum medicinalium ad corpora levanda, ſanguine ſpiramenta laxanda judicatur.*

1 Com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

eſt ratio, proruendique ad civilia arma. Sed & aliæ præterea cauſæ illis ingeniis faciunt defectionis audaciam. Diu ipſis largitus, ceſſes utcunque: Magiſtratus, Præfecturas, jam plenis, necdum tamen ſatiatis negaveris: Iis arcana omnia non credas; habeas alios fideliores tibi: Non acceſſeris odiis, quibus æmulos devovent: Illicò indignè haberi ſe putant; frendentque, tanquam contumeliâ violati. Alii, ut reverentiam ſibi concilient, & quid poſſint Regem admoneant; quærunt offenſionis materiem, & gratis ineunt conſilia in publicam pacem. Cæterùm quæcunque illos occaſio tollat in rixam, viribus quas vos Reges tribuiſtis ſuccincti, mox clientes armatoſque inveniunt, eò prolixiùs quòd hæc ſecedendi facinora ſemper inulta ſunt, & plerunque præmia habent. Sic erecti, ſic veluti in ſuo regno collecti, opimiora ad conciliandam pacem à vobis Regibus extorquent, quàm ſi ipſis obſequium & fides manſiſſet; veſtro interim auro, veſtriſque ſtipendiis (quis ferat?) militant acies quas in vos educunt. Ærario veſtro feroces, aut rationem imperii depoſcunt à vobis, aut regnandi modum præſcribunt. Veſtri coloni ſunt, veſtri cives, qui pluſquam externis tumultibus per hæc bella eruuntur. Quid deinde? Emitis pacem, (Reges:) His prodeſt peccaviſſe. Vos in regno nunquam bonâ ſide pacato, expectatis ſoliciti ex quo cinere ſe flamma refundat; cui placeat gloria novæ litis, quæ fœderum tabulæ jam pleniſſimis libris addendæ ſint. Minimum putem, quòd hæc bella, hæ paces, exterarum gentium ludibriis evileſcunt; quodque minor quàm pelago fides eſt, ſive quietem agimus, ſive tumeſcimus. Majora ſunt vulnera, quibus viſcera patriæ lancinant illi mores. Robur enim maximæ gentis, & cui ſi hæc abſint incommoda, nulla non ceſſerit, hic aſſiduus & peſtilens ventus affligit. Pereunt urbanæ, & ruſticæ opes, quaſcunque provincias turbo afflaverit. Conſumitur impetus animorum; & Prudentum quos multos habemus, ſolertia, digna Orbi imminere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

minere, his domi pacandis tota vix ſufficit. Inſtituuntur præterea animi juventutis ad audaciam, & contemptum majeſtatis, infandamque dulcedinem belli civilis, in quo furor & aviditas, ſubitas pugnas & præſentia præmia habet. Ita domeſtico facinore marceſcit quicquid ad terrorem exterorum. Dii Siciliæ noſtræ tribuerant. Neque putes hæc eſſe rudimenta flagrantium animorum, qui caſtrenſi diſciplinâ eruditi, æſtus inter ſe conceptos, mox in peregrinum hoſtem validiùs effundant. Utinam hæc ſolatia ſaltem eſſent civilis inſaniæ. Sed ne iſthic tyrocinium ad fortitudinem aut militiam credas; cogita quàm ſæpè plus vanitatis & minarum hi turbines habeant, quàm juſti laboris in caſtris. Conveniunt illæ cohortes in arcibus, urbibuſque obnoxiis; facilem civem, aut imparatos agreſtes diripiunt. Hæc plerunque fortitudinis ſumma. Acies raræ; nulla, aut ſubita diſcrimina; quia obnoxiè placantur, & ante fortunam armorum ab facinore donatos dimittitis. Sed etiam ut bella hæc durent, ut ſæviant mutuæ turbæ; at interim miles opimæ patriæ ſpoliis ſaginatur, & in bonis miſerorum civium bello quàm pace delicatior, latrociniis magis quam conſtantiâ, robore, arte, imbuitur: ut ad diſciplinam deinde veri & ſobrii Martis, & in externis regionibus interdum infœcundi, frangatur enervi faſtidio, doceatque diverſiſſimos eſſe labores, prædatoris & militis.

Temnimur interim, ô Rex; & ſi quid in vicinos minaris, robori minùs ſuo quàm malis noſtris fiſi, tuos conatus deſpiciunt. Largitione tantillâ facile credunt excitare de Siculis, qui civili ſeditione te implicent. Sic tradunt te iis debellandum, per quos tuis auſpiciis debuerunt everti. Nobiliſſimæ genti infamiam an perniciem hæc plùs creent, ipſe exiſtima. Vis denique quod tui cives queri poſſunt hîc audire? [1] Componendis his fluctibus olim

1 *Componendis his fluctibus olim populus ad regiam poteſtatem reſpexit.*] Vide librum 1. Regum, ubi Iſraël Regem poſtulat, Saulemque in ſolium evehit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

olim populus ad Regiam poteſtatem reſpexit. Ne collideret Optimates ambitio, ne unam gentem factiones dividerent, eſſetque timendum à civibus, quod hoſtes ſolent minari, tranſtulere in regem purpuram, ſolium, ferrum. Quod ſi adhuc in regno vexantur reipublicæ malis, quid precii illis erit traditi ſui juris, exutique imperii? Aut illos in libertatem reſtitue, aut domeſticam præſta quietem, propter quam libertatem reliquerunt.

Meleander ad hæc verba ingenti ſuſpirio pectus concuſſit; & faciliùs argui morbum poſſe reſpondit, quàm expelli medicinâ. Jam ſe Eriſthenem & Oloodemum, ferro ultum. Lycogenem occubuiſſe. Si ad illud exemplum quotidie ſeveritatem res exigunt, ſibi ipſi in odium venturam poteſtatem quæ ſanguine Optimatum alenda ſit. Summa in illis indoles (inquit) animi vigor, multæ virtutes. Scilicet extinguam, aut premam hæc ſydera? Omnia autem? Sed illud inhumanum; & fortaſſe ſupra regias vires. Quænam igitur? Nempe ſuſpecta. At verò & ſolæ ſuſpicionis pœnas luere eſt indignum; & præterea ſæpè nullum eſt ante tumultus ſuſpicionis veſtigium. Impetus in vividis mentibus præceps haud raro ſimul cogitat, ſimul excit hos motus. An omnes habebo meâ rigiditate averſos? Vivamne feræ inſtar in ſolitudine; an potius novis hominibus regiam implebo? Acerbius mehercule ipſo malo remedium. Deos & fata ſpero, poſtquam ſumus emoliti acerrimam tempeſtatem, pro habenâ reverentiam noſtri fore expertis quid poſſimus. Saltem, Cleobule, quàm mitiſſima conſilia habes exprome.

Tum Cleobulus. Faveo tibi, ô Rex: Id eſt, Proceres quantum licet tecum excuſo. Læti in illis, & ingentes ſunt animi; & hæc ipſa quæ arguimus magnæ indolis notæ ſunt; &, ſi legum habenis teneretur, rebus publicis ſalutaris: nunc quia illam paſſi eſtis laſcivire, eorum quæ cogitat, quæque audet, inclino in vos Reges invidiam. Cæterùm cùm virtutes ac vitia non plùs ex merito æſtimentur

mentur quàm ex populari judicio; nihil mirum, ſi conſuetudo & peccantium claritas, atque ſucceſſus, nobilitaverit hanc culpam: quam ſi premi & eripi cupis, revocanda eſt paulatim ad ſuorum natalium vilitatem. Hoc autem efficies, primùm nominis veri dedecore, ut apud te perduellio, conjuratio, perfidia nominetur: non ut ſolet, magnitudo animi, prudentia, ſocietas, publici boni cura. Deinde ut qui à te ſeceſſerint, ſaltem efflagitatæ veniæ humilitate frangantur; cùm nunc (miro gentibus ritu) damnare te ſoleas, publicis profeſſus codicillis hos eſſe innocentes. Nam ſi rei non fuerunt ſumptis armis, certè tu reus in quem illa ſumpſerunt triſte dictu. Si hæc poſtrema exceperis arma, in quibus ſimpliciter victor es; [1] vide ſub te & patre tuo turbas. Omnes eâ cautione dimiſſæ ſunt, ut terras populatas, conſcriptos milites, cætera defectionis facinora, nimiâ ſimulatione, & prodente captivitatem imperii, imputaretis vobis. Juſſu hæc veſtro, aut veſtri gratiâ, eſſe patrata, publicis chartis ſuſtinuiſtis inſcribere.

Sed durum eſt, premere illas ſtellas. Enim nec obrui illas, ac nec regi oportet inhumana ratione. [2] Luceant, ô Rex: dum meminerint cui Soli lumen hoc debeant, nec caliginem faciant tuo orbi. Ferè neceſſe videbatur alicujus ſanguine lui hoc crimen. Extorſit atrocitatem remedii à tuâ bonitate cum Oloodemo Eriſthenes; & infœlix vindex Lycogenes, cæterorum animos aliquandiu ſui memoriâ tenebit. Quiſquis autem temporum iſtorum oblitus, in hunc ludum primus deſcendet, ocyùs hominem preme, non tardis, non incertâ conſultatione libratis

1 *Vide ſub te, & patre tuo turbas.*] Vidit Gallia civiles motus multis retro ætatibus ſub Carolo IX. Henrico III. Henrico IV. Ludovico XIII.

2 *Luceant, ô Rex.*] Illuſtris Allegoria, quam proſequitur Cleobulus poſt Meleandrum, qui prius dixerat, ſcilicet extinguam aut premam hæc ſydera? Reſpondet Cleobulus, luceant dum meminerint, cui ſoli lumen hoc debeant, ſcilicet Regi, qui quaſi Sol ſuos pro nutu participes facit ſuæ lucis ſubjicitque, nec caliginem faciant tuo orbi, ſupple, civili tumultu.

1 *Æs*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tis conatibus. Ipſe tibi expeditionem deſume, ne tuorum ducum prævaricatio illam cauſam inutili morâ conficiat. Si audebis, ſi non cunctaberis, multi majeſtatis reverentiâ capti tuum auſpicium ſequentur; qui dubitare incipient de ſuo officio, ſi & videberis deliberare an impunè poſſis offendi. Tunc nitendum, ne timidâ remiſſione ſpirituum videaris iſtorum temporum oblitus, aut veniam petere extincti Eriſthenis. Conſentias cum impetu iſto, ut tuus eſſe potiùs videatur quàm fortunæ. Fœdera, leges, pacta, cum armato rebelli, nec audi. Unum ſit pœnitenti remedium; ſi ſupplicet, ſi ſupercilium ponat, ſi ſe & cauſam damnet. Lenitatis tuæ erit ſic compoſito indulgere; niſi nimis pernicioſe erraverit, aut in neceſſitatem diſtulerit pœnitentiæ larvam. Sed ignoſce eâ lege, ut aliquid ipſi in mulctam decedat. Si provinciam à te habet, partem ex eâ deliba quam alteri tradas; ſi arces aut ſuas, aut regias, unam ex iis futuræ fidei pignus cape. Timebunt alii ſpolia dare ad regiam Gazam, qui nunc contrario voto [1] æs, faſces, præſidium audent in precia pacis exigere. Cave autem dare hos reos precibus cognatorum, qui apud te in illos militarint. Nam vix ulla vulgarior fraus eſt, quàm iſtorum Optimatum, non ſtudio, non vero affectu, ſed veluti ſordibus, ſe in adverſa dividentium caſtra. Fratres, affines, patrueles, hic pro te, ille cum factioſis ſtabit; ut victoriâ aut favore in utramlibet fortunam ſecuri ſint. Hos te maximè ſuſpectos habere æquum eſt, ô Rex; & ſi anxiè pro cognatis ſuis orant, propemodum hoſtes.

De ducibus factionum hæc ſentiam. Sed quid illi abſque militum manu? Hi ſunt ſanguis, hi nervi tumultum; Nec in eos impunè ſeveritatem omiſeris. Quos igitur placidis rebus ſeu præſidiarios milites ſeu prætorianos conſcripſeris, ſi defectione obortâ Præfectos forſitan ſuos

1 *Æs, faſces, præſidia.*] Pecuniam, dignitates, præfecturas.

1 Cin-

ſuos in Regem ſequentur, iis infamis ſit miſſio. [1] Cingulum ponant. Nullus pœnitentium clamor, nullæ procerum preces te moveant. Diſcant non tam Præfectos venerari quàm te in illis. Quippe hos ſecum à te ali, à te pendere. Ita exercitus quos comparas, quos in pace educas, ſyncerè erunt tui; nec te Magnates creditarum fiduciâ copiarum deſpicient. Si qui autem concitato tumultu, nullis ſtipendiis tibi devincti, ad factionem acceſſerint, his mitiora imperari non abnuam. Simplicis defectionis rei ſunt. In eos, ſi lubet, manſuetudinis obtine famam; modò veniam te dediſſe, non ſe ingratiis uſurpaſſe, intelligant.

Sed de ſuppliciis ſcilicet, mulctiſque jam agimus: atqui antè vincendi ſunt; aut quod eſt humanius flectendi, ne aut vinci mereantur aut plecti. Duo ſunt, ô Rex, quibus Proceres in te armantur, ſolicitanturque ad ambitum. Has tu vires ſi ſolerti ratione ſubduces, te, an illos, plùs juveris, nondum intelligo. Sed nunc ea non licet memorare. Video enim ad te venire Sardiniæ Regem. Reſpexit Meleander; & Radirobanes jam aulam intraverat. Ergo, quamquam invitus, dilatis arcanorum ſermonibus, proceſſit ad hoſpitem, & hilariter colloquutus ad convivii locum deduxit.

CAPUT V.

ARGUMENTUM.

Tempore convivii quo Radirobanem Meleander excipit, illo mentionem de fœderibus cum Argenide ineundis injicienti, ſolertior hic reſpondet. Eurymedes ludorum tempus eſſe monet, in Orcheſtram proceditur. Verum dolis, non ludis intentus eſt Radirobanis animus. Perpendentique quپſnam Argenidi familiares donis corrumperet, viſum eſt ſi de Seleniſſa bene meritus eſſet, facilem de Argenide fore victoriam. Miſſi pretioſi muneris fulgore anus concutitur.

AMPLISSIMA Regiæ ſedes erat, foribuſque laxatis populum ad ſpectandum admitti placuerat. Illo jam

1 *Cingulum ponant.*] Una eſt ex pœnis levioribus militiæ, & nota infamiæ, ſiquis ignavus extitiſſet. Ita Livius & Tacit. Sueton. paſſim.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

jam ævo [1] mos erat Siculis accumbere in conviviis, veſcique ex lectulis. Sed vetuſti ſæpè mores occultâ veneratione afferunt rebus auſpicium, quas Reges publicè obeunt, aut Sacerdotes procurant. In illum itaque diem Meleander majorum conſuetudinem revocavit, ut convivæ ſederent. Invitaverat Optimatum præcipuos. Ipſa Argenis aderat cum delectis matronarum; ingens æmulis procis ad odium & veſaniam incitamentum. Furebat in Radirobanem Archombrotus, impetu vix ſe premente. Nec integrior Radirobanes furtim intuebatur, ſi quid ille in Argenidem inſpiceret, aut ab eâ aliquo nutu dignatus exultaret. Uterque furioſo timore plurima fingens, improviſos aſpectus, aut geſtus, in ſuam trahebat injuriam.

Peracto convivio Radirobanes amoris odiique impatiens, Meleandro ſignificavit, ſi ocium eſſet, ſe ſecretò colloqui velle. Statim Rex cum eo ſecedit in porticum; & Radirobanes, ſi apud alium agerem (inquit) ejus animum meis votis pararem, Optime hoſpes, referendo me Sardiniæ, & Corſicæ eſſe Regem; [2] Baleares inſulas meas eſſe; occupari à meis plures portus hinc in Africâ, inde in orâ Liguriæ; terras illas populo & opibus graves; claſſem ingentem, & formidoloſam mari, quodcunque ſe ab Oceano ad nos defundit. [3] Adderem ſeriem Regum, quorum antiquiſſimos ferunt à diis generatos. Sed apud te alia oratio habenda. Ego hoſpes cum hoſpite quæro arctiora fœdera inire. Liceat meam fortunam miſcere cum tua;

1 *Mos erat Siculis accumbere in conviviis.*] In thoris ſtratis in triclinio cum ſyntheſibus. Virgil. Æneid. lib. 1.

Conveniunt ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.

Rurſus,

Convenere thoris juſſi diſcumbere pictis.

2 *Baleares.*] Sic dictæ ἀπὸ τοῦ βάλλειν, Jaculari. Fundibularii enim & ſagittarii erant peritiſſimi, à puero quippe coacti funda eſcas deturbare ex editis locis. Virg. 1. Georg.

Stupea torquentem balearis verbera fundæ.

3 *Adderem ſeriem Regum quorum antiquiſſimos.*] Nam Sardus Herculis filius, teſtibus Strabone & Solino, è Lybia veniens cum multitudine colonorum inſulam occupavit. Et Hiſpali Herculis filia nomen & primordium urbi, quæ nunc Sivilla eſt, atque adeo toti Hiſpaniæ dedit.

1 *De*

tua; aut, ut ſimpliciùs loquar, nomen patris, & auſpicium in me ſume. Tua ſunt quæcunque poſſideo. Filiam tuam mihi deſponde. Nec ſcio utrum has nuptias avidiùs expetam, ut te ſocerum, an ut uxorem hanc habeam. Sic loquutus nullam intulit de allato auxilio mentionem; quod maximè apud ſenem valiturum ſperabat.

Meleander, præfatus à ſe omnia Radirobani deberi, conditionem, inquit, affers, chariſſime hoſpes, non accipi modò, ſed anxiè quæri digniſſimam. Nam quis Radirobanis, quis Sardiniæ affinitatem non optet? Et tu, fortiſſime juvenis, minore patrimonio, & Sardinia non tanto ſub Rege, majora quàm quæ poſtulas ſperare potuiſtis. Sed ſcis conjugia plùs animorum quàm corporum fœdere eſſe ſuavia. Liberæ hominum mentes ſunt, nec ullis legibus cogi poſſunt velle quod nolint. Maximè ſors Regalis in quam gnata mea eſt edita, eam captivitatem non fert. Ego habeo à majoribus ſceptrum; illa à me exſpectat; liberum ipſi deinde eſſe debet in quem velit ſuæ fortunam Siciliæ transferre. Hæc non ita accipias, dulciſſime hoſpes, tanquam quæ tu vis omnia, & præſertim hoc ipſum, non velim. Sed mirari te nolo, ſi filiæ meæ ſuas vices relinquo. Quicquid poſſum, ego polliceor. Tu apud illam fac, ut digna ſit à te amari. Nam nec tibi expedirent coacti hymenæi. Denique finge te filium meum eſſe; quantumcunque tu ames, quamlibet magnas dotes in eâ tibi fingas; nollem mihi eſſe nurum, niſi te maritum exoptaret.

His verborum ambagibus quærebat Meleander, & Radirobani placere, & habere paratas negocio tanto moras; quòd filiæ mentem ab illis nuptiis ſciret averſam. Quippe antea ejus ſenſum exploraverat, non dubius in hanc ſpem Radirobanem veniſſe. At ille rem urgere, ſenem ambire, dicere ſuam vitam in eo eſſe ſitam, ut gener appelletur. Tanto in æſtu non verba, non mentem capiebat Meleandri, ita ſpem obliquè oſtendentis, ut pru-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

denti, & quem amor non turbaret, ſat negatum videretur. Jamque Eurymedes utrumque monuerat ludorum tempus eſſe; quod ſubitos, & tantùm ut populus in Regis victoriâ lætaretur, in Regiæ veſtibulo inſtruxerant. Proceſſere itaque ad Orcheſtram, in quâ multa ex Regiæ penetrali curatores ludorum conſpicienda locaverant, antiquiſſima ſigna præſertim; & Heroum imagines, non modò quibus artifex pedes & manus indulſerat; ſed & plurimæ ante Dædalum factæ ſolo vertice [1] de ſui ſaxi impolitiâ exibant. Poſtquam Reges conſederunt, ſtatim cum Seleniſſa & miniſtrarum grege intravit Argenis, haud mediocre Radirobanis Archombrotique ſupplicium. Non igitur illi in perſonas ſatis inſpicere, non in veteres Siculorum Regum opes. Ac ne virginem quidem multùm intuebantur, alterno inter ſe conſpectu agitati. Inter hæc Radirobani videbatur Argenis, blandiùs ſæpiuſque in Archombrotum vultus advertere. Quod ut miſerrimè credidit, ita ſecum loquutus eſt: Furioſum eſſe amorem non proderit; ſolertia opus eſt nobis. Nam ſi Archombrotum ſuſtulero, pejùs erepti memoriâ apud Argenidem me perdet. Num autem non & bellum eſt amor? Atqui in bello quas hoſtibus urbes munimenta eripiunt, proditio ſæpe aperuit. Tentandi ſunt muneribus quorum gratia apud Argenidem valet. Laudationes eorum aſſiduæ me chariorem ipſi efficient. Sumus omnes incauti ac faciles ad ea imbuenda, quæ ſæpe, & veluti non ex arte, familiares inſinuant. lisdem machinis nihil me præteribit arcanorum quæ huic cum illâ intercedent. Perpendenti deinde, quoſnam ex familiâ Argenidis aggrederetur muneribus; nihil difficilius aut utilius viſum eſt quàm ad Sele-

1 *De ſui ſaxi impolitiâ exibant.*] Quales erant imagines Mercurii Athenis, apud Vincentium Cartari in imaginibus Deorum. Et Suidas, *Dædalus*, inquit, *primus fuit qui ſtatuis aperuit oculos & pedes ſecrevit; Pauſanias enim in Laconia multas ante Dædalum impoſitas fuiſſe ait, quare dictus eſt feciſſe ſimulacra quæ viderent & moverentur, ut Euripides in Hecuba & Plato* κινεῖς δοκεῖ, βλέπειν τ' ἀγάλματ'.

1 Non

Seleniſſam hoc iter habere. Quippe oris conſtantiam illi matronæ eſſe, quæ ad perfidiam vocantes terreret; ſed ſi in poteſtatem redigeretur, facilem de Argenide fore victoriam. Erat ingenioſus; præſertim cùm impetus naturam acuerat. Audendum eſt, inquit; facile erit apud anum ita loqui, ut ſi integra eſt, meæ largitionis fraudem non capiat; ſin videre fidem poteſt, intelligat emptorem advenisse. Hæc gnaviter agitantem [1] non arena, non ſcena (nam utriuſque ſpectaculum dabatur) poterat delectare; quamvis hinc in certamen producti [2] qui Erycis artem cæſtu jactarent; inde autem Catanenſes [3] ex ſui Andronis diſciplinâ ſaltarent ad tibiam. Sed in auſpicium traxit, quòd largitioni intentus, non abſimilem victoriam aſpexit in theatro; in quod [4] Argiam & Eriphylen Poëta produxerat; [5] hanc divino monili mercantem crudele ſuffragium; illam munere victam, & conjugis fata prodentem. Inter cætera, iſtos verſus quibus Eriphyle accepto proditionis pretio exultabat, ſic laudavit, ut confeſtim ad ſe præciperet afferri; & aliquoties tacito voto perlegeret:

Abſiſte tandem, cura. Sat ſterili vigil
Marcore cecidit vultus. O grates, Dei.
Faviſtis omnes. Teneon' armillam manu;
Meamque teneo? Vota cecidiſtis benè.

1 *Non arena.*] Pentathlon, ſeu quinquertio ſunt cæſtus, curſus, ſaltus, diſcus, palæſtra.

2 *Qui Erycis artem cæſtu jactarent.*] Iſte Veneris filius ad cæſtum quemlibet provocatum cædebat, donec ipſe ab Hercule eadem lucta oppreſſus eſt.

3 *Ex ſui Andronis diſciplinâ.*] Androna Cataneum ſcribit Theophraſtus incinentem tibiis, primum motiones corporis & rhythmos excogitaſſe, unde natum, ut σικελίζειν poſitum invenias pro *ſaltare.*

4 *Argiam & Eriphylen Poëta produxerat.*] Hæc uxor Amphiarai & ſoror Adraſti, Argivorum Regis, accepto aureo monili à Polynice Argiæ marito, & OEdipi Thebanorum Regis filio, ex nefando Jocaſtæ matris concubitu, maritum latentem, ne ad bellum Thebanum, ubi ſe moriturum auguriis & oraculis acceperat, proficiſci cogeretur, Adraſto prodidit; quam uxoris perfidiam ægre ferens Amphiaraus filio Alcmæoni in mandatis reliquit, ut accepto ſuæ mortis nuncio matrem interficeret.

5 *Hanc mercantem ſuffragium.*] Argiam Polynices conjugem.

Nunc tuta, nunc excelſa, nunc cœlo fruor.
[1] His ſe decora ſueverat gemmis Venus
Ornare Marti. [2] Tyrius has ſtupuit gener
Ardere collo conjugis. Quis hic decor?
Quis radiat ipſo non minor Phœbo dies?
Quò pergis amens? Dî, fides, lares, amor,
In pretia depoſcuntur. Heu nimio tibi
Armilla ſtabit. Poteris infœlix tuum
Damnare bello conjugem? Bellum vetant
[3] Sagæ volucres, [4] Delphicus pater vetat,
Et omne ſacris exta quod præbet pecus.
[5] Funeſta merces! Vidua ſi tantum potes
Sic eſſe fœlix; melius ah pietas malos
Omitte cultus. Trahitur en dubiâ vice
Inſtabile pectus; ſic ut incertam ratem
Non unus atro ventus involvit freto.
Sic nempe ſimplex! ſorte nunc dubitas frui
Quam fata præbent? Quid times vanas aves?
Ne bella fiant, reddere armillam voles?
Hæc ipſa bellum faciat; [6] hæc regnum eſt mihi,
Meliuſque Thebis. Augur infœlix redit,
Inviſa pietas, menſque non credit ſibi.
Quid agimus? O ſors dura cùm timet miſer

Quod

1 *His ſe decora ſueverat gemmis Venus ornare.*] Venus Marti placitura ſimilibus gemmis caput ornabat à Vulcano marito fabricatis.

2 *Tyrius has ſtupuit gener Ardere collo conjugis.*] Vel Cadmum Tyrium, cujus uxor Hermione Martis & Veneris filia: Unde & Veneris gener dicitur, cui Vulcanus pretioſum, ſed exitiale monile dedit, quia ex conjugis adulterio fuerat progenita. Vel certe Jovem intelligit; cum enim gaudeant mulieres imitari cultum, qui in aula elegantiſſimus eſt, Eriphyle ſuperbit quaſi ejus monile Venus & Juno geſtaſſent, illa ut Marti placeret, hæc ut ab furtis Jovem diverteret, quamquam ab amore Europæ filiæ Tyrii Regis (Unde & Tyrius gener forte dictus eſt) non potuit deterreri.

3 *Sagæ volucres.*] Præpetum vel Oſcinum auſpicium.

4 *Delphicus pater vetat.*] Sortes Apollinis Delphici prohibent ne Amphiaraus ad bellum Thebanum proficiſcatur.

5 *Funeſta merces.*] Eriphyles armilla pro viro prodito.

6 *Hæc regnum eſt mihi, meliuſque Thebis.*] Armilla, quæ Eriphylæ magis eſt quam Thebana Victoria.

1 Cœleſti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Quod optat animus! Digna [1] *cœleſti tamen*
Si vivis auro; ſacra ſi tuos decet
Armilla vultus; vindica hoc ingens tibi
Munus deorum. Conjugi ſi ſors tuo
Es vilis, aude quod times; Sin te colit,
Opibuſque ſummas optat exæques deas,
Tibi ipſe cupiat [2] *ſanguine hoc emptum ſuo.*

Lætus Radirobanes hujus exempli augurio, poſtquam finitis ludis in aulæ interiora receſſum eſt, Argenidi in conclavi ipſo Patris, eadem narravit, quæ antea Regi. Orabat ut in munus placerent Sardiniæ opes; cæteraque haud inconcinnus amator addebat, quæ utriuſque fortunam decebant. Argenis non modeſtiâ tantùm, ſed occultiſſimâ irâ erubuit; non alia retulit tamen, quàm quæ Radirobanes hoc primo congreſſu expectabat: nec eam ſcilicet Virgini curam eſſe debere, nec filiæfamilias poteſtatem. Habere interim gratias quòd ille tanti faceret amicitiam patris. Radirobanes aliquantùm cum eâ cunctatus, ad inſidiarum ſuarum initia digreditur: Proceres, Matronaſque, huc illuc toto triclinio obibat, ſimul majeſtate regiâ, & juvenili comitate. Tandem in Seleniſſam incidit, ut optabat; & vulgaria quædam effatus, laudare deinde ipſius filium cœpit, qui in aulâ vivebat: quærere deinde pluresne genuiſſet, quid ex ſtirpe reſtaret; & quæcunque mulierculæ gratiſſima erant. Et hinc ſponte ad ſe deflexus; optimæ matris meæ multa, inquit, lineamenta in te agnoſco: jam ſæpiùs dulci memoriâ illius amiſſæ, cùm ad te reſpicerem, perculſus ſum: & hodie efficiam ut ſcias quàm multùm de vultu illius tibi fata communicaverint. Supervênit loquentibus Meleander; à quo Radirobanes ſub noctem digreſſus, Seleniſſæ filium accerſit; Demades nomen erat; cui poſtquam multæ familiaritatis ſpecie

1 *Cœleſti vivis auro.*] Monili aureo fabricato manu Vulcani.

2 *Sanguine hoc emptum ſuo.*] Amphiarai hiatu terræ abſorpti in expeditione Thebana.

ſpecie impoſuit; vade, inquit, & hanc matris meæ imaginem ad Seleniſſam defer; ſi ſceptrum & corona abfuerint, ab ore ſuo non diſparem. Erat autem brevis imago, ætatis conditione à Seleniſſa non abhorrens. Anum enim Reginam, & rugis obſitam, referebat. Sed inſigni artificio, gemmæ olim talentis viginti Radirobani emptæ, faciebant imagini thecam, ex qua unio prægrandis pendebat.

Seleniſſa ubi cum munere Demadem vidit, tam precioſo fulgure concuſſa, dubitavit an conſcia eſſe Argenis hujus fœlicitatis deberet. Verebatur in ſuſpicionem venire fidei proſtitutæ; aut ne remittere donatori juberetur hoc pluſquam ſimplicis liberalitatis pignus; ſi crudum nec præparatum puellæ animum illâ novitate pulſaſſet. Hæc exigens ſecum, adhucque deliberans, filium rogat, pluresne adfuiſſent cùm Radirobanes id ſibi perferendum tradiderat. Imò, inquit, ſevocavit me ad ſecretum ne quis arbiter eſſet. Et tu igitur, retulit Seleniſſa, apud te, fili, rem contine. Id agitur quod ignoras; neque mihi, ut exiſtimas, & apud te Radirobanes finxit, hoc mittitur. Sed commodiùs, & ubi fas erit, plura intelliges. Unum jam memento, ut ſileas. His dictis ad Argenidem redit; adhuc quidem illi fida; ſed jam deſierat Radirobanem odiſſe. Tum verſare animo cœpit, quanto ſuo & Argenidis periculo Poliarchus amaretur. Nam quoties reprehenſam à cœpto moriendi Argenidem? aut quem ſpondere poſſe, non illam aliquando anteverſuram furioſo impetu vitæ conſilia? denique ſibi quemque debere conſulere. Nam quid de me (inquiebat) meritus Poliarchus? Radirobanem poſt pauculos dies quàm limina hæc attigit, utiliorem mihi ſenſi, quàm illum, plus anno familiarem Argenidi. Quid ſi de ſe mentitus eſt ignotus ac externus? at iſtum priùs auxilio Sicilia Regem ſenſit, quàm alto nuptiarum & regio voto. Si propitiam Argenidem illi effecero, quantum mihi ſperandum eſt; cùm jam præmia uſurpem, quæ penè ad præſtitam operam ſatis eſſent?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Abeſt denique Poliarchus; num vivat incertum eſt; num ſi redeat, impetratura ſit publicè hunc à patre virum Argenis; an verò clàm diſceſſu dedecori me quoque fruſtratura. Radirobanem autem non dimittere poſſumus, niſi iratum; neque parem conditionem (ſi iſta abiverit) neglecta fortuna mihi & Argenidi curabit reducere.

CAPUT VI.

ARGUMENTUM.

Deprecaturi Regis in ſe iram legati paſſim ab urbibus confluunt. Rex paucis incuſatos in meliorem ſpem purpuratis relinquit. Negat ſe privato nomine Hyperiphanios in fidem ſuam recepturum. Cleobulus ſermonem adverſus factiones ante inſtitutum exſequitur.

INTER hos dies (quos Cleobulus antè conjecerat) [1] legationes paſſim ab urbibus veniebant ad Regem, [2] ſedebantque in deorum liminibus, ramos ſupplici lanâ obductos cum gemitu aut ſilentio tenentes. Multa oppida, & ex inſignioribus civium multi, Ibburrane & Dunalbio deprecatoribus uſi ſunt; quorum ea apud regem gratia erat, ut nihil negaretur petentibus. Igitur Meleander virilem in dejectos & obnoxios cives clementiam ſequutus, ſolo majeſtatis conſpectu ultus eſt pœnitentes; legatis inter armatos cuſtodes intromiſſis in curiam; in qua ipſe regio cultu ad formidinem ſupplicum ſedebat. Cumque illi de ſeculi genio quererentur, qui populi mentem avertiſſet in tumultus; ipſe paucis incuſatos in mitiorem ſpem purpuratis relinquebat; jubebatque abſcedens ab iis

1 L*Egationes ab urbibus, ramos cum ſupplici lanâ.*] Ramos olivæ, vittis laneis alligatos præferunt legati, pacem rogantes, apud Virg. l. 8. Æneid.

Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

Et lib. 11.

Ecce oratores aderant ex urbe Latina
Velati ramis oleæ veniamque rogantes.

Et Ovid. 2. Metam.

—— Velamenta manu prætendens
Supplicia ——

Laneæ autem faſciæ infirmitatem & demiſſionem geſtantium arguunt, inquit Servius in lib. 8. Virgilii.

2 *Sedebantque in Deorum, &c.*] Sic apud Scythas & Latinos. In lare ſedere tacitum, maximum ſupplicandi genus notabatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

iis arbitrium ſuum audire. Levia autem imperabantur; paucæ in mulctam penſiones, & pervicaciſſimorum exilium. Nacti igitur expectatione mitiora amore victoris ſuas urbes impleverunt. Hyperephanii ſeorſim legationem volebant ornare, ſuas gratulationes & vota, novaſque fidei ſponſiones laturam. Sed interceſſere conſilio, qui id Regi ingratum fore cognoverant. Quippe Rex cùm audiſſet hoc eos cogitare; Peto, inquit, an Hyperephanii plùs minuſve Siculos eſſe ſe ſentiant quàm cæteros cives. Nam quid ab reliquis vota ſecernunt. Cur non Provinciarum, non urbium, ſed partium nomine me affantur? quas ô ſciant ſemper invidioſas eſſe Principibus; ſed tunc maxime cùm videri, & veluti prodire in publicum, jactatione ſuarum virium volunt. Cùm verò aliæ aliæque provinciæ redirent ad reverentiam majeſtatis, legati Syracuſarum intromiſſi in Senatum dejectis diu luminibus, ſignificaverunt eſſe quod promere non auderent, niſi dicere juberentur. Sciſcitanti Cleobulo quid afferrent, ſupplices libellos obtulere, quibus continebantur civium vota. Addiderunt ſæpe contingere, ut vexatus malorum hominum injuriis populus, ſtultè in Regem aut patriam ſuos dolores vindicet: velut quidam ex ægritudine inſani, urgentibus morbi ſtimulis in proximos furunt. Nec ſe priorem excuſare amentiam; ſed ſcire ex illis quæ Syracuſii deprecabantur incommodis eam incitatam fuiſſe; & plurimùm ad ſanitatem mentium fore, ſi eadem in poſterum arcerentur.

Cleobulus hos libellos ſe Regi traditurum recepit, juſſitque propediem legatos reſponſum opperiri; tum ſoluto Optimatum ſenatu ivit ad Regem, tunc fortè de ipſius Cleobuli prudentiâ multa ſecum volventem, qui redituras ad officium urbes haud vanè conjecerat; memorque ejus monita nuper Radirobanis interventu ſuppreſſa, hunc ad illos ſermones revocavit (Syracuſiorum codicillis, quia longiori conſultatione egebant, in aliud tempus dilatis) ajebas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ajebas, ſi memini, eſſe duo, Cleobule, quæ inſynceram in Siciliâ pacem efficiant, & in Procerum manu ponant, in bello an ocio degamus. Sed dicentis orationem tunc Rex Sardiniæ intervertit. quam hîc pacatiùs exequi potes. Quænam ergo illa duo ſunt ¹ vincula aut veriùs fata, quæ Siciliam Proceribus obnoxiam permittant? Ea ipſa (retulit Cleobulus) quæ, Sapientiſſime Rex, ſæpe dequeſtus es. Primùm, munitionum, arcium, præſidiorum, in Siciliâ numerus ingens. Mos deinde conſtituendi Rectores Provinciarum in eam legem, ut non antè magiſtratu quàm vitâ decedant.

Tot equidem arces, ſi non incommodæ eſſent, ſed duntaxat inutiles, tamen everti conſulerem. Nunc cùm ad earum cuſtodiam & ſumptus, & pericula, & plerumque pernicies accedat, quid ad noſtra utique damna miſerè obſtinati, illas diutiùs ſervamus, aut in quos denique hoſtes arbitramur valituras? In externos, an verò populares? Atqui externi iis ſatis excluduntur quas in finibus regni portubuſque ſubſtruximus; harum utilitatem nihil ſolicito. Satis virium illic nobis, ſatis moræ externis eſt; qui deinde ſi quà per obices illos perrumpent, noſtris exercitibus excipientur, oppidiſque paſſim objectis, quæ crebra, nec adeò invalida habemus ut primo hoſtium impetu diripi poſſint. In vim peregrinam illa ſuffecerint. Domi autem quos timemus? Num populum, & incolas civitatum? an non potiùs magnatum ambitum, inquieto utiq; genio ſtrictum ſemper ad audacis novitatis pericula? Raro, populo tuo mens eſt in Reges conſurgere. Veſania quâ nuper intumuit, propè ſine exemplo eſt; ſed nec illa, ut expertus es, tot arcium cautione de quibus jam diſceptamus, aut præverti potuit, aut ſaltem cohiberi; ut inde has munitiones intelligas non tibi (Rex) aſſe-

1 *Vincula, quæ Siciliam Proceribus obnoxiam permittant?*] Duæ aliæ cauſæ defectionum, arcium numerus ingens, & præfectorum provinciarum perpetuitas.

1 *Singulæ*

aſſerere oppida, in quorum ſtant cervicibus, ſed ea Præſidiariorum Præfectis tradere in certiſſimam ſervitutem, qui ſæpiùs cives invitos ſtare in Regem coëgerunt, quàm rebelles aut dubios traxerunt ad Regem; adeò ut quoties ſibi poſtulant arcem credi, videatur hæc eorum tacita eſſe oratio. Trade compedes, ô Rex, quibus obnoxium arci oppidum mihi devinciam. Captivos habeam cives; quicquid repugnes, & quantumcunque hi nolint, ſerviant imperiis meis. Sub munitionibus iſtis tremat circùm provincia. Iſthic recipi, hinc effundi poſſint armati. Regnum denique minus in ampliori tuo mihi conſtitue.

Referes te fidiſſimorum hominum delectu exarmaturum tantæ poteſtatis licentiam. Faceres quod nemo antehac Siciliæ Regum. Quod enim aut civile bellum fuit, aut ab externis illatum eſt, in quo non iſtarum arcium plurimi rectores à ſceptro defecerint? Aut quis omnino in noſtrâ gente motus, niſi his clauſtris erumpens, aut in illa receptus? Ne id quidem diſſimulant, qui poſt factiones ad fœdera tecum deſcendunt. Arces in ſalutis pignus efflagitant: nempe ut iis incolumes te invito eſſe poſſint, & recrudeſcente armorum libidine, rurſus in te ſecurâ contumaciâ armari. Vide quàm ſit iniqua conditio. In præteritæ defectionis veniam tuâ ſponſione non contenti, arma, arces, milites ſibi poſcunt: Te porrò in pœnitentiæ, quàm ſæpè ſimulant, pignus, eam fidem verbis ſuis cogunt habere, quam detrahunt tuis. At his munitionibus è regno ſublatis, in tuâ ſuâque fide, ô Rex, ſtatuent ſibi præſidium, & in creditis urbibus, obſequium duntaxat invenient quamdiu voles; nec invitabit ad peccandum tot aggeribus totque foſſis ſibi placens rebellandi ſecuritas.

Sed utique non damnanda eſt, dices, majorum diſciplina, à quibus aut hæ conditæ arces, aut condendarum exemplum eſt. Ne verò illa ætas tantum ſibi, Rex, placeat. Majores noſtri res ſuas ad ſæculi quale tunc erat

genium

genium curavere; nobis pro diverſitate temporum, in quæ incidimus interdum pro ſalute eſt à mente eorum & conſiliis abire; ut & profanæ ſuperbiæ putem ubique negligere avitam prudentiam; & abſurdum reverentiæ genus eſſe, quod nos perpetuò illorum inſtitutis velit addicere. Et has igitur arces, quæ jam nobis moleſtæ ſunt, ipſi rectis, ut arbitror, conſiliis eduxere; & nos non minori ſolertiâ dejiciemus. Olim enim aut nondum Sicilia in unum coïerat, aut [1] ſingulæ ſaltem Provinciæ, Principes ſuos habebant, parvo duntaxat ære, vel tenui obſequii imagine, Regi obnoxios. Non mirum ſibi tunc quemque præſidia ſtatuiſſe; quibus aut vicinos repellerent, aut ſi à Rege vis fieret, non excuterentur à patria. Nunc omnia bello, hereditate, fœderibus, in te dii retulerunt; eâ fœlicitate, ut neminem videas, cui charius non ſit commune Siciliæ nomen, quàm anguſtum provinciæ in quâ eſt natus. Quid igitur memoriam priſtinorum diſcriminum limitumque ſervamus in caſtellis, jam utilitate abolitâ? ne parce locorum nominibus, ſeu illa conditor ſeu vetuſtas nobilitaverit. Ruat cum aggeribus ſuis ambitio. Pauciſſimas de tot arcibus ſerva, neceſſariis locis; unam præcipuè Syracuſis, non tàm quæ regere tantum populum queat, quàm interdum morari inſanientem. Hæc ſat erunt tutando imperio: ſed eo quidem omine ne Procerum ſummis credantur. Tale ſit Præſidum genus, quod nec egenum, nec opibus impotens, ſperare à te plurima debeat, & nil poſſit extorquere. Relinque illis Regibus hunc crebrarum arcium morem, qui peregrino, ideoque invidioſo imperio, premunt diſſitas gentes; quæ nec moribus

1 *Singulæ Provinciæ, Principes ſuos habebant.*] Poſt Clodovæi & Clotarii regna, in Toparchias diviſa eſt Gallia, quæ hic Siciliæ nomine adumbratur; poſtea coactum ſub uno principe totum imperium, donec ignaviâ Regum in multa iterum fruſta diſciſſum eſt, neque tantum Provinciæ Principes ſuos habuere, parvo vel tenuis obſequii imagine Regi obnoxios; ſed & urbes multæ ſuis obedivere Toparchis, qui pro nutu vel offerrent auxilia oppreſſo Regi, vel laceſſiti bellum in eum moverent.

1 *Eru-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ribus coaleſcunt, nec fidem tutâ amicitiâ obſervant; quæque ubi reſpexere in majorum ſuorum hiſtoriam, [1] erubeſcunt ſe alieno additicias ſceptro eſſe; nec domino tantùm abſenti, ſed & genti in qua dominus vivit ſervire. Sed tua Sicilia gens una eſt, unus ſanguis; eadem illi jura; gloriæ, Principis, famæ, ſyncera communio: quamvis illam Majorum tuorum bonitas iterum in diverſa ſtudia tantùm non ſparſerit, perpetuo [2] ſingulis regionibus rectore attributo; ſub quo poſſent meminiſſe, & olim apud ſe regnatum.

Id ipſum alterum erat, quo monebam infeſtari tuam pacem, & in te Proceres accingi; hic mos inquam in tam longum & ſtabile imperium permittendi Provincias quæ ut à te Rectorem accipiunt, hunc illico venerantur, ei aſſueſcunt, tam conſtanter hunc eſſe Præfectum, quàm te Regem intelligunt. Imò & propiùs ille civibus incumbit, propiùs urget affectus; contumaces aut amantes propiùs damnat vel colit. Maximè nobilium ſtirpes adeò ejuſmodi Provinciarum Rectoribus accedunt, ſpe, convictu, manſuetudine captæ, ut deinde vel in Regem promiſſam fidem exerceant. Hæc munera ſi paucorum annorum faceres, ô Rex; non illis coaleſceret inveterata vis; nec cives breviſſimo defuncturos imperio, præter fas amarent aut timerent. Diu eſt (inquit Rex) ex quo mecum hæc omnia exegi. Sed iis quibus veteri ritu Provincias olim attribui, quo nunc ore meum donum poſſim adimere? Quid egregiè de me meriti duces? quid illi quibus hanc victoriam debeo? Auferam ſcilicet præmia à probatis, quæ adhuc dubiis aut inexpertis conceſſi? Facilis ratio (refert

1 *Erubeſcunt ſe alieno additicias ſceptro eſſe; nec domino tantum abſenti, ſed & genti in quâ dominus, &c.*] Eo reductam Flandriam habes, quæ Hiſpaniæ ſervit.

2 *Singulis regionibus rectore attributo; ſub quo poſſent meminiſſe, & olim apud ſe regnatum.*] Juſtè damnat perpetuitatem Præfectorum, qui provincias, quaſi ſuas, adminiſtrant, conciliantes ſibi ingenuos, imperiis aſſuefacientes plebem, Præfectis iſtis non ſecus quam Regi aut ſuis olim Normaniæ, Burgundiæ, Aquitaniæ, &c. Ducibus obnoxiam.

1 *Et*

fert Cleobulus) Noli tantâ novitate ſolicitare patientiam Optimatum. Sint illis tua munera in ſecuro. Sed ut quiſque decedet, novis legibus ſucceſſorem conſtitue. Triennii ut plurimùm poteſtas ſit; nec prorogatione faſcium ſpem illis facias plùs nomina quàm imperia eſſe mutata. Breviores magiſtratus non timebit Sicilia; & quantumvis anguſti temporis honores cupidè commendabit ambitio. Tu quoque in plures liberalitatem divides, vacuis ſæpè provinciis, in quas alios atque alios, pro meritis temporibuſque ſufficies.

His artibus ſi eripies Purpuratis deficiendi conſilia atque vires, tibi multum debebunt. Nam & defungentur periculis, quæ eos ſub auſtero vel perfidioſo Rege poſſunt obruere; & clariſſimæ indolis torrens ab iis erroribus in juſtum alveum coactus, in conſilia quidem non minus fortia, aut militaria rapietur, ſed multò æquiora, & quæ in virtutum nullam pugnent. Reſpice ab adverſo littore diffuſam regionem, & æmulam ſæpè Siciliæ. Illa quoque caſtellorum turriumque frequenti ſupercilio tumebat: erant præterea Optimates tanti factione & viribus, ut, quod plerunque infœlix potentiæ genus eſt, Reges terrerent. Qui tunc in eâ motus? quibus nunquam graviores concuſſere Siciliam. Dejecti nunc reges, nunc Proceres; donec arcibus præter unam everſis, Magnatum quoque robur multiplici regnantium arte ſuppreſſum eſt. Hi bello periere, hi carcere; hos lictores immolaverunt publicæ paci. Dii melius, quàm noſtrorum patriciorum ſanguinem ita fatis vilem eſſe. Hoc tu avertes, ſi & quietos illos, & te ſeriò Regem eſſe volueris. Sic enim ille conjurandi mos, atque à te deficiendi, paulatim excedet ab uſu; & in pari omnium jugo nemini gravis erit juſta modeſtia. Sed quamdiu id cuiquam erit impune, in contumeliam cæteri trahent virtutis neceſſitatem: ut vel omnes pari lege à tuâ majeſtate ſubigendos, vel neminem in officio futurum intelligas.

Quòd

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Quòd ſi nunquam redibunt ad tumultus, jam nunc conſule quid illis facturus ſis; in te, inquam, conſilii ſummam conſtitue; nec in amicis expecta libertatem ad fidem, quâ modò extra periculum diſputamus. Forſitan & ego molliora cenſuiſſem, niſi quòd venturi ignarus, neſcio qui ſint in quos nunc dixi. Scilicet illi prudentes, quorum conſilio in rebus dubiis uteris, non ſic auſpicantur publicas curas, ut privatam ſuæ ſalutis ſolicitudinem deponant. Itaque ubi in factioſos & armatos Proceres conſuluntur, eorum offenſam veriti ſæpe remiſſas ſententias dicunt, & propemodum tuo ſceptro indignas; ne ſi quid acrius ſtatuerint illi ipſi in quos dicunt, poſtquam (ut mos eſt) in aulam reconciliati florebunt apud te, in ultionem ſervent animos, ac denique ruinâ immerentum exſatient. Eo metu multis tuorum Senatorum libertas eripitur, fidis quidem, ſed dum impunè licet, & ſibi antequam tibi. Hæc ipſa nec coram Collegis dicerem; nec tibi omnino; niſi inter regias tuas dotes inſigne eſſe ſcirem, & ſimillimum oblivioni, ſilentium.

CAPUT VII.

ARGUMENTUM.

Radirobanes munere dato Seleniſſæ jam familiarior, ſecretiora Argenidis arcana docetur: non quidquam de Lycogenis ad rapiendam virginem conſilius anus diſſimulat; nihil de ſtudiis Meleandri, ut eam à prædonis furore conſervet.

DUM his conſiliis ſecretus Meleander imbuitur, interim Radirobanes machinas pergit in Argenidem adornare. Jamque munere dato familiarior, avidè quærebat cum Seleniſſa convenire; & eo fortè die ſic caſus conſilium adjuvit. Miſerat ille qui nunciarent Argenidi, ſi commodum eſſet, eam velle ſe viſere. Spatiabatur in horto Argenis, cumque illâ virginum paucæ. Sed Seleniſſa in illius triclinio hæſerat, neſcio quibus codicillis impedita, & hanc occaſionem nacta colloquendi tam magnifico

gnifico largitori (nam idipſum anxiè optabat) renunciari Radirobani jubet, vacare Argenidi; eamque, ſi ipſe veniret, confeſtim ab horto adfuturam. Geminatâ mox fraude, miniſtrarum fidiſſimam cum hiſce mandatis ad Argenidem ipſa mittit; adventare ad gynecæum Radirobanem; cujus colloquio ſi cuperet defungi, properaret deſcendere ab horti ſpatiis in ſubjecti ſaltûs umbras, hoſpitemque incommodum ſuâ illic cunctatione eluderet. Interim Radirobanem Argenidis limen intrantem ipſa excepit; excuſans quod domina abeſſet, illico, ut fingebat, reditura; cumque ſecretum fuit, iis qui ſequuti Regem erant remotiùs in ejus honorem aſtantibus; tunc anus, gaudeo, inquit, ô Rex, locum hîc eſſe objurgandi liberalitatem tuam. Nimiò precioſiùs quàm ipſa natura me ad vultus chariſſimæ tuæ matris admoviſti. Et Rex, parva hæc, inquit, exiſtima, Seleniſſa; & pignora fortunæ majoris. Ne verò tuam ſortem meamque diſſimulem, accipere majora à te poſſum, quàm tradere. Tu lux mihi, tu veræ matris loco, tu aliquid conciliare mihi potes vitâ fœlicius. Neque à te expeto opem, niſi quam tibi tuæque alumnæ utiliſſimam putabis. Nam quid illa Archombroti amicitiâ tenetur? quàm indignum Siciliæ rebus, ignotum, privatumque, in illas ſpes niti? equidem veneficio factum puto; & mehercules ſi Virginis frater eſſem, aut pater, tormentis verum exigerem; eoque vel cæſo, vel pulſo, exonerarem puellam curis inanibus. Permitte te matrem appellem. Tu mater, & medere alumnæ in deteriora conſilia vergenti, & aſſere me in cœlum; id eſt, fac ut patiatur ſe amari. Quid illi in genere meo, quid in fortunis diſplicuit? quantum Sardiniæ, quantum Corſicæ vires poſſint, certè feci ne neſciret. Nec adeò inauſpicatus vivo, ut in totum purpuram meam dedeceam. An deos expectat, & in Archombroto fingit numen, quæ Reges ſic faſtidit? cæterùm in me ſimul, & illam, nolo te ſine precio piam eſſe. Si receptus in optata fœdera ero,

ſpondeo præfecturam Sardoi & Siculi maris (qui honos à Regibus ſecundus eſt) tranſituram in filium tuum. Si plura deſiderabis, intelliges te mihi parentis loco eſſe.

Labantem jam accepto munere anum, tantæ ſpei quæ offerebatur moles afflixit. Excæcata, nec aliquid præter Radirobanem jam videns, Nollem, inquit, hæc à te audiviſſe. Lentiorem hinc habebis diligentiam meam. Nam quæ tibi & Argenidi properabam efficere, nunc timeo ne videar empto & vili ſtudio moliri. Sed eſt altius quam ſuſpicaris in Argenide vulnus. Quid tu mihi de Archombroto, Rex? erras, optime, erras. Hæc dicens, vultuque demiſſo oculos tollens, breviter riſit. Ille avidus ſciſcitari, & jam propè mercenariam urgere. Sed negabat Seleniſſa tantillo colloquii momento rem poſſe expediri. Ac ne initia quidem, inquit, ſine creberrimâ tuâ meique oris mutatione retulerim; & hîc tui Optimates in utriuſque vultus intenti ſunt. Præſtabit deſcendere in hortum, tanquam obviam Argenidi eamus. Ego te per errores in ſpatia ducam, à quibus hanc abeſſe conjicio. Confuſus expectatione Radirobanes tantæ rei, quantam matrona videbatur afferre, illiuſque manum tenens, ad viridarium volentem invitavit; ſimulatione coram ſuis proceribus uſus velut ad Argenidem iret. Sed poſtquam in aviam horti partem, & vix notam Argenidi, deducti ſunt; fallor, ait Seleniſſa, aut hîc dominam maturatò habebimus. Redeunti plurimùm placet hæc via. Illic igitur ſuos ſiſti Radirobanes imperans, ipſe cum anu in conſitam arboribus ſemitam ſe conjecit.

Tum verò Seleniſſa ægrius loqui, & veluti in repugnantis animi rixâ quærere diu verba; ſeu reverâ exhorruit in exuendæ fidei articulo, ſeu ſimulatæ perturbationis magnitudine, proditionis beneficium apud Radirobanem commendabat. eique miranti; quidni, inquit, expalleam, quæ primùm hodie diſco loqui quod nolit Argenis?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

genis? Sed tanti eſt vel invitam ſanari. [1] Et tu unicus ad hunc morbum Æſculapius, ô Rex. Vide tamen ne exitio meo fiat, quòd te, & illam hac prolatione ſecreti demereor. Exiguum deinde ſpatium fuit, cùm ſic exorſa eſt. Dii tibi virilis ſexûs prolem dent; ne malis Sardinia infeſta ſit, quæ Siciliam exercuerunt. Nam quòd Rex Meleander tantùm fœminam genuit, auſus Lycogenes tempeſtatem excire quam modò placaviſti. Noli mirari quòd tam altis principiis auſpicor. Iſthinc rei quam vis audire repetenda eſt ſeries. Lycogenes ſuâ nobilitate, & Regis patientiâ elatus, ſibi deſtinavit Argenidis nuptias. & aſpernante Meleandro cum cive atque impare fœdus, ille amicis & gentilibus clarus vim inferre cogitavit. Ea Regi nunciabantur. Sed is Siciliæ erat ſtatus, aut ut veriùs dicam, tanta jam Regis in timidâ ſenectute cunctatio, ut ſubducere raptui virginem mallet, quam graſſatorem opprimere. Arx eſt in exiguo colle viginti ab Syracuſis millibus, antiquorum Regum ſedes, inſigni munimento. Præruptus eſt collis qua maria ſpectat, lævam partem aſſiduo fluctu pulſantia. Alabus fluvius ſupremo in curſu dexterum latus cingit. Omnia mœniorum & turrium altitudo firmaverat. Rex Argenidem ſuam cum virginibus matroniſque omnino viginti illic includens, voluit religionis ſpecie ſui conſili rationem ſanciri. Ajebat frequentibus ſomniis ſe moneri, imminere piaculum, niſi conſpectum hominum Argenis defugiſſet. [2] Ita præterea aſtra, ita oracula urgere. Sed [3] tam grandis ſuperſtitionis originem quis è vulgo ejuſmodi temporibus neſciret? Mihi qui-

1 *Et tu unicus ad hunc morbum Æſculapius, ô Rex.*] Allegoria, quæ transfert morbum corporis ad morbum Reipublicæ. Fuit autem Æſculapius peritiſſimus medicus, filius Apollinis, & Chironis Centauri diſcipulus, ſub quo medicinæ poſuit rudimenta, Hippolytumque ſanavit.

2 *Ita aſtra, ita oracula urgere.*] Sic orant religioſi in obſervandis Oraculi ſortibus aſtrorumque judiciis, ut ab iis ne lato quidem ungue diſcederent.

3 *Tam grandis ſuperſtitionis originem.*] Ficta ſuperſtitione, ne Lycogenis libidini præda pateret Argenis, eam Meleander recluſit in arcem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

hi quidem, ſub quâ Argenis habuiſſet infantiam, adhuc Rex illam cuſtodiam commendavit: & lex publicè omnibus dicta; ſi quis vir pedem latum in arcem extra unum Regem penetraviſſet, ſacrum hunc fore: tum ſi qua de noſtris mulieribus meo injuſſu ex arte diſceſſiſſet, ſcaphæ impoſita, ſine commeatu, vel gubernaculo, ageretur à littore: uni mihi, cui præcipua fides, datum, ut [1] Idibus exirem. Erant enim peragenda familiæ meæ ſacra. Circa arcem juſſus miles tetendit. Tria ad præſidium millia erant; & per vices vigilabant.

Si mihi credis (Rex) non prorſus hæc erat injucunda ſolitudo; maximè inter initia, dum fatigatos urbano tumultu animos ocio illo componimus. Simplex ætas Argenidis in jocis verſabatur, quos delectæ puellarum faciles admovebant; ut & ſæpè ſolutæ mentis fœlicitatem mirarer, & de temporum perverſitate ingemerem, quòd Siciliæ heres vix tantillum ſpatii tutò incoleret. Sed compendium apud te faciam. Ne facias, inquit ille, ô Mater. Nam etſi nondum intellige ad me iſta quid faciant, juvat tamen audire conſilia Meleandri, moreſque & fortunam Argenidis. Tum Seleniſſa; ita horas diviſeramus, ne quod tædium admoneret ſuæ captivitatis Argenidem. In comptu non multa, lucum amabat, quem amœnum in arce habebamus: illic facili arcu lacertos fatigabat, provocatâ æmulatione ſuarum, quæ longiùs ſagittis progrederetur, quæ certiùs metam feriret. Ingens plaudentium riſus in molli exſonabat victoriâ. Curſus quoque præmia erant: rurſus miſtæ omnes ſimul, omnes ad ambitum loquebantur. Amabam hæc in alumnâ, ſimul vires creſcenti ſuffectura, ſimul animum prohibitura ab inutili dolore præſentium rerum. Hinc digreſſa majorum monimentis implicabatur; neque avidiorem vidi quàm prolatis

[1] *Idibus exirem.*] Accidebant ſemper Idus decimo tertio vel decimo quinto menſis. Ab antiquo verbo *iduare*, id eſt, dividere, ſcilicet menſem. Erant autem idus ſolemnes & feſti dies quos præterire nefas.

tis hiſtoriarum auctoribus. Reliquum diem inter artificia degebat, tunc etiam referendis audiendiſve fabulis incitata. Habes indolem tuæ Argenidis, ô Rex. His ſtudiis exigebat adoleſcentiam, priuſquam innoxiam animi pacem curæ libaſſent.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

Declarat Seleniſſa Radirobani, uti ex Arce in Iunonis templum digreſſa, venuſtiſſimæ virgini occurrit, ſed vultu in triſtioris fortunæ ſpecimen dejecto. Allapſam genibus ſublevat. Illa litteras Matris proferre, quibus perlectis, ſciſcitanti refert patriam eſſe Galliam, nomen Theocrinem, opulenti Principis filiam. Vt poſt obitum Patris ſublato patrui dolis fratre, ipſa fugæ beneficio caput periculo ſubduxerit. Calamitate & lachrymis mota Seleniſſa Theocrinem adjungit Argenidi. Tum Lycogenes ſicarios mittit qui puellam & Regem ad ſe perducant. Sed Theocrine furioſis ferrum extorquens omnes ſolo æquat.

CÆTERUM ex arce Syracuſas digreſſa in Junonis templo eram (Memini diem; adhuc videor aris aſtare, adhuc thura injicere; ita caſus memoriam adauxit) Eram, inquam, inter ſacra, & Argenidis coram diis miſerabar, cùm venuſtiſſimæ formæ puella teſtudinem templi intrat; grandis erat nobilique inceſſu: ſed vultus in triſtioris fortunæ ſpecimen dejectus. Ego potiſſimùm mirabar, quòd unus vir in comitatu eſſet. Is operto capite ſequebatur, ut in eum vix inſpici liceret. Subitum muſſantium murmur fuit, quæ eſſet, aut unde veniret; nam ignota erat facies, nec veſtis uſitata Siciliæ. Gradiebatur ipſa, ſed tantâ majeſtate, tamque concinnâ, Rex; rurſuſque eâ mœſtitiæ ſpecie, ut in illius contemplatione mihi omnia vota exciderint. Illa non multùm deam morata, [1] nec ſpecu-

1 NEc *ſpeculum numini tenuit.*] Seneca in fragmentis apud Lipſium Elect. l. 13. *Sunt quæ ſpecula teneant. Speculum enim Deabus tenebant ad explorandum ſatiſne cultæ.* Idem Seneca in epiſtola 85. *Vetemus lintea, & ſtrigiles Jovi ferre, & ſpeculum teneri Junoni, uti lintea & ſtrigiles ad balnea refert.* Apulejus lib. 4. Metam. de his ſpeculis bene illuſtrat; & Mileſiarum 2. *De pompa Iſidis, mulieres,* inquit, *candido ſplendentes amicimine, verno florentes coronamine, ſolum ſternebant floſculis, aliæque nitentibus ſpeculis pone tergum reverſis, venienti Deæ obvium commonſtrarent obſequium, ipſam comentes cum lucernis ſequebantur.* Item Auguſtin. de Civit. Dei.

ſpeculum numini tenuit, [1] nec ornavit munere aram; ſed aſtitit meo lateri; & mox repugnantis genibus allapſa, plus tibi, inquit, hic dies, ô matrona, quàm putas in promendâ bonitate licere vult. Si placet miſereri, & diis exemplum præire vis quos tam anxiè oras, arcanum mihi locum concede, quo votorum ſummam edam. Ego gementem ſublevavi; & quia videbam non placere ſpectatores, templo maturius digreſſa, in ſororis illam domum, quò & ego divertebam, eodem mecum vehiculo perduco. Nacta ſecretum, primùm peto in Siciliam unde adveniat. Græcè enim loquebatur, ut barbaram tamen ſcires. [2] Oſcam ego putaſſem; & [3] magnæ Græciæ viciniâ noſtræ linguæ commercio imbutam: ſed nimiùm ab hac gente oris pulchritudo diverterat. At illa; ut intelligas, inquit, nihil me de genere mentiri, neque opem incommodam ferenti optare; cerne, matrona, cerne patriæ fortunæ reliquias, ſi fata in patriâ ſævire non deſinunt, mihi ubique terrarum ſuffecturas. His dictis gemmarum vim ex pyxide eruit, reductâque ſimul pallâ aliquot ad interiorem veſtem receſſus oſtendit, eâdem opulentiâ tumentes. Privatæ mulieris divitiæ non erant. Igitur rurſus frontem, & cæteras indolis notas, levi viſu percurrens, altiùs contremui, & quæ eſſet, dicere juſſi. Miſera, inquit ſum, & cui in auxilii maxima parte erit à multis ignorari. Ac ne vagam exiſtimes, aut temerè iſthuc allatam, en literas mulieris tibi quidem ignotæ, magnæ tamen, & quæ opinione tuæ virtutis, cui fidit, maximè meruit à te juvari. Ea eſt mater mea. Literas ſimul tradit, quas hìc vides, Rex. Has enim ex ſecretiſſima ciſtulâ heri deprompſi, ut te coram pellegerem.

1 *Nec ornavit munere aram.*] Aliquo genere Anathematum, hoſtiis, thure, ſive aliis donis. Virg. Eclog. 1.

——— Illius aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Et:

—— cumulabo altaria donis.

2 *Oſcam putaſſem.*] Oſci populi in Campania antiquiſſimi, & ante ipſam conditam Romam.

3 *Magnæ Græciæ vicinia noſtræ linguæ commercio imbutam.*] Magnam Græciam Bruttios aliaſque gentes intelligit vicinas Siciliæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

gerem. Nunc quid ſcriptum ſit, audi. Alcæa ſalutem Seleniſſæ. Si quæris cur me ignores, & ego te noverim; ſcias hoc virtutis maximum præmium eſſe, quòd latere ſuos non ſinit. Non eſſes à Siciliæ Rege ad formandos filiæ annos delecta, ſi præſtantiorem inveniſſet. Ego inter obſcuras famâ gentes (nam & barbaros appellatis) famam nominis tui excipere potui; & tam meo quàm patriæ vitio non merui à te cognoſci. Sed tamen miſerere. Utcunque ſim exteræ gentis, at infœlix, at mulier, & ſi quid hoc valet, Græcæ quoque originis ſum. Excipe hoc pignus chariſſimum, excipe unicam gnatam meam, ſi quid mihi credis, clariſſimo ſanguine ortam. Fati injurias, meique neceſſitatem conſilii, tibi illa melius expromet; quæ fœliciter calamitoſa fuerit, ſi non modò eam ſervabis, ſed & tuis moribus imbuetur. Vale.

Perlectis codicillis, quæcunque virgini mandata à parente ad me eſſent, peto audire. At illa; Patria mihi inquit, in Galliâ, [1] quâ Rhodanus flumen de ingenti lacu ſe explicat. Theocrine mihi eſt nomen. Pater fuit non modò inter ſuos inſignis, ſed ut modica interdum regna ſunt, agri etiam ſui princeps. Treutacommilcondorus vocabatur. Is decedens me quidem jam adultam, filium autem vix cunas egreſſum reliquit; & jam fato vicinus fratrem ſuum (Icciobates appellatur) per ſuperos quos relinquebat deos, per inferos quos adibat, per fœdera deinde naturæ & unius patris memoriam oravit, ut ageret noſtri curam; neu pueritiam fratris mei deſereret, neu imbecillitatem meam, aut viduam maximè matrem. Et illo inter fictas lachrymas jurante, pater meus extinctus eſt. Fœlices videbantur patrui fide; ita patrimonium curabat, ita nos, ita matrem ſolabatur. Sed ſceleſta diligentiæ cauſa erat, ne quid illi de hereditate periret, in quam fratre meque ſublatis

1 *Quâ Rhodanus.*] Juxta coloniam Allobrogum, Rhodanus de lacu Lemano exiens in alveum ſuum ſe recipit, & celeberrimas alluens urbes in internum mare devolvitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſublatis haud dubiè veniebat. Veneno itaque (ignotum Gallicis moribus nefas) utrumque adortus eſt; ſed eventu nec digno, nec æquali. Me enim extingui ſatius erat, me objecta tabe peruri, quàm te frater dulciſſime; quem ô dii meâ clade ſervaſſint ultorem futurum perfidiæ, & patrium nomen lætâ ſobole reparaturum. Facinus inter extremas epulas corruptis bellariis mandatum eſt; quæ frater utique avidiùs patruo admonente, atque urgente, ſumpſit. Mihi ſubitus horror objectus eſt; ſive genii mei cura hæc fuit; ſive patrui ſolicitudinem ſuſpiciebam ad hos cibos fratrem hortantis, à quibus illius ætatis nimiam cupiditatem abducimus. Redii deinde ad matrem; cumque frater ſub noctem ægrotaret, timide quid ſuſpicarer explicui. Hæc antea aliis ſuſpicionibus tacta, quas heu nimis mali præſentis atrocitas afferebat, ferventibus lachrymis filium perfudit, ſubità morbi mole jam propè exanimem; & nunc unâ, nunc aliâ corporis parte captum, donec puer infœlix inter medicos expiravit. Proh nefas! ſuſtinuit adeſſe morienti ille veneficus, vultu quoque mœſticiam adumbrans. Et ne veneni indiciis membra liverent, inclamabat præcipitandum funus, cauſamque fingebat, ne diutiùs in extincti pueri aſpectu mea mater conficeretur. Neque ipſa repugnavit, ſceleris quidem haud dubia; ſed volebat poſſe videri facinus ignorare, ne patruus in detecto parricidio inverecundior, quod in me reſtabat, exequeretur audaciùs. [1] Jamque unctum cadaver erat in ſagulo, [2] foreſque ſpectabat; [3] jam ad planctum mulieres ſignum petebant; cùm me mater in ſolum conclave ducit,

1 *Jam unctum cadaver erat in ſagulo.*] A polinctoribus ungebantur urenda corpora, ut ſupra.

2 *Foreſque ſpectabat.*] Ovid. lib. 7. Metam.

—— *Neque enim capiebant funera portæ.*

Pedes enim limen ſpectabant tanquam egreſſuri, & numquam regreſſuri domum- Perſius Satyr. o.

—— *Tandemque beatulus alto*
Compoſitus lecto craſſiſque lutatus amomis
In portam rigidos calces oſtendit.

3 *Jam ad planctum mulieres ſignum petebant.*] Præficæ ſeu lamentatrices, conductæ ad proſequendum lachrymis funus ſignum præcinentium ſiticinum expectabant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ducit, comiſque divulſis; facis, ô miſera inquit, ut neſciam quid potiſſimùm gemam; illumne quem jam flammæ corripient filium meum, illam tenerem ætatem, quæ domeſticum prædonem non novit; an te magis, quem æquali, aut pejori forſitan feritate idem latro à noſtris complexibus rapiet. Frater tuus jam exivit mortalitatis ſenſus, tu reſtas in ſupplicia. Illum denique nullæ artes revocabunt; tu, ſi ſolers fuero, poteris fortè non perdi. Conjunge conſilia, gnata mea, priuſquam nos hoſtium crudelitas invadit.

Sic lugentibus nobis; ſupervenit vir fidiſſimus Praxetas, patruo quidem meo, non illo Icciobate, ſed alio pridem defuncto genitus, at impari matre. Ille, metu turbulento, differte lachrymas, inquit, & dum licet, aliquod vobis invenite effugium. Imò, ô optime, retulit mater, tu potiùs conſule, nimiâ clade ſtupentibus. Si permittitis (ait ille) loqui quæ ſentio; non potes Theocrine, niſi beneficio fugæ eſſe incolumis. Præſentarium erit exitium; nec fortaſſe in biduum vivis. Ne in vicinis quidem regionibus ſecura conſtiteris. Auro, veneno, inſidiis, peraget vir callidiſſimus quicquid exorſus eſt. Dum itaque fratris tui funus ardebit (nam ut ſcitis in hanc noctem apparatur:) tu [1] veluti œſtro mota inter tenebras diſcurre licentiùs, tandemque frequentiæ ſubducta, ad poſticum meæ domûs te recipe. Adero ſine lumine ſolus, & in latebris, interim dum maturius conſilium inimus, te ſervabo. Tu verò, Alcæa, amiſſam filiam eſſe ſolerter aſſimula. Lachrymas ſatis dabunt filii tui interitus, iſtiuſque periculum. Imperavit mihi mater ut parerem monenti. Neque fraudem differebam; ſed ſemel iterumque apud rogum fratris viſa, elabor inter gementium turbam, & tenebris freta ad Praxetæ domum pervenio. Ille me condidit

1 *Veluti œſtro mota.*] OEſtro in pellicem Inachidem immiſſo, Juno eam in furorem egit. Et poëtæ divino furore correpti, œſtro dicuntur perciti. Naſcitur in extremis fanis. Plin. lib. 2. cap. 6.

didit in ſecretiſſimam partem ædium; & mater (ut audio) [1] ex arte ſcenam implevit, undique me filiam ſuam quærens, niſi quà eſſe cognoverat. Supplicavit etiam Icciobati, ut exploratoribus late per viciniam dimiſſis ſibi me redderet. Vereri ne ob fratris interitum violenta in meam vitam conſilia inirem. Nec ille omiſit quæſtionem. Multùm enim ſcire intererat an ſatis periiſſem.

Sed cùm aliquot dies quærerer fruſtra; [2] materque vacuos rogos ut extinctæ poſuiſſet, tandem cum Praxetâ conſtituit amovere me à tyranni poteſtate, dum ipſa deligat ex vicinâ juventute, qui par vindicandæ hereditati me uxorem accipiat. Neque ſecuriùs mitti me poſſe, quàm quò nulla antea nobis interceſſiſſet familiaritas. Ita enim omnem patrui mei in quærendo ſolertiam poſſe eludi. Et tu ſupra cæteras meæ matri placuiſti, ô matrona. Ita concupiit auſpicari tecum hoſpitium, ut acciperes unicam gnatam, ſi aliter non vis, at certè in ſervitutem tuam. His ita decretis, quò tutior fallacia eſſet, mater ad Icciobatem digreditur, & ſuper meo caſu conſuli deos petit; nec alium certiora reſponſurum [3] quàm Delphorum præſidem deum: ſe enim avitam in eum pietatem obtinere. (Nam & Phocenſium colonia ſumus, olim Maſſiliâ in interiorem Galliam deducti.) Si Icciobati placeret, ſe Praxetam eò miſſurum. Prolixè Icciobates conſilium probavit. Nam & ipſe mei fati incertus, deorum miniſterio, ubi eſſem aut quomodo occidiſſem intelligere cupiebat. Nec ſuſpectus Praxetas illi erat. Dona etiam ferenda deo tra-

1 *Ex arte ſcenam implevit.*] Fictitiis lachrymis, conceptam tragœdiam abſolvit.

2 *Mater vacuos rogos ut extinctæ poſuiſſet.*] Inanem tumulum ſeu Cenotaphion abſente cadavere, ne redditis juſtis, umbræ per centum annos in ripa Stygis, juxta antiquam ſuperſtitionem, errare cogerentur, ut ſupra. Et Ovid. Metam. 6.

Induiturq; atras veſtes, & inane ſepulchrum
Conſtituit.

3 *Quàm Delphorum præſidem Deum.*] Apollinem, qui Arelatæ præcipuo ſtudio colebatur, quod Phocenſes eo coloniam ex urbe Maſſilia deduxerant. Delphis autem in Phocide Apollo celebre oraculis templum habuit; ſequitur enim: *Phocenſium colonia ſumus, olim Maßiliâ in interiorem Galliam deducti.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tradit, Praxetamque multo auro ſolicitat, ut editum oraculum nulli priùs quàm ſibi enunciet. At ille promiſſam nobis fidem non mutans, tanquam Delphos profecturus, me pro ſarcina imponit parvo navigio, quod ſecundo flumine ad mare ferebatur. Nactus inde [1] ex Epidamno navem, quæ [2] à Rhodani oſtiis [3] ſolvebat in patriam; cùm vectores omnes ac nautas peregrinos eſſe ſciret, [4] faſciis in hoſpitio diductis me ſororem appellavit, impoſuitque navigio; locavere operam nautæ, ut nos applicarent Siciliæ: quibus fidem ſervantibus, ecce me, Seleniſſa, jam non memorem libertatis, & aliquid exigenti è patriâ Icciobati debituram, ſi me tuam ſamulam eſſe permittes. Praxetas ille mihi ex concubinâ patruelis, is eſt, qui ut altiùs fallat, in ſervili veſte me ſequitur. Noſtros errores, & quæ modò ſtrictim expoſui, potes ab eo, matrona, diligentiori narratione accipere.

Cùm hæc diceret, tanta modeſtia ſermonem commendabat, tam concinnè leniterque mœrebat, ut in eoſdem cum illâ affectus ſentirem me mutari. Et ego [5] per deum fidium (interpellat Radirobanes) jamdudum expecto quid de illâ ſtatueris. Si in me incidiſſet, non contentus hanc timidâ pietate obtegere, revulſiſſem Icciobatem à præda, cui forte nunc incubat, vinctumque, & ultimis ceremoniis mactatum, virgini immolaviſſem. Subriſit Seleniſſa, & Radirobanis pietatem laudavit. Anxia, inquit, eram. Nam neque tanta ſupplex, & quæ oris habitu, precioque tot gemmarum, ambigere non ſinebat, quin vera afferret,

1 *Ex Epidamno.*] Oppidum eſt in parte Macedoniæ, quæ Adriatico mari incumbit, triſtiſſimo Græcis in Italiam trajectu, nullis non cognitum, vocatum eſt à Romanis Dyrrachium.

2 *A Rhodani oſtiis.*] Supra Arelatam Rhodanus multis oſtiis in mare devolvitur.

3 *Solvebat in patriam.*] Epidamnum.

4 *Faſciis in hoſpitio diductis.*] Sarcinis in hoſpitio dovolutis. Nam dixerat ſupra; *Tanquam Delphos profecturus, me pro ſarcina imponit parvo navigio.*

5 *Per Deum fidium.*] Fidius, filius Jovis à fide dictus, cui præeſt. Vide ſupra lib. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ret, negligi poterat; rurſuſque Argenis obſtabat officio, cui eram addicta, & ad quam nefas erat, præter aſſuetas, ullam admittere. Igitur, potuiſſes, inquam, Virgo, deflectere ad alias quæ utilioris in te pietatis fuiſſent; ad neminem autem cui tua calamitas plùs doleat. Sed quod oras, præſtare non poſſum. In ſecretâ enim arce cum filiâ Regis ago. Succedet officio mea ſoror; quæ, ſpondeo, res tua ſic curabit, ac ſi ex eâ nata eſſes. Confuſa videbatur, & verecundia oculos in humum traxerat; ac, quàm benè ſecretâ eâ domo tegerer, inquit, ſi in eâ per te liceret ſtirpi Regiæ famulari. Concutiebat animum meum tam indigna calamitas. Jubeo itaque benè ſperare; eamque cum ſuo Praxetâ Sorori meæ trado, interim dum ego ad Regem, qui tunc erat Syracuſis, omnia refero. Rurſus interpellat Radirobanes. Quis autem Meleandri ſenſus fuit? advolavit ad ſolatia adhibenda; an potiùs ſuam aliis pietatem mandavit? Jamdudum excrucior quòd tam lentè miſeram adjuviſtis. Et quidem expectabam, ut viam ad exitum mearum curarum expedires; tu in alias ſolicitudines conjicis. Sed tanti eſt obliviſci parumper ægritudinis meæ, dum miſerrimæ Theocrines caſus accipio. Tu modò omnia, nec præcipitanter exequere. Tum Seleniſſa; ne me verò exiſtimes fruſtra in hos ſermones delapſam; ſcies tandem quàm hæc ad te pertineant. Meleander non minori indignatione quàm tu modo hanc hoſpitis calamitatem accepit. Et quid, ô Seleniſſa, ſi miſeram viſo? Ne feceris, inquam, Rex. Proderet ſupplicem tua humanitas. Quis enim Optimatum, aut ſaltem matronarum ſalutare deinde advenam non volet? & in tanta celebritate periret arcanum quod apud nos ſic quærit. Si permittis in arcem ad Argenidem duci, commodiùs eas viſes. Volo, inquit, mea Seleniſſa. Tibi curæ ſit ut benè habeatur. Quòd ſi à domeſticis turbis quietem Dii dabunt, faxo patruus non in illam impunè peccaverit. Nunc demum mihi places (exclamat Radirobanes) nunc dignus es, Meleander,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

leander, qui Argenidem genueris. Ad quæ verba anus hilarior, vide, inquit, ut hunc animum in Theocrinem ſerves. Eget enim hodieque beneficio tuo. Sed eſt multò facilius extra periculum miſericordem eſſe, quàm cùm præter contemplationis pietatem, opera præſens exigitur. Nunc verò ſine me cætera memorare.

Poſtquam hanc licuit adjungi Argenidi, læta regredior ad ſororem, bonitatemque Meleandri, & omnia quæ volebamus, impetrata renuncio. Et nunc, inquam, Theocrine, mihi in ſecundam curam es. Pari cum Argenide cultu te juſſa ſum obſervare. At illa magnopere orabat, ne quid de ſe decerneretur illuſtriùs, quàm de cæteris, quæ in Argenidis vivebant familiâ. In hoc enim ordine poſſe ſe extra famam latêre. Longiſſimum mihi erat, quòd non eam è veſtigio ad arcem ducebam, haud dubia amaturam Argenidem oblatum à diis egregiæ adoleſcentis conſortium. Sed inſtabat ſacrificium meæ familiæ anniverſarium, quod rectè fieri me abſente non poterat. Poſtridie verò quàm per ſacra licebat, Praxetam Delphos verſus dimiſimus. Nam ajebat aliqua reſcire Icciobatem poſſe, ſi nuncupatis votis perfungi neglexiſſet. Sed deo conſulto ſe Syracuſas rediturum ad ſororem; ut inter nos fingere poſſemus quæ tyranno referret tanquam ab Apolline oracula.

Illo profecto, impoſui meo carpento Theocrinem: nec ſatiabar colloquendi dulcedine, ut itinere inter varia conſumpto, priùs ad arcem pervenerim quàm me ſcirem digreſſam Syracuſis. Poſtquam Virginem Argenis conſpexit, aliquo ſtupore perculſa eſt, non ſemel per omnia ejus lineamenta mentem & oculos ducens. Ego coram cæteris de Theocrine modeſtè locuta ſum; Virginem eſſe externam, quæ Africam petitura, ad nos naufragio perveniſſet. Secretò deinde Argenidi rem committo; quæ omnibus præter me remotis; Si mihi, inquit, ô hoſpita, ſororis ſuaviſſimum nomem concedis, ſi dignum eo nomine affe-

ctum

ctum indulges, me dehinc unicam patri meo non putabo. Utinam velles, quid genere tuo dignum ſit comites meas ſcire. Sed hinc ſcias apud nos te regnare, quòd locum ac gradum tibi arbitrio tuo conſtitues, & quæ arcana eſſe volueris, ego & Seleniſſa ſilebimus. Non ſe tenebat Radirobanes; ſed loquentem interfatus, ô, inquit, fortunatam Theocrinem! ultro ab Argenide amari, ſic audire, ſic reponere, abſque æmulo veſci ſic poſſe! Numerò dicis hæc, reponit Seleniſſa, præquam ſi deinde conjunctiſſimas mentes, & ſtudia nullâ ſimultate interpolata aſpiceres. Erras tamen quòd æmulationem abfuiſſe exiſtimas. Deperibam Theocrinem; & utra plus ab eâ amaretur, mihi cum Argenide contentio erat. Accendebat noſtrum amorem modeſtiâ ſuâ. Neque ulla erat in arce quam non idoneo officio demereretur. Error etiam linguæ, divertentis à genio Græciæ, augebat dicentis gratiam nævorum venuſtate. Studia illi eadem quæ Argenidi eſſe videbat; ea autem prudentia ut ſæpiſſimè victa diſcederet; & ne quid calliditati lepidiſſimæ deeſſet, indignatione mox fictâ incitabat vincentis lætitiam. Sed lanificii erat rudis; non acum, non colum tractare aſſueta. Venationi in ſuâ gente deditas ajebat, quæ ex primis ſtirpibus erant ortæ. Facillimè tamen indolem cum regione exuerat. Monſtrari ſibi volebat eas artes, non indiligenter obſervans quæcunque monebatur. Nihil tamen vehementiùs mirabar quàm cultiſſimam amœnitatem ingenii. Semper inſontes joci, aut feſtiva narratio; vividi quoque verſus, & maſculi plùs quàm qui fidibus canerentur. Nam ſcribendi vitia ſeu Græcè ſeu Italicè conaretur, non perinde ac loquendi illi erant.

In illis remiſſionibus eramus, cùm interrupit ocium noſtrum flagitioſa proditione Lycogenes. Impatiens artis quâ Rex Argenidem ſervabat, utrique exitium deſtinat. Operoſum, & fortaſſe invium facinus, ſi illud pietas imperaviſſet: ſed nihil eſt ſupra improbitatis ingenium.

Igitur

Igitur duorum conſcientiam tentat, qui ad omnia promiſerant ferrum, fidemque jam ad flagitia exhibuerant. His arcem oſtendit, illic prædam, ſi modò viri eſſent, eximiam latêre. Ubi Rex ad inviſendam filiam receſſiſſet, noctu evadendum in mœnia. Quippe non ſatellites, non amicos, non ſervulos intra ea limina admitti. Nudum, & ſenem, etiamque conſopitum, quàm facilè opprimi poſſe? Sed & comprehendendam eſſe Argenidem. (Eâ enim ad nuptias adactâ, uſurum ſe deinde cogitabat Regis vitâ, ut in tanto rerum motu fortuna monſtraviſſet.) Ipſa ſceleris inſolentia excitabat latrones, ut ſe memorabili flagitio celebrarent. Sed quis, ajebant, nos in arcem recipiet? aut quis euntes non notabit? utique tam frequenti ſedulaque vigilum ſtatione, ut penè in numerato ſint aves quæ armatos prætervolant. Cùm diu diſceptaſſent, tandem commodiſſima ea pars viſa, quæ cingitur mari. Nam viribus naturæ fiſum Regem eo latere omiſiſſe cuſtodiam; poſſe appelli levem ſcapham, & undarum fremitu neceſſarios tumultus latêre. Rurſus tamen cogitabant illic collem per præcipitia deſidere ſcalis omnibus altiora, ſed ſicariorum unus, cujus confeſſione poſtea de ſceleris modo reſcitum eſt; permitte mihi negotium, inquit. Inveniam rationem quæ nos in arcem tollat. Socius tamen mihi unus non ſatis eſt. Quid enim ſi quærendus Rex in vaſtâ domo erit? aut ſi ultimus terror vires illi ſufficiet? quid quòd antevertenda Argenidis fuga erit, ſi intellecto periculo latebit, ad excubantem ad fores cuſtodiam petet? non pauciores octo ſuffecerint. Hos ſi deligere mavis, ociùs nobis conjunge. Sin in tanta re nobis fidis, notos habemus, qui omnia perfecta tibi reddant. Lycogenes ſe ſuamque fortunam tradere illis profeſſus; cras, inquit, ſe in laqueos dabit præda. Audio enim Meleandrum ad Argenidem iturum. Maturate, dum adhuc recens eſt impetus; nec ſinite conſcientiam eorum quos ſecretò adhibebimus, nimiâ morâ in proditionem deflectere. Ego in præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

in prædio meo ero, quod quinto ab arce milliari ad littus eſt. Vos illic communem prædam adducite.

Sic inter nefarios conſtitutam rem viſa eſt fortuna promovere. Venit enim ad arcem Meleander; noxque imbribus fœda, & exeunte menſe illunis, interceperat quàm oculorum tam aurium uſum. Solebat Rex cùm ad filiam veniret, Proceres à limine arcis dimittere, ut ad proxima militum caſtra, aut vicinorum oppidorum cultiora diverterent. Nos autem neceſſaria omnia ei exhibebamus. Hoc remiſſiſſimum tempus erat optimo ſeni. Quaſi relinqueret curas in foribus, ipſamque majeſtatem, inter nos veriſſimâ quiete ſolvebatur. Eâ veſperâ quæ deſtinata erat inſidiis, non modò ignarus periculi, ſed & forte hilarior, cùm omnes cœnaviſſemus, & quærere cœpit quibus ludis hybernum & madidum diem puellæ tranſegiſſent; & ego, fabulis, inquam, Rex; quas impendiò depereunt. Imò tu (ait) hoc ſtudio iis concedere non debes, Seleniſſa, quæ [1] eſſe jam anus & fabula incepiſti. Sed referre ſingulas volo, [2] quo ſymbolo juverint hunc ſenatum. Cùm omnes rideremus, & ille imperioſiùs inſtaret, auſæ ſunt quæ proximè ſtabant ſuas ineptias memorare. Inter illos ſermones Rex paulatim inſinuato ſopore ſe dimiſit, reclinisſque in eundem quem cœnando preſſerat thorum ſtertere cœpit. Et quoniam expergefactus ægrè ſoporem revocabat, compoſitis veſtibus opertum, appoſitoque haud procul lumine, ſine ſtrepitu omnes relinquimus.

Jamque in cellas digreſſæ mulieres ſomnum petebant; adhuc tamen Argenidi & Theocrinæ colloquebar (lectuli enim mihi & Theocrinæ in Argenidis cubiculo erant) Cùm audimus præter morem, gravius murmur, voceſque atque veſtigia ſeſe cum feſtinatione prementia. Nec quid primò

1 *Eſſe fabula incepiſti.*] Ut enim fabula nihil vanius, ita ſenectute nihil fragilius: niſi malis ad deliramenta anicularum alludi γραῶν ὕθλος.

2 *Quo ſymbolo juverint hunc ſenatum.*] Qua fabula, quo ænigmate, quibus ludicris recreaverint coronam.

1 *Quàm*

primò gravius ſuſpicabar, quàm eſſe puellarum tumultum licentius inter ſe ludentium. Sed viciniori mox clade, virilem ſonum eſſe intelligo, atque auribus meis incognitum. Dum dubito, dum timore deprehenſa non loquor, validiſſimis ictibus cubiculi fores afflictæ ſunt. Ne mirere ſi ad illius noctis memoriam confundor: adeò ſpectaculi atrocitas propè vitam ſubmovit. Dirum facinus! video armatos nudo ferro intra limen prorumpere; ac quod unum licuit, graviſſimè cum Argenide exclamo. At verò Theocrine (accipe rem indignam quæ poſteritati erepta, inter nos ſic pereat.) Theocrine, inquam, noſtra ſe de thoro præcipitat, nec mitiùs [1] quam ſi recepto deo fureret, invecta eſt in latrones. Dumque illi ad virginis inexpectatam audaciam; incerti quid aut vellet ipſa, vel poſſet, pauliſper obſtupeſcunt, Theocrine eum adorta qui primus intraverat, non modò armati ſiſtit veſtigia, aut occupat ictum, ſed involat in enſem, ſubitoque extorquet. Eâdem celeritate, ô Rex (citiùs enim quàm hæc loquor hoſtilibus armis potita eſt) clypeum à victo detractum ſuæ lævæ inſeruit. Circumſpiciebam ego non periculi magis, quàm auxilii novitate attonita; cum illa unius cervicem ita ferro præcidit, ut ad me atque Argenidem cruor de efflante trunco pertingeret. Strenuè deinde hunc clypeo pulſatum, hunc mucrone, hunc capulo turbat. Tum verò graſſatores, qui primùm inſolentia certaminis turbati gradum retulerant, tanquam in juſto diſcrimine violentiùs inſurgunt; ut neque jam puderet plures in unam, & puellam decernere. Exſonabant anguſta in ſede arma quaſſata; ſimulque miſerabilis clamor mulierum, (jam hæc enim ad nos concurrerant) ſpeciem captæ urbis majori quàm pro loco aut numero tumultu retulerat.

CAPUT

1 *Quàm ſi recepto Deo fureret.*] More Pythiæ vatis Apolline recepto furentis, ut ſupra lib. 1.

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

Colloquia Radirobanis & Seleniſſæ Argenis intervertit. Nec eam anus perfidia latuit, quam ſecretorum ſuorum poſthac exortem facit. Interim Poliarch. Siciliam cogitans, extremo remedio quartanam, qua dudum laborabat, ſtatim excutit.

HÆc narrante Seleniſſa, non ſe regebat Radirobanis animus, tam prodigioſi certaminis expectatione ſuſpenſus. Sed ecce colloquentibus modum impoſuit, tunc primùm injucunda Radirobani Argenis. Fortè redibat per illam horti ſemitam, cui antea minùs conſueverat. Eâque conſpectâ nihil Radirobani & Seleniſſæ inter ſe addere licuit, niſi ut poſterâ die in idem horti ſpacium paulò poſt Solem exortum, tanquam ambulantes, convenirent. Nec gaviſa Argenis eſt, Radirobane viſo: ſoli enim Seleniſſæ colloqui properabat, multò hilarior quàm cùm exceſſerat è cubiculo. Cùm is tamen venienti obviam iſſet, non ſeverè exceptus eſt, Virgine per alia gaudia minùs illum tunc exoſa; quæ etiam ut animum tegeret ſeriâ læticiâ perturbatum, deflexit ad levia, chartamque verſibus plenam oſtendit paulò antè à poëta non ignobili oblatam. Iis ille fœlicitatem regii luci celebraverat, in quem Argenis ſive levando æſtu, ſive ad primæ noctis pulchritudinem, ſolebat concedere. Ipſa quidem explicatam manu chartam tenebat, quam ſic porrexit Seleniſſæ, ut Radirobanem quodammodo invitaret ad iſtorum carminum lectionem.

Fortunata nimis, ſoleſque habitura ſerenos,
O quæcunque tuos diffuſo vertice ramos
Pandis, & in ſpatiis nutas regalibus arbor!
[1] Te neque Chaoniis vocalis ſylva columbis,

Nyſæum-

1 *TE neque Chaoniis vocalis ſylva columbis.*] Superas iſtos amœnitate lucos. Alis columbæ Dodoniæ Sylvæ oracula dabant.

1 *Nyſæum-*

[1] Nyſæumve nemus, [2] ſummiſque habitata deorum
Ida, vel intonſi ſuperent [3] faſtigia Pindi.
Quis parvi ingentes nemoris, quis carmine digno
Æquet opes, formamque loci, Nymphaſque deoſque?
Populus hîc, trepidiſque Alnus propè candida ramis;
Fraxineumque decus, Platanique, Ornique minantes
Syderibus, ſævoque [4] illæſæ fulmine Quercus,
Et Fagi veteres, & amicior Ulmus Iaccho.
Fronde placent variâ; Non eſt color omnibus unus;
Non parili ſe ſtirpe levant. Hîc [5] multa Cupreſſus
Tollitur in metas, gracilique [6] umbone ſuperbit.
Hîc & Apollineæ laurus, Piceæque liquentes,
Et [7] Phrygiæ Pinus & [8] glaucæ dona Minervæ.
At lentæ ſubtus Coryli, fœcundaque puro
Fonte arbuſta tepent. Tum floribus alma ſuperbos
Veſtit terra ſinus; quales non blanda faventis
Aura creat zephyri, Stygio nuptura marito
Quos legat Ennæis ſimplex Proſerpina campis.
Nec diros hæc ſylva lupos, nec ſentit aduncæ
Spumea roſtra Suis; vel formidabile murmur
Accipit, abſentes ſi quà Leo devovet agnas,

Rau-

1 *Nyſæumve nemus.*] Nyſa eſt unus ex verticibus montis Parnaſſi, ſylvis conſitus.

2 *Summiſque habitata Deorum Ida.*] In hoc enim monte, Phrygiæ amœniſſimo, Cybele cum ſuis Coribantibus hæſit, ibi Juno, Pallas, & Venus de forma decertaverunt, ibi Idæi dactyli, &c.

3 *Faſtigia Pindi*] Mons eſt Theſſaliæ Apollini Muſiſque ſacer.

4 *Illæſæ fulmine Quercus.*] Quæ ideo dicebantur ſacræ Jovi, fulmineque ut & laurus illibatæ, ita Plin. ſæpe laudatus. Hîc propter plures Deis ſacras arbores apponenda fabula Phædri, lib. 3.

Olim quas vellent eſſe in tutela ſua
Divi legerunt arbores, quercus Jovi,
Et myrtus Veneri, placuit Phœbo laurea,
Pinus Cybelæ, populus celſa Herculi,
Minerva admirans quare ſteriles ſumerent
Interrogavit. cauſam dixit Jupiter,
Honore fructum ne videamur vendere:
At mehercule narrabit quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructus eſt gratior.

5 *Multa Cupreſſus Tollitur in metas.*] In ingentem altitudinem & in conum. Ante dictum eſt de metarum menſura, & forma pyramidali.

6 *Umbone ſuperbit.*] Vertice in modum coni acuminato.

7 *Phrygiæ Pinus.*] Phrygiæ dicuntur, quia in monte Ida frequentes ſunt, ex quibus Æneas ante diſceſſum naves fabricavit.

8 *Glaucæ dona Minervæ.*] Oleæ, quarum inventrix Minerva.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Raucaque vicinum terrent jejunia campum:
Inſontes Capreas, placidoque examine Cervos
Cerne magis, pigras latus acclinare per umbras;
Vel parvâ trepidare fugâ, ſi plauſibus aura
Infremit, aut dubios venti movere tumultus.
Vos quoque [1] *præſagæ cantuque aliſque volucres,*
Non iſthic avido retinet circumlita viſco
Arbor; ad humentes nec fraus ſedet improba fontes,
Heu veſtros prenſura pedes. Juvat æthere toto
Nunc tranare polos, nunc tutis ſidere terris.
Quàm benè nocturno gentilia prælia cantu
Conſerit, & [2] *Thracem narrat Philomela tyrannum!*
Quàm benè, cùm roſeos nox ultima pallet ad ignes,
Innumeras dat lucus aves, & [3] *picta ſalutat*
Turba diem, tantiſque ſonant concentibus auræ!
Parva loquor. Totas Dryadum nemora iſta catervas
Incoluiſſe juvat. Procul ô procul impia cedant
Lumina; nec ſanctam lædant contagia ſylvam.
Unde tamen luco tantum decus, unde frequentes
Numinibus ſedes, ipſæ vos dicite Divæ.
Scilicet huc caſtos magni quòd filia Regis
Ferre gradus, parvoque ingens producere luco
Virgineos aſſueta choros; ſe læta beato
Indulſit Natura ſolo; Nymphæque decoras
Auctura comites, hos implevere receſſus.
O Virgo, ô Princeps, Siculorum ô cura Deorum,
I, cupidas ſpecta nemora inter conſita divas;
I, gratum dignare nemus. Veſtigia campus
Signabit, raptis ſubitus quæ floribus Auſter
Impleat,

1 *Præſagæ cantuque aliſque volucres.*] Oſcines & præpetes, de quibus ſupra.

2 *Thracem narrat Philomela tyrannum.*] Cantu ſuo luſcinia queritur de Tereï Thraciæ Regis perfidia, qui huic inviſenti ſororem Prognem, cum ſtuprum intuliſſet, neque malitiam Terei illa revelare potuiſſet, ob linguam ſibi à ſtupratore præciſam, texta lanificio tragœdia injuriam ſuam & revelavit ſorori, & una cum Progne ulta eſt, appoſito in eſcam Regi filio Iti. Ovid. l. 1. Metam.

3 *Picta turba.*] Volucres.

1 *Ser-*

Impleat, & [1] ſervent metitæ in cortice Nymphæ.
Nec nemus hoc tantum. Siculi te ſentiet omnis
Ora ſoli, facieſque deos ſatis una faventes.
[2] Tu ſi quà Libycis exæſtuat annus arenis
Ire voles, [3] aut quà emoriens Natura pruinis
Deficit, [4] & gelidâ ſitiunt ſtatione Triones,
Miteſcent ſteriles auræ; tum floribus omnis
Creſcet ager, fatoque diem meliore novabis.

Radirobanes in cubiculum deductam Argenidem, quia adventabat veſpera, relinquit, & ad Meleandrum digreditur. Tum verò ad Seleniſſam Argenis; jamdiu eſt, mater, quod te habere ſolam quæro. Et te quoque multùm exiſtimem proci illius tædio nauſeaſſe. quid enim tamdiu tecum hæſit? Hîc Seleniſſa molliùs loqui, & præter quàm Argenis expectabat. Se enim neſciviſſe tantæ humanitatis, totque lepôrum hominem eſſe; ſuaviſſimè loquendo junxiſſe diem nocti, niſi quòd identidem referebat ſe ex amore miſerrimum. Non probavit ſagax Argenis de inviſo homine præconium. Sed diligentiùs quæſitura; quid autem facturus eſt? ait; aut quando ſoluturus in patriam? Mitte has ſpes, inquit anus. Niſi bello devictus non obibit. Nam & afflictim te deperit; & is furor niſi magnâ ruinâ premi non poteſt. Utinam ſaltem adeſſet Poliarchus; utinam illius fortitudine tegeremur. Ac mecaſtor ingratitudinis famam timeo, ſi pugnandum in hunc erit cujus auxilio ſumus incolumes. Quid ſi levi ſpe indulgeremus inſanienti? Dilatione fruſtratus poteſt in Sardiniam remitti, quaſi rebus maturis revocandus. Hæc non illius, ſed tua & Regis cauſa dico. Dolebis Hymenæi tui face Siciliam adhuc civilia excutientem incendia rurſus ardere.

Arge-

1 *Servent metitæ in cortice Nymphæ.*] Hamadryades.

2 *Tu ſi quà Libycis exæſtuat annus arenis Ire voles.*] Periphraſ. Si vis in Lybiam arenoſam pergere.

3 *Aut quà emoriens natura pruinis deficit.*] Periphraſis. Si petis plagam Occidentalem.

4 *Et gelida ſitiunt ſtatione Triones.*] Si Septentrionalem plagam emetiris. Sitiunt, quia aquæ gelu concretæ ſunt.

Argenidem ſive indoles ſua, ſive induſtria amoris, facilè Seleniſſam eſſe mutatam admonuit. Sed indignatione in alìud tempus ſubmotâ, molliùs hanc de Radirobanis amore mentionem rejecit; ſcilicet majus opus adorſa, illam anum, illam verſutiſſimi ingenii larvam aliâ fraude pervertere. Igitur cùm aliquandiu ſilentium tenuiſſet; Mihi quoque ægrè eſt, Seleniſſa, benè meritum Regem in ſpes incubuiſſe, quibus illi indulgeri non liceat. Sed de iſtis deinde viderimus. Læta matrona, tanquam juvantibus diis fallere incepiſſet, virginem ſolam reliquit; quæ mox in feneſtram reclinis, lacertoque mentum excipiens, cœpit furioſe dolere, arcanorum omnium ſibi conſortem timeri meruiſſe. In quam enim jam curas partiretur? quis in dolorum, quis in gaudiorum arbitrium poſſet jam recipi? Tandem riſus imitatione perſtrictâ, cogitavit nunquam ſine mixturâ aut propitios aut triſtes deos eſſe. Satis autem eam lucem habuiſſe fortunæ. Ferendum ſi quid grave deinde accidiſſet. Hoc ipſum pro numinum munere habendum, quòd non de more, quæ ſibi contigerant, quæque inſtabant, extemplò prodidiſſet Seleniſſæ. Ea autem ſic erant. Spatianti in luco nunciaverat Arſidas, Poliarchum eſſe in Urbe, & latêre in Nicopompi domo; conveneratque inter eos, ut ſub noctem per poſticum duceretur ad Regiam. Ergo puella, lætitiam quam ſola non capiebat, properans in Seleniſſam effundere, maturiùs domum redierat. Sed ſub ipſa loquendi exordia, defeciſſe ad Radirobanem anum expavit, ſiluitque de adventu Poliarchi; quem impetus juvenilis, ad nova latendi pericula rurſus adegerat.

Cùm enim rediiſſet in Africam Gelanorus, nec ut convenerat Clupeæ habuiſſet Poliarchum, ad Regiam Hyanisbes profectus, illic ex febre adhuc ægrum offenderat. Literas ergo & mandata Argenidis ferens, afflictæ præterea Siciliæ ſtatum expoſuit, & quo in diſcrimine virgo eſ-

ſet ſub

ſet ſub Lycogenis propè certâ victoriâ. [1] Nec quicquam dicere omiſit, niſi quod Argenis vetuerat, nempe iniquiorem animum Meleandri. De Archombroto vero non ſiluit; neſcio, inquit, quo ſe faſtu Archombrotus ſuſtulerit; nos jam illi viles ſumus. Nec quid gravius, aut acerbius, quàm eum amicitiæ oblitum credebat Gelanorus. Sed nihil eſt ſuſpicioſo amore ſolertius. Statim Poliarcho ſuſpicio incidit, Archombrotum Argenidis formâ captum, & à ſe tanquam æmulo diſſidere. Nam quid prohibet, inquit, eum aliquà exploraſſe à me quoque amari Argenidem? Nihil agimus Gelanore, niſi in Siciliam maturè tranſmittimus. Scilicet Argenidem, dum hîc ignavus ceſſo, nihil illic inter bella aliorum virtus ſervet? aut veriùs; ſinam alios eſſe quibus ipſa ſe debeat? Anxio animo Gelanorus hanc domini mentem accepit. Nam infeſtum Poliarcho Meleandrum metuebat, & prærepta ab Argenide erat libertas admonendi. Fidem denique utique ſic ſervavit, ut de Meleandri averſione nil referens, ſubinde tamen oſtenderet, maximè intutum Poliarcho provocatæ fortunæ caput objicere inter tot hoſtes, & in ipſa belli licentiâ. Præſtare in patriam navigare, collectiſque militibus, Siciliam, nihil jam diſſimulatâ majeſtate repetere. Faciam, retulit Poliarchus; ſed ſcis pene per ipſa Siciliæ littora viam eſſe ad patriam. Ego autem ut inſalutatâ Argenide terram illam prætercam? Pigere me exhauſti periculi diceret ipſa, niſi in novum ſuccederem. Ubi littus attigero, mihi crede, commenti alicujus ratio me ad illam commodè perducet. Atqui, ait Gelanorus, prius exequar mortem, quàm te in hæc pericula reducem videam; niſi ſaltem hoc impetro, te, ubi in Siciliam perveneris, nulli ſalutem niſi Arſidæ commiſſurum, priuſquam colloquaris Arge-

1 *Nec quicquam dicere omiſit, niſi quod Argenis vetuerat.*] Ultima ſcilicet hæc verba Meleandri ad Gelanorum, *ſciat me Regem eſſe, non veneficum,* & infra, *præcepta erat ab Argenide libertas admonendi.* Et, *De Meleandri everſione nihil referens*, id eſt, de mutatione Regis, &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Argenidi. Communi deinde quod capietis conſilio te permitto.

Fidi hominis ſolicitudinem non aſpernatus Poliarchus, conditionem accepit. Sed deſtituebat animi impetum corpus, acri quartanâ pertinaciter concuſſum; quam etiam novorum conſiliorum magnitudo & anxietas ita auxit, ut quæ nox ſequuta eſt remiſſiùs quidem inhorrens, longiori quàm antea æſtu ſævierit. Neque prorſus Gelanoro ingrata mali vis erat, certiora pericula differentis. At Poliarchus medicinæ impatiens, quæ viribus per jejunia ſubductis, morbum jubebat domitari; eorumque exemplis ad memoriam revocatis, quos audiverat à ſe febrim depuliſſe inſolenti vini potu, idem genus remedii experiri conſtituit. Nihil mirum eſt, inquit, ſi me ex præcepto medicorum exhauſto & moriente, febris ſimul peribit. Adhuc dum vires ſunt, malo cum eâ decernere, & curari meo ductu. Ambiguum quidem in perniciem ſalutemve erit hoc facinus. Sed ſatis eſt, quòd non lentè repræſentabit quicquid de me fata decreverint. Nam hic ſtatus eſt rerum, ut ſit acerbius ægrotare quàm extingui. Ita obfirmatam mentem, non preces, non lachrymæ Gelanori hoc diſcrimen abominantis flexerunt; [1] non invocata Argenis, non matris amicorumque memoria. Ipſa denique Regina Hyanisbe fruſtra oravit. Ergo conſiliis ſuis relictus cùm poſt triduum febris ex conſtituto jam rediret, foco admotus tremorem membrorum frigentium excepit veterrimi vini hauſtu; quod multò violentius ſuum ignem fundebat in ſobriis venis, & mero non aſſuetis. Negavere medici adeſſe ſe poſſe admoventi (ut ajebant) ſibi mortem. At ſubridens Poliarchus, ſi illi abirent, ſaltem [2] medicum Bacchum

1 *Non invocata Argenis.*] Jurando per ejus Genium, ut ſupra per Genium Poliarchi.

2 *Medicum Bacchum.*] Bacchus hîc pro vino ſumitur *μεθωνυμικῶς*, vinum autem ſolet levare curas, mentem exhilarare, fovere corpus frigidum, humidum exſiccare. Vide Vincent. Cartari in Baccho: *Solent ſæpius pagani defectu Galeni medicum Bacchum accerſere, voto utique non irrito, maximè in febri quartana.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Bacchum [1] (uti eum ſæpe vates Pythia appellat) adfuturum reſpondit. Simul in febris rigorem pugnare multo vino pergebat, donec ſanguine calefacto, paulò alius quàm qui ex morbo fervor eſt, trementia membra compoſuit. Hinc cùm diu conſudaſſet, diligenter deterſus eſt. Jamque ſibi validior videbatur. Mirum dictu; cùm iterum hac ſe luctâ in morbum comparaviſſet, juventus, atque fœlicitas, & quæ plurimùm Medicorum incerta conſilia fortuna nobilitat, exegere incommodam febrim.

1 *Uti Pythia vates ſæpe appellat.*] Atticè fidicen lyræ Pindarus Ode 1. Medicum Bacchum à Sibylla appellatum innuit. Sicut Euripides in Bacch. οὐδὲ ἐς ἄλλο φάρμακον πίνειν.

CAPUT X.

ARGUMENTUM.

Reparata valetudine Poliarchus in Siciliam trajicit. Percepto Archombroti victoriæ rumore, quaſi fulmine atteritur. Arſidas Poliarchum ſpe ſua deſtitutum revocat. Monetque Argenidem in Nicopompi domo hunc latere. Illa Arſidam cum hoſpite venire jubet.

HYANISBE, ut temeritatem remedii habuerat in doloris maximi cauſam, ita poſtquam conſpexit incolumem, nullum læticiæ modum adhibuit, donec aliâ ægritudine vis gaudendi ſuppreſſa eſt. Ferre enim non poterat diſceſſum Poliarchi, præſertim cum in vultu adhuc reſtarent vixdum ſubmoti morbi veſtigia. Nam ille pauciſſimis diebus ad confirmandam valetudinem conſumptis diſceſſum pertinaciſſimè ornavit. Et Regina (ut amoris in eum penè materni erat) [1] lachrymis ominibuſque ad limen proſequuta abeuntem, nihil amplius oravit, quàm ut hoſpito littore uti promitteret, ſi quis in viciniam caſus navigantem retuliſſet.

Sed poſteaquam intravit conductam à Gelanoro navem, deductuſque in altum eſt, ſolicitare remiges, ac urgere

1 L*Achrymis ominibuſque proſequuta abeuntem.*] Bene precando, quod fit diſcedentibus & ad longum periculoſumque iter ſuccinctis.

gere non ceſſavit; tempus quoque deſtinans, quo ſi terram Siciliam monſtraſſent, merces eorum geminaretur. Lucelli ſpes ſegniciem abegit, votoque damnatus Poliarchus illis monſtrantibus inſulam agnovit. Tunc porrò diverſiſſimarum rerum contemplatione inhorruit. Quæ mala, quæ gaudia, illa tellus haberet! illic ſibi fœlicitatem eſſe vel exitum. Quo periculo inde evaſerat! quid ſi iterum eadem tempeſtas inſurgeret? Mox diſcrimina omnia ſpecieſque fortunæ terribiles, ubi Argenidem cogitatio obtulerat, lætiori audaciâ diluebantur. Modicus portus erat, & præterquam piſcatoriis caſis incelebris, duodecim millibus ab Epeircte. Illic applicato navigio in arenam deſcendit; humilique diverſorio, tanquam ſali jactatione æger, celari inſtituit, donec miſiſſet ad Arſidam. Cùm verò ſtabularium, ad quem diverterat, inter cætera rogaſſet, ubinam ageret Meleander; nondum, retulit ille, diſceſſit ab Epeircte ex quo Lycogenes victus eſt. Tanquam auguſtiori ob victoriam loco, excipit civitatum Oratores, quæ certatim ad eum de pœnitentiâ ſuâ mittunt. Victus ergo eſt Lycogenes; ſubjicit Poliarchus. Omnino, inquit caupo. Dedit pœnas meritiſſimâ morte; caputque ab ſummâ aliquandiu arce ad ſpectaculum pependit. Sed jam fertur Rex Syracuſas commigraturus, quò Sardiniæ Regem per præcipua Siciliæ ornamenta circumducat. Quærente Poliarcho unde in Siciliam adveniſſet Rex Sardiniæ; neſcis ergo, ait ille, Sardiniæ Regem cum exercitu ſuppetias tuliſſe Meleandro; & ejus fortitudine reſtitutam pacem Siciliæ? obticuit Poliarchus, mutatâ Siciliæ ſorte, omnia ſibi perplexa auguratus. Adventabat poſt diſcrimen; alii, & peregrini, juverant Meleandrum; & quòd incolumis eſſet Argenis, beneficium Sardiniæ erat.

Relicto igitur caupone, ô Gelanore, inquit, fac ut ſciam quis hic terrarum orbis ſit; id eſt, an ſalus adhuc mea cum hac rerum mutatione conveniat. Adhuc habebat capillamenta, quibus olim dolo Timocleæ mutaverat vultum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tum. Horum unum Gelanoro cum ruſticâ veſte tradit, jubetque ſub noctem Epeircten intrare, & monere Arſidam ſe in pelagi orâ fortunæ varietate laſſatum in utramlibet ſortem ultima expectare. Dum iret Gelanorus, quidam ex vicinis oppidis in viâ oblati ſunt, qui & ipſi Epeircten petebant. Quamquam concinnam induerat larvam, tamen illorum conſortium fugiſſet, ne quis fraudem deprehenderet; ſed in anguſtâ viâ divertere non licebat: & illi priores ſalutaverant. Ergo neceſſariâ audaciâ, tanquam advena ignaruſque Siciliæ, de proximo bello quærit, & victoriæ ratione. Ii omnia ambitu referebant, quo ſolemus in proſperis res noſtras apud exteros commendare. Duos potiſſimùm celebrabant, Radirobanem, & Archombrotum. Nam Archombrotum in Lycogenis capite præcidiſſe quicquid in ægrâ Siciliâ ex morbo tumebat; Radirobani autem hoſpitalis auxilii & fortitudinis præmium fore Argenidem. Ita enim rumor tulerat, quodque iſti credebant, bonâ fide apud Gelanorum profitebantur. Ille, ubi potuit ab iis diverſus, inter acerrimi doloris ſuſpiria agitabat, an res eſſet domino referenda. Verebatur ne ſub tali nuncio vitâ deficeret; rurſuſque ſperabat, nondum coalita mala, ſi mature nunciarentur, illius genio & fœlicitate poſſe reſcindi. Sed antè omnia conveniendus Arſidas erat. Jamque Epeircten habebat in conſpectu, cùm [1] puerum videt maculis oneratum, loriſque venaticos duos canes ducentem. Et agnovit de Arſidæ familiâ eſſe. Ac utinam dii, inquit, hujus venationis beneficio Arſidam mihi darent. Quod ſi occurreret, tamen nec ſolus veniet, nec temere erit coram aliis compellandus. Se itaque comparabat, ut ſi quid tale accideret, fortunâ uteretur. Ecce autem commento vixdum commodè inſtituto, aliæ plagæ, & alii canes, neque procul cum aliquot ex Sardiniæ Proceribus Arſidas venit. Gela-

1 *Puerum maculis oneratum.*] Retibus & plagis ad venandum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Gelanorus frontem omnium contemplatus, quia omnes ignotos ſibi vidit, viciſſimque ſperavit illos ſui incurioſos fore, ſe audaciùs admovit Arſidæ; & ad te commodùm ibam, inquit. Ab Rhegio hoſpes ſum; ſalutemque & quædam præterea affero quæ ad te ſocer commiſit diſcedenti. Tum ad aurem ſe ſpontè demittentis obiter admotus; ſum, inquit, Gelanorus; ſed tantiſper me noſſe diſſimula dum habeas ſolum. Turbatus Arſidas occurſu inſperato, Sardos placidè præire hortatus eſt; cupere ſe pauliſper percunctari de neceſſitudinibus ſuis. Sub hac larvâ ſecretò, ſed breviter, cum Gelanoro loquutus eſt. Colloquii ſumma fuit, ſe, ubi incaluiſſet venatio, procul omnibus aberraturum in nemore, & ad Poliarchum iturum. Neque mora ad Sardos lentè prægreſſos contendit, quos jubente Meleandro venatu oblectabat. Ipſe autem Gelanorus tanquam Epeircten pergeret, ubi potuit Arſidæ comitatum latêre, flexit iter per notos pridem calles, & ad diverſorium rediit.

Eo verò adhuc cubiculum intrante, Poliarchus moræ impatiens; quid, inquit, fers tandem Gelanore? Adventum Arſidæ refert ille. Venationem ineunti ſecretò loquutus ſum, & ut diei tempus eſt confeſtim adfuturum conjicio. Nihil ultrà Gelanorus memorabat. Arſidam quippe, quàm ſe, malebat triſtia nunciare. Sed inquieto erat vultu, neque ſatis ſubmovebat ſuſpiria. Tandem ſæpius urgenti Poliarcho, miniſque jam aſpero, quæ in viâ audierat, refert; pactam Radirobani eſſe Argenidem. Non doluit Poliarchus, non ſuccenſuit, horruitque ad nuncium acerbiſſimæ rei. Major erat is motus affectibus quibus nomen invenimus. Dumque jam non ampliùs triſtis, aut cui adhuc poſſet nocere fortuna, in æmulorum ruinâ decernit perire; Arſidas caſam intrat, imponitque ſtabulario, quaſi feram ſequutus, & viarum imperitiâ illò delapſus. Poſtquam autem ſecreti fuere, rigentemque Poliarchum conſpexit, nec exertis oculis imperantem; heu quid

quid aſpicio, egregie juvenis? inquit; aut quid tantùm dolere incolumi Argenide potes? At Poliarchus; Valeo, Arſida; valeo, inquit; & me vivere Radirobanes veſter cum ſuâ nuptâ faxo intelligat. Senſit Arſidas errare Poliarchum? veriuſque cuncta expediens, Meleandri & Argenidis vota longè eſſe alia monſtravit, quam quæ optabat Radirobanes, populuſve jactaverat. Ita paulatim factus Poliarcho finis erroris eſt, cœpitque in ſpem reſtitutus placidè audire de ſtatu Siciliæ differentem. Cæterùm jubebat Arſidas, Poliarchum ſimulatione omiſſa ad Regem accedere. Fractos hoſtes memorabat, legationem ad eum Timonidis, & præter benevolentiam Meleandri, curam quoque Argenidis, & tot in ſe ſtudia veterum amicorum. Quid ille formidaret inter tanta præſidia? aut cur ſimulationi mallet, quàm apertæ virtuti vir militaris confidere? Sed obſtabat Gelanorus, dominum ſubinde admonens fidei in Africâ datæ, nulli ſe priùs quàm Arſidæ ac deinde Argenidi locuturum. Ipſe quoque Poliarchus ſe poſſe negabat incolumi dignitate prodire in publicum. Navigandum prius in patriam ad recipiendum cultum in quo vellet à Meleandro cerni. Unam eſſe Argenidem, quàm juvante Arſidâ optaret convenire. At ſaltem, retulit Arſidas, conſcientiam Nicopompi ſuſpectam non habebis. Nam quid fidem illius hominis prædicem? in te ornando totus eſt, & fidiſſimo affectu exultat cùm laudaris. Apud eum nunc hoſpitor. nec fideliùs potes quàm [1] illius laribus tegi. Haud ægrè Poliarchus, nec repugnante Gelanoro, aſſenſus eſt; igitur cùm obiter quieviſſent, iter nocte concubiâ ingreſſi, ſub Auroram Epeircten perveniunt admiſſique ad Nicopompum, compulerunt hoſpitem ad gratantium lachrymarum lætitiam. Et Arſidas ubi provectior fuit dies ad Argenidem ivit; ſed occupatam cum parente, & deinde cum Cleobulo, habere

1 *Illius laribus.*] Eadem domo; ſunt enim lares Dii domeſtici. Metonym.

1 *Niſi*

habere ſecretam antè non potuit, quàm illa Radirobanem fugiens ad lucum divertit.

Ubi autem adveniſſe Poliarchum referente Arſidâ ſcivit, oblita tot malorum, nec æſtimato utriuſque periculo, pluſquam pro incertâ & brevi fœlicitate exultavit. Sed utcunque feſtinanti expectanda veſpera erat, ut is extra diſcrimen duci poſſet ad Regiam. Ero, inquit Argenis, in illâ porticu meâ unde ad hortum eſt aditus. Erit unà Seleniſſa, quæ tibi & Poliarcho aperiat. Vade, mi Arſida, & tempori adſis. Hinc gaudio turgens ad Seleniſſam pergebat, tanquam compari ſecretorum largitura fœlicitatis partem. Sed labefactatam fidem agnovit, Radirobane ab ipſa commendato. Cùm igitur hanc quoque eluſiſſet, factâ ſpe mitigati in Radirobanem animi; nixa feneſtræ eſt quæ in hortum patebat. Tum verò duo graviſſima occurrebant, adventus Poliarchi, & Seleniſſæ perfidia. Ita mens iracundiâ & gaudio variata nihil ſatis conſulebat. Sed maturato opus erat, ne Seleniſſa Poliarchum deprehenderet ad conſtitutum venientem. Eâ nocte ad ficta negotia anus ablegari non poterat: nec conſultius quicquam fuit, quàm Arſidæ per ſervulum nunciare, ſe picturis inſpectandis quas ſub veſperam afferri præceperat, vacare non poſſe. Veniret ad Regiam Arſidas primo mane, ſed non cum illo artifice. Facilè Arſidas intellexit, interveniſſe quæ morarentur virginis cum Poliarcho colloquium; idque palàm non auſam nunciare, hoc de picturis deque artifice eſſe commentam.

Verſus ergo ad ſolandum Poliarchum, quem hæc mora conficiebat, etiam Nicopompum adhibuit. Lætâ ſermonum & mutabili ſerie, mulcebant, nunc ſuas, nunc Argenidis virtutes non ægrè audientem; aut ſi quid ludicrum Radirobani ſiniſtrumve contigerat. Sed huic officio hærentes turbavit adventus amicorum. Quippe eâ veſperâ præceperat Dunalbius ſibi cœnam in Nicopompi ædibus coqui. Antenor ſuo è templo in urbem delatus,

& Hieroleander, eum comitabantur: quibus fores intrantibus, cùm doleret Nicopompus à Poliarcho ſe avelli; ac ne Arſidam quidem cum tanto hoſpite perſeverare poſſe (nam & illum Dunalbius ad cœnam quærebat) Poliarchus utrumque ſolatus eſt. Irent ſedulò, nec perfunctoriè cœnarent, ne ſubolere Dunalbio poſſet aliquid eſſe arcani quod hilaritatem moraretur. Ipſe ducente Nicopompo ſubſtitit in conclavi ad triclinii latus, unde convivarum ſermones excipi poſſent. Cœnantibus varii ſermones fuere, ſed plerumque vulgares, & quos à familiâ, quæ convivis ad obſequia aderat, notari non obeſſet. Ubi verò ſublatis epulis ſoli fuerunt, Nicopompus mentionem Poliarchi excompoſito injecit; ut ille in proximo latens de ſuâ famâ rectiſſimè judicaret; cùm iſti de eo ſimpliciter dicerent, quem abeſſe arbitrabantur. Non parcebat tantum juvenem laudare Dunalbius. Omnes ejus virtutes meminerat; & Antenore atque Hieroleandro ſuas loquendi vices implentibus, nunc illius fortitudo, nunc comitas referebatur; tum in hilari ac juvenili animo vis matura ingenii, & cætera bona propter quæ ſenectutem laudamus. Arſidas verò, quia compererat æmulationem Poliarchi in Radirobanem, ſeriem colloquendi deduxit ad civile in Lycogenem bellum, cujus initia Poliarchus proſperrima Regi pugnando effecerat. Inde paulatim ad Sardos, & Radirobanem venit, cœpitque familiariter de ejus ineptiis ridere. Nam & ille Rex ſuperbiſſimæ erat inter ſuos conſuetudinis, multaque paſſim exciderant, quibus deprehenderetur vanum ingenium, fictæque virtutes.

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT XI.

ARGUMENTUM.

Adulatoria Poëtarum poëmata, & Aulicorum lenocinia, quibus optimæ & ad magna aſſurgenti Principum indoli illudunt, acerrimè perſtringuntur. Artibus aulæ familiaribus, mutuiſque dolis Argenis & Seleniſſa inter ſe certant.

DUMQUE Dunalbius, Antenor, Nicopompus, vel faſtidio averſantur recordationem inſulſæ ſuperbiæ, vel indignari audent quòd ejuſmodi auxiliatori Sicilia gratias deberet; ſubridens Hieroleander, Quid ſi, inquit, hominem hoc mane vidiſſetis? Impiâ adulatione elatus, carmina quædam de ſe conſcripta apud ſuos laudabat, quæ Poëta non condidiſſet, [1] niſi aut alio quàm Apollinis furore inſanus, aut utique illum cui ſcribebat, ſciviſſet inſanire. Finem poëmatis deſcripſi. Ex eo de toto conjicite:

Tu ſi terribiles in prælia ſæva jugales
Exigis, [2] Odryſios confuſo pectore Mavors
Damnat equos, [3] dextramque ſuam. Si terga ſubibis
Quadrupedis, cupiet [4] ſpreto tua Cyllarus Aſtro
Imperia & Sardis volitare ſuperbior agris.
Et cùm lentato volucres aptare ſagittas
Inſtituis nervo, [5] cedunt Phœbuſque [6] dolenſque
Amphitryoniades. Quòd ni te velle putaret
Arte ſuâ vinci, tibi cederet ipſe Cupido.

At

1 *Niſi aut alio quàm Apollinis furore.*] Cum non alius ſit Poëtarum furor, quam qui à Phœbo excitatur. Juxta Claudianum, l. 1. de raptu Proſerp.

Jam furor humanos noſtro de corpore ſenſus
Expulit, & totum ſpirant præcordia Phœbum.

2 *Odryſios damnat equos.*] Equos ex Thracia, unde & Mars, & Centauri optimi equites ab urbe Odryſa. Strab. lib. 17.

3 *Dextramque ſuam.*] Bellicas artes & fortitudinem.

4 *Spreto Cyllarus aſtro.*] Equus Pollucis, poſtpoſito ſuo aſtro, id eſt, ſuo domino Polluce, amabit à te regi. Plures dicunt Cyllarum eſſe Caſtoris equum.

5 *Cedunt Phœbuſque.*] Solem quadrigis cœli orbem percurrere fingit, cum Ovid. l. 2. Metam.

6 *Dolenſque Amphitryoniades.*] Hercules putatus filius Amphytrionis mariti Alcmenæ, dolens ſe ſuperiorem habere Radirobanem.

1 At

[1] At Majâ genitus, cùm tu roſea ora reſolvis,
Aſtupet, atque omnes ſubicit jam frigidus alas.
[2] Cedit & ingenio Pallas, [3] formaque Lyæus,
[4] Jura triumphantis cùm ſobria dividit Indis
Pulcher, & intonſos diſtinguunt ſerta capillos.
[5] Quid domito quòd fræna mari tu claſſibus unus
Imponis, ſceptroque tuo [6] Neptunia ſceptra
Summiſere apices? [7] O nobis aurea rurſus
Sæcula, [8] ſi tantùm pronus tibi fulmina credat
Juppiter, [9] & cunctis unum ſtes numen in aris.

Omnes de ſacrilegâ Poëtæ ſolertiâ prædam his carminibus auſpicantis riſerunt. Quamquam Nicopompus, & ipſe Poëta hanc nonnihil invidiam levabat; quippe ita eſſe poëſeos genium, ut ad aurium voluptatem exerret extra verum, eò quidem licentiùs quòd cùm ſciat ſibi non credi, quicquid fingit, innocentis potius ludi, quam inverecundi mendacii res eſt. Præterea & ſæculum ita ferre, ut immodicis apud Reges laudibus jam omnes Poëtæ ſint. Nam nec ſolum Radirobanem eſſe cui hæc larva illuſerit. Ipſum quoque (oculis, nutuque abſentem Meleandrum ſignificans) quàm ſæpè his falli blanditiis? denique omnes eo fato Principes viros naſci, ut [10] aliquid ſaltem pennarum ad hunc viſcum relinquant. At Dunalbius publicæ rei

1 *At Majâ genitus.*] Mercurius, nepos Atlantis, ſuperiorem te eloquentia agnoſcit. Fingitur Eloquentiæ Præſes.

2 *Cedit & ingenio Pallas.*] Sapientiæ diſciplinarumque omnium inventrix tibi cedit ingenio.

3 *Formaque Lyæus.*] Bacchus, ſic dictus ἀπὸ τοῦ λύειν, quod curas ſolvat, tibi forma cedit, nam deſcribitur venuſta facie adoleſcens apud Ovid. l. 4. Metam.

4 *Jura triumphatis cùm ſobria dividit Indis.*] Cum ſubactis Indis leges dediſti ô Bacche.

5 *Quid domito, quòd fræna mari, &c.*] Affatur Radirobanem Poëta.

6 *Neptunia ſceptra ſubmiſere apices.*] Mare Sardoum tibi ſubjectum eſt.

7 *O nobis aurea rurſus ſecula.*] Qualia fuere tempore Saturni, cum maxima pace mortales fruebantur. Ovid. Metam. l. 1.

8 *Si tantùm pronus tibi fulmina credat.*] Si tibi cedat ſuam divinitatem Jupiter.

9 *Et cunctis unum ſtet numen in aris.*] Si præter te, ô Radirobanes, divinis honoribus mortales colunt neminem.

10 *Aliquid pennarum ad hunc viſcum relinquant.*] Id eſt, adulatione ſe capi ſinant. Alleg. ab aucupio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

rei ſtudio motus, ita vero improvidi cives, inquit, dum vilitate laudandi unuſquiſque [1] Regum vitia ad amicitiam ſolicitatis, vos ſimul & illos miſerrimos fieri non ſentitis. Quanto enim incommodo veſtro imperantes ſic fingitis, ne quid eos pudeat, ſed licentiſſimè aſſueſcant ſeipſos amare & mirari, utique poſtquam diu omnes eorum affectus adulatione & præconiis conſecraviſtis. Illos autem, quantumcunque ſibi fœlices ſint, ego lachrymis digniſſimos puto; niſi ſupereſſent his domeſticorum inſidiis, & ea colere ac probare ſolerter inſtituant, non quæ in ipſis alii laudant, ſed quæ ipſi in aliis. Cæteros enim adeo ſua purpura occæcavit, ut neſciant quod nemo præter hos ignorat; qui mores, quæ ſtudia, quiſve modus, inter homines famam, aut veniam, vel denique odium ferat. Proh facinus! opulentiſſimus venationis genus eſt explorare intimos Regum motus, quò eos natura, quò cupiditas vocet, mox non diis, non hominibus æſtimatis, quicquid amant aut volunt impenſe commendare; vel ut ſimilitudine morum, atque ſermonum, iis placeas; vel ut ſolvas eorum verecundiam, & gratias tibi debeant quòd molliveris viæ ſpeciem, quam ad vitia ducentem, obſitamque infamiâ, pudor prohibebat experiri. Quid miremur Principes violentâ adulationis procellâ inclinatos quò ſponte jam volunt, iis vocibus credere quas ſolas accipiunt? Præſertim nemine ruinam ſuſtinente ad quam tanta vis impellit. Nam illi ſapientes quos negociis adhibent, ſeu verentur fruſtra monere, ſeu medicamentum quamvis infundat ſalubritatem, tamen ingratum eſſe ſciunt; his vulneribus non adhibent manum; aut certè vitia diſtinguunt quibus ſeipſum Rex maculat, ab iis quibus perdit Rempublicam. Et contenti utcunque mederi publicis, non reſtituunt Principi

1 *Regum vitia ad amicitiam ſollicitatis.*] Communem in aulis adulationem damnat, familiaria quamquam indigna Regibus vitia, quibus Paraſiti virtutis nomen impertiunt, dum avaritiam vocant curam futuri, luxuriam vero comitatem & liberalitatem appellant.

1 *Quan-*

cipi oculos, quibus ipſe ſuam ſortem & blandientium fallaciam damnet. Quis familiarium, ſapienter Reges admonuit, ſi aviditate æris infames ſunt, ſi nimio venationum ſtudio amittunt reipublicæ curam; aut cùm libidinis exemplis inficiunt ſæculum, vel inconſultis amicitiis publicam invidiam concitant? Laboramus etiam virtutum nomina his cupiditatibus fœdare. Cura futuri, laborum aſſuetudo, comitas, liberalitas appellantur. Nec vitia illa tantum, ſed etiam leviora, in his adoleſcunt mendaciis. Imò cùm rectè quid ſapiunt, adeò fictos inveniunt & nimios plauſus, ut ſæpè (credite amici) pudore, qui cæteris aberat, onerati oculi multùm mihi tremuerint. Videbam neque pudere iſtos effuſiſſimæ fraudis, neque Principes indignari quòd ſibi tam procaciter illuderetur. [1] Quantum à comœdiâ diſtat hic ludus, cùm utrobique in os laudes, quos apud te protervo contemptu tanquam vanos aut pueriliter captos, derides? Quòd niſi majorem Regibus genium quàm qui populum informat, dii dediſſent, quotuſquiſque [2] ex his plagis evaderet; quæ vel ipſa conſuetudine placent, quia naſcentium cunas circundant, nec eas meminerunt ſibi poni? Sed neque his periculis ſoli Reges infeſti ſunt. Plerique regiis malis in privatâ fortunâ laboramus. Reges ſumus ſupplicibus; rurſuſque Rex nobis, in cujus eſt manu quod petimus. Hunc tentamus blanditiis, hunc illa vanitate conficimus; ultro amantem tela quibus percelli Reges ſolent. Quod eſt autem ad Radirobanem, à cujus ſuperbâ credulitate initium queſtibus iſtis fuit, cæterâ lenitate meruit ne qua in eo peccata excuſemus. Et ô vos Siculi, miſeros, ſi illius conjugio Argenidem damnatis.

Adeò Poliarchum hæc oratio affecit, ut vix ſibi temperaret. Optabat Dunalbium amplecti ob hoc de Radirobane augurium; deſtinabatque jam præmia quibus ſæpè ab

1 *Quantum à comœdia diſtat.*] Quia in comœdia fictæ laudes ingeruntur, cum omnia ſint perſonata; verba, corpora, ſortes, &c.

2 *Ex his plagis evaderet.*] Laqueis. Alleg.

ab illo ejuſmodi candoris præcepta eliceret. Omnes denique illos inſtituit commendare Argenidi, eorumque uti fide in iis quæ inſtabant. Dilapſis hoſpitibus, Nicopompus & Arſidas ad ipſum redeunt. Deductumque ad thorum non antè deſtituunt, quam ille amicorum quieti conſulens, & cum ſolis præterea curis meliùs loquuturus, domitum ſopore ſe fingeret.

Noctem illam Seleniſſa & Argenis (quis mortalitatis ludibria ſatis æſtimet?) in ejuſdem calliditatis mutuo dolo ducebant; quâ ſcilicet ratione, ubi dies rediiſſet, una alterius oculos fugere poſſet. Nam & Seleniſſa locum quærebat quo remotâ Argenide Radirobani loqueretur; & Argenis optabat amovere Seleniſſam, ne ſciret adveniſſe Poliarchum. Prior Seleniſſa nunquam ſe peccaturam tectiùs rata, quàm in umbrâ libertatis, ultro de Radirobane mentionem injecit; ajebat enixè ab eo ſe oratam, ut in iiſdem arborum ſpatiis poſterâ die eſſet; cupere illum quædam haud vulgaria cum eâ communicare, & inde ad Argenidis colloquium deduci. Occupavit Argenis; vade ubi commodum erit, mater. Sed mihi ad ea digerenda ſpatium relinque, quæ cùm unà colloquemur, & ut ſolet orabit, reponam. Volo itaque ut maturè cum illo ſis, protractoque ſermone hominem teneas, donec omnibus cogitatis ipſa in hortum deſcendam. Nihil poſſe reperiri prudentius iterabat Seleniſſa, tacitâ improbitate deridens, quòd ſui prodendi rationem ac tempus ipſa Argenis aptaverat. Sed & ignara erat ſe quoque deludi, & amolitam à conſpectu non tam mitti ad Radirobanem, quàm averti à Poliarcho. Manè erat, & multi Solis æſtum ambulatione præcipiebant. Jamque illius voluptatis ſimulatione Radirobanes opperiebatur matronam in horto; vix tunc ob Argenidem magis quàm Theocrinem ſolicitus. Nec ſegnior anus, cùm maturiùs de thoro ſurrexiſſet; pergo, inquit, ad Sardiniæ Regem. Si vera de amore ſuo retulit, diu eſt quod inambulat ſomni impatiens.

patiens. At nos ævo defectæ (addebat ſubridens) pœnas illius ætatis luimus, quæ nec ſuos labores agnoſcit, nec æſtimat alienos. Hîc iterum monere Argenis, ne antè diſcederet à Radirobane quàm ad viridarium ipſa procederet. Malle ſe illic, quàm intra limina Radirobani loqui. Ea Seleniſſæ fuere lætiſſima, credenti Argenidem [1] hoc breviſſimum tempus petere ad receptum prioris amoris; quem antè omitti oportebat quàm poſſet Radirobani placari.

CAPUT XII.

ARGUMENTUM.

Accitus Poliarchus ad Argenidem venit, ſed ſub crine adoptitio, & mentito habitu mercatoris latens. Vtrimque ſingultus, quibus poſtquam ſatis parentatum eſt, & agitatum quid opus facto eſſet, ab invicem diſtrahuntur.

VIx egreſſa limen erat, cùm Argenis ad Arſidam mittit, jubetque confeſtim venire cum hoſpite. Nec diſtulit ille; & Poliarchum ſub crine adoptitio latentem, cum exiguis aliquot picturis, mercatoris ſpecie ſecum duxit. Tremebat Poliarchus, & illud animi robur quod nulla diſcrimina, nulli hoſtes permoverant, deſtituebat cogitantem ſe ad Argenidem ire. Sanguinem etiam in illâ expectatione virgo amiſerat; notaveratque intercidi à ſe verba ſi cui loquebatur. Secreta erat porticus in quam ad cogitationum curarumque ſolitariam libertatem ſolebat ſecedere. Illuc poſtquam cum Arſidâ Poliarchus admiſſus eſt, manumque protenſam, tanquam numen veneraretur, ad os retulit, ſubiti utrimque ſingultus multo rubore vultus ſparſerunt. Mox direptâ ille larvâ ſuos vultus reddidit ſibi; & cum Arſidâ publicæ humanitatis verbis ſalutavit Argenidem. Sed Arſidas tanquam aliud agens ſenſim ad murum receſſit; fecitque ambobus poteſtatem

1 *Hoc breviſſimum tempus petere ad receptum prioris amoris.*] Ad objiciendum amorem Poliarchi, ut ei Radirobanis ſuccederet amor.

 1 In

ſtatem liberiùs colloquendi. Hîc rurſus erepta turbulentis affectibus verba diſtulere attonitos, donec fuſis lachrymis expedita Argenis; video te, chariſſime? inquit; an expreſſere tuos vultus inſomnia; & imitationem lætitiæ ad Argenidem tuam ferunt? vides, retulit ille, domina, novo nunc ſenſu mala exacta ſentientem, & tuo conſpectu admonitum quàm calamitoſum fuerit tamdiu abfuiſſe. Quod niſi grave eſt meminiſſe; quid ſenſus tibi fuit, quid virium, in meis periculis? quàm multùm doluiſti; quàm ſæpè accuſaviſti abſentiam meam? at illa; nimis heu potes ex tuis doloribus æſtimare quàm ſolicitos te abſente dies exegerim. Eo quoque miſerior, Poliarche, ſum, quòd non te ſequi licet, quòd ſcio te per pericula errare; denique quòd ſperare alii audent me poſſe mutari. Dic iterum. Tu is es Poliarchus? tu in Siciliam rediiſti? tu es incolumis? præſentem te conſpicor? ah num & maciei quam in tuo vultu cerno ego cauſa ſum, Poliarche? ſed an eadem querenda rurſus erunt? an tibi iteranda exilia? & timidè ſemper amabimus? ille errores ſuos in compendium miſit; ut naufragus fuiſſet, ut de prædonibus victor, & [1] in Numidiæ aulâ æger. At Argenis (quod potiùs in rem erat) paucis expoſuit Radirobanis cupiditatem. Et quidem timere ſe, ne bene meritum hominem Meleander generum velit accipere; quod facinus, inquit, niſi tu illi obſtas, antevertam meâ cæde. Quàm autem miſerum putas ſub ictu quotidie mortis ſtare, quæ non longiùs abeſt quàm fœdera illa quæ Sardi fortiſſimè urgent? accedit ſolitudo. Neminis ſolatium adeſt, cui curas committam. Timeo armatum Radirobanem; Patrem vereor: Ipſa (proh facinus!) Seleniſſa ad hoſtes defecit. Et jamdudum (ſubjicit Poliarchus) hanc oculis quæ-

1 *In Numidiæ aulâ.*] Pro Mauritania ſumitur, vel quod erat Numidia ſub ditione Reginæ Mauritaniæ, vel quod contigua erat Mauritania Numidiæ; eſt enim Africæ pars, inter Cæſarienſem & Carthaginienſem regionem & Mauritaniam, cujus populi dicti à Græcis Nomades.

1 *Pro*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

quærebam. Tibi enim hodie primùm, illâ abſente, loquor. Ego, ait Argenis, ſi vivo, eam miſerrimam habebo. Studet Regi Sardiniæ. Nec cur aut quomodo mutata ſit, ſcio. Sed ne de flagitio dubites, cùm ſecretæ eſſemus, Radirobanem laudavit. Parum id erat; niſi me, ut ſaltem ſimulatâ amicitiâ facilis illi eſſem, ſuſtinuiſſet hortari; id eſt, ut quaſi reciprocanti æſtu, ſenſim à te recederem. Nunc quoque ne adeſſe te ſciret, paſſa ſum ad illum hanc exire. Ambo in viridario de meis fatis agunt. Sed non impunè peccaverit. Peribit ſi unquam fœlix ero. Indignatus juvenis; cùm proditionis injuriam impatienter ferret, ad periculum quoque exhorruit, quòd tam potens in Argenidis familiâ Radirobanes eſſet; & vel ſi ceſſaret Argenis, ultorem injuriæ ſe promiſit.

Poſt hæc anxiâ deliberatione verſantibus quid ſibi capiendum conſilii, ipſa incertitudine animi nihil quod occurreret placebat. Iret ad Meleandrum Poliarchus, ſe Regem prædicaret, numeraret beneficia, ſibi uxorem optaret Argenidem: Ipſa quoque Argenis ſe ſponſam Poliarchi (quod res erat) apud patrem profiteretur. Juſtum quidem, & præſentis, ſi ſuccederet, utilitatis in ea mala remedium. Sed timebat Argenis iniquiorem Poliarcho Meleandrum; quo diſſimulato armatum Radirobanem monſtrabat. Non æquam fore cauſam Poliarchi ſe in Regium culmen ſubitò aſſerentis, & illius cujus cognitæ opes erant, & qui etiamnum exercitu implebat Siciliam. Timere ſe inſidias & ſcelera, quæ amor, & regni cupiditates atrocia inveniunt. Vera hæc eſſe ſentiebat Poliarchus; addebatque metuendam Archombroti gratiam apud Regem; quem vereor, inquit, ne & in ſpem tuarum nuptiarum erectus ſit. Cohorruit Argenis ad hanc vocem; neque tardè per omnes Archombroti actus, perque omnia verba, redeunte memoriâ, in eandem ſuſpicionem delapſa eſt. Igitur conſilium adeundi tunc publicè Regem, tanquam præceps, & ſævum periculis, omittunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Diutiùs hæſere in alio; ut, quando fortuna Siciliam negabat, irent in patriam Poliarchi. Ultrò redire in gratiam Meleander optaret: & eluſus Radirobanes, ſi aliquid moveret, excipi poſſet armis. Nihil Seleniſſam, nihil Archombrotum nocituros. Quid mirum ſi virgo ad ſponſi domum ibat? [1] Pro flammeo velum fore quo celaretur diſcedens: [2] faces autem multò plures quàm quinque, ſub noctem ipſa aſtra abeunti præſtitura. In hanc fugam conſentiens Argenis, reluctantem animum, & damnantem hunc impetum, non benè domabat. Vellebaturque media intentio inter abeundi & manendi conſilia. Hinc cauſam quæ utique optima erat, reſpiciebat; hinc famam; quàm non integro tantum, ſed & ſapienti pudore oportet habere propitiam. In eâ ſeditione animi, tamen ſequebatur Poliarchum; non tam quòd illud optimum putaret, quàm ne aliquid eſſet quod negare videretur. Sed ipſe hoc furto non admodum lætus; quia ſciebat pervulgatum hoc eſſe remedium, & nullam amantium fabulam penè conſtare, in qua virgo cum ſponſo non fugiat; cùm præterea vim notaſſet quam Argenis fugæ laudandæ ſibi ipſa inferebat: digni ſumus, ô Domina, inquit, qui non latronum more tenebras, atque ſilentium, quæramus in vota. Quid ſi deprehenſis non erit ſub irato patre defenſio? Quid ſi abſtrahemur nunquam redituri ad conſpectum? fruſtra præſidium ab æquitate expectamus, niſi ipſi æquitate paramus antè præſidium. Si placet crediſ-

que

1 *Pro flammeo velum fore.*] Flammeum genus eſt veli lutei, quod à novis nuptis geſtabatur, ſic dictum, quod eo aſſiduè utebatur Flaminica, ſeu Flaminis uxor, & quia non erat permiſſum Flamini cum uxore divortium facere, inſtitutum eſt, ut etiam novæ nuptæ hoc amiculi genere uterentur boni ominis cauſa, & in ſignum indiſſolubilis conjugii. Martial. l. 12. Epigramm. 42.

Præluxere faces, velarunt flammea vultus,
Nec tua defuerint verba Thalaſſe tibi.

Lucanus de Martia iterum nubente Catoni:

Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

Feſtus Pompejus: *flammeo amicitur nubens ominis boni cauſa, &c.*

2 *Faces autem multò plures.*] Græcis nubentium matribus tenere faces in nuptiis negotium datur, quod Δᾳδουχεῖν dixere.

3 *Ubi*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

que inter mala jam familiaria tres adhuc menſes durare nos poſſe; ego à patriâ revertar cum milite, ut non ſine dignitatis inſignibus te Regum Principumque, ſpem ac ſtirpem accipiam. Quòd ſi adhuc repugnabunt noſtri hoſtes, extorquebo idoneis viribus à Siciliâ, meam ſimul & tuam fœlicitatem. Sponde modò tamdiu te victuram. Ego ſtrenuè adero, niſi mors interim obtinget; quæ ſi tam celeri fato imminet, at tanti ſaltem erit te à funebri abfuiſſe ſpectaculo. Cùm hæc verba ſuſpirio finiret, obruerunt Argenidem largiſſimi fletus; reputanſque quàm is igitur procul, quàm ſubitò abiret, non minùs ſubamore, quàm antea ſub verecundiâ, vapulavit. Sed conſuetudine dolendi, tres faciliùs menſes deſtinari ad miſerias ſinebat; modò intra id temporis rediret Poliarchus, vel inermis; quem tunc ipſa ſequeretur, ſpe aliâ omni damnatâ.

[1] Ubi in illam ſententiam conceſſum eſt, uterque plurima monere & hortari; quærere etiam Poliarchus quid interim Radirobani, quid parenti, virgo diceret; illa autem ne promiſſo tempore deſtitueret amantem, verbis & lachrymis, & quod efficacius erat, mentione deſtinati ſi falleret interitûs monebat. Plurima, inquit, Poliarche, in te amavi; ſed præcipuè fidem, & pleriſque virorum ignotam modeſtiam. Diu eſt, quòd, non ſpreto quidem patris imperio, ſed omiſſo, te ſponſum appellavi. Nunc iterum opes meas, fortunam, amicitiam, quà licet tibi trado; & per utriuſque fata obteſtor, nulla vis ab hoc ſacramento me abſolvet. Nullius unquam, niſi Poliarchi, erit Argenis. Si dii ſinent ut fœlicibus hymenæis jungamur, tum plenum beneficium fatis debebimus: Sin malignior fortuna conatus everterit noſtros, ego tamen incorrupta in tumulum ſuccedam, & ſaltem animorum inter nos matrimonium erit. Poſt hæc verba rubore ſuffuſa eſt,

1 *Ubi in illam ſententiam conceſſum.*] Alludit ad pedarios ſenatoris, qui non vocalibus utebantur ſuffragiis, ſed in alterutrius partis ſententiam pedibus ibant. Ut ſupra.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

eſt, pronuſque in gratias, Poliarchus, non minora de Argenidis in ſe victoriâ loquutus eſt.

Timebat uterque ne forte à Radirobane rediret Seleniſſa, cui poſtquam ambo male dixerunt, ſuaſit tamen Poliarchus ne illam tot ſecretorum arbitram à ſe temerè Argenis amitteret. Sin neceſſitatem divortii ſuo ſcelere faceret anus, tunc virgo meminiſſet Timocleæ, prudentiſſimæ matronæ, & illo loco dignæ à quo iſta excideret. Satis erat commendata Argenidi Timoclea, ſervatrix Poliarchi; timuitque ſubitò virgo peccaſſe; tenuibus adhuc donis parum in eam liberalis. Quippe Seleniſſa effecerat, ne in [1] gynecæum reciperetur; nec de charitate quidem, ſed de conſtitutis muneribus multa dehortando reciderat. Cùm verò narraret Poliarchus benevolentiam in ſe Dunalbii, adderetque non leviùs Antenorem, & Hieroleandrum in ſe affectos, ſibi virgo gratulabatur, hos eximios viros eſſe, quorum tutâ operâ uti in arcanis liceret. Statuerunt igitur, beneficiis omnes excolere. Quamquam Dunalbius eò Sacerdotii proceſſerat, ut vix quicquam poſſet addi faſtigio; tamen ajebant referendæ gratiæ locum nunquam Regibus deeſſe. Hieroleandro autem (inquit Argenis) magnus erit ad publicos honores aditus, ſi eum patris epiſtolis ego præfecero. Sed Antenori quæ præmia erunt? mittam ſæpe Apollini, & Sacerdoti donaria; & ſi tibi videtur, Poliarche, chariſſimam Timocleam ubi res noſtræ ſucceſſerint, magnâ cum dote, quam uterque ei dicemus, uxorem accipiet.

Jam tempus urgebat viciſſimque expectabant miſſionem, neutro tam acerbum ſermonem incipiente. Ergo ſilebant triſti aſpectu; donec conatus Poliarchus benè precari, & abire, in vocis primordio defecit. Ut tamen neceſſariâ fortitudine dolores finiret qui in diſcedendi confinio creſcebant, demiſſis cervicibus veneratus Argenidem,

1 *Gynecæum.*] Interior pars ædium, & ſecretius mulierum receptaculum.

nidem, inter ſilentium abſceſſit. At Virgo ſæpè repreſſis lachrymis tandem victa, ſubito impetu ſemovit ſe à conſpectu. Amens plangebat pectus immeritum, plùs mala Poliarchi, quàm ſua, aut ſentiens, aut ſentire ſe rata. Sic tunc confuſa in ſecretum cubiculum irrupit; & ille haud certis veſtigiis, oculiſque vix egreſſum à porticu videbat. Arſidas quoque perturbatione cognitâ, & frigidus ipſe, nec dicere quicquam auſus, cum muto, nec ſatis ſui conſcio, redit ad Nicopompum, illincque ſub veſperam ad mare cupientem deducit.

CAPUT XIII.

ARGUMENTUM.

Radirobane in hortum iterum conveniente Seleniſſa proſequitur, ut fuſis prædonibus Theocrine nihil mortem verita, alios qui Regem comprehenderant, eadem virtute parique ſucceſſu adorta ſit: deinde thalamum repetens genus, ac nomen ſuum Argenidi ſignificarit. Tum per tenebras ex arce declinarit.

INTERIM motibus longè diverſis Radirobanes agebatur, differente Seleniſſa de Theocrines diſcrimine. Nam ut anum in viridarium venientem eſt amplexus, Ut pugnat, ut vincit Theocrine? ô mater. certè in ipſius imagine anxiam noctem duxi. Nam heri iniquo numero ſi meminiſti, pugnantem reliquimus. Sed quod præcipuè me ſolicitum habet, an Argenis noſtra valet? & quid tractabilem fore exiſtimas? tum Seleniſſa, [1] Diis litaviſti, Rex; niſi me eloquentem faciam, imputemque meæ arti quòd incepit agnoſcere, Argenis, ſe tibi præter meritum duram eſſe. Quid enim ampliùs expectes? illam ad pœnitentiam adegi meis verbis. Mitigato in te animo huc promiſit ſe venturam. Sed dum cultui ſuo vacat, ſine nos incœpta evolvere. Magnopere enim expedit ne ignores Theocrinem. Pugnabat, ut retuli, ſpoliiſque animoſa hoſtilibus circumferebat ſimul clypeum, ſimul ferrum. Dice-

1 *Diis litaviſti.*] Tibi Deos propitiaviſti.

1 *Proxi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Diceres hanc bellis aſſuetam, illos in gynecæo adoleviſſe. Duo de prædonibus jam ſtrati; totidem reliqui erant. Nemo integer à vulneribus reſtabat. Nam & in fronte Theocrines, dum ipſa alterum petit, mucro alterius leviter ſedit. Illico emicuit ſanguis, & purpurâ per candidiſſimos vultus errante torvos oculos ſtrinxit; caputque & arma quaſſando cùm minaciter proclamaſſet (adhuc timeo, Rex) aliquid ſupra mortalem fuit. Vix ſauciam videramus; jamque illam quâ violata erat manum ferro dejecerat. Neque mora, averſos prædones cùm vulneribus multis invalidi fugerent, nihil noctem, nihil inſidias verita, extra triclinium ſequuta eſt.

Sed dum per tenebras & hi latent impuniùs, & irata exerrat Theocrine, novus clamor illius animum percuſſit. Nam altera pars latronum, cùm aliquandiu cubile Meleandri quæſiiſſent, tandem lumen ſequuti quod haud procul regio thoro in cuſtodiam vigilabat, fores effringunt, &, promiſſum Lycogeni donum, Regem vinculis adoriuntur. Excitatus tumultu Rex, ubi viros (haud aſſuetum illi domui facinus) aſpexit, & quidem armatos; quamquam ſomno & rerum inſolentia turbatus, tamen enſem qui ad pulvinum pendebat corripiens, ſimul veſtigium ad pugnam feſtinavit componere. Sed priuſquam excuſſum thoro corpus, juſto gradu conſiſteret, irâ & horrore titubantem latrones circumſiſtunt. Non ſacra illa membra, non [1] proximum diis nomen reveriti, captivum reclinant in lectum; ferroque extorto quod tenebat, auſus unus eſt, ſimulans caſum; (ſed opinor ſacrilegæ audaciæ famam & voluptatem captans) in illius vultum capulo impingere. Jam manus inſtitis tenebantur, & quaſi damnatum operto capite ducentes, ſuperbi querebantur, nondum ſocios qui ad comprehendendam Argenidem diverte-

1 *Proximum Diis nomen.*] Regia dignitas proxime accedit ad Deum, cujus vicariam dignitatem & munus Reges obtinent.

verterant, adeſſe cum præda; cùm Theocrine ſucceſſu exultans, prælioque & vulnere accenſa, ad Regem pervênit; captivumque intuita, furioſo clamore graſſatores increpuit; ô quotquot ſunt parricidarum deterrimi, ſubite calentem veſtrorum ſociorum ſanguine enſem. heu meâ manu non digni! Sed non omnes ita peribitis. Supererunt qui ſerviliter necentur. Nec leviùs quàm pro atrocitate minarum, cœpit in eos deſævire. In illo tumultu excidit veſtis quâ caput Meleandri prædones condiderant. Hac prolapſa videt auxilium ſuum, videt parem tot graſſatoribus Theocrinem, quæ jam fato unius cæteros admonuerat illi ſceleri abeſſe fortunam. Mireris Theocrinem; tot obverſantibus circà mucronibus, tot mortibus clypeo ſolo depulſis, Regis vincula non patienter aſpexiſſe. Sed ô Rex Sanctiſſime, inquit, quamdiu captivum te videbo? Simul nodum inſtitarum qui non arctè coiverat, ſolvit, & arma viriliter quærentem objectu corporis tutatur, donec gladium inveniret.

Hîc Radirobanes, ægrè ſervatum ſilentium denique ſolvens, ô, inquit, ſimillima fabulis monſtra! Quid huic par antiquitas vidit? unde virgini ille ſanguis? unde fati charitas tanta in Regem, ut paterentur imminere exitium, quò ſanctiùs & fœlicitatis novæ exemplo, eſſet incolumis? ô Seleniſſa! ſed an vera hæc autumas? parce per tot miracula confuſo. Tum anus; Tu ita me (ô Rex) atque ita te juvet Argenis, ut hæc non minùs vera ſunt quàm me vivere, quàm tibi me loqui, quàm denique te amare. Perge igitur, ſubjicit Radirobanes, implere me tam inſignis noctis prodigiis. Et illa; exolutus vinculis Meleander, non ſuam ſalutem, non Theocrines pericula deſtituit. Ita validè pugnando effectum eſt, ut ex tribus qui ſupererant, unus caderet, aliuſque fugeret, & poſtremum Theocrine amplexu occuparet, cujus poſtquam lacertos in tergum reduxit, vinctum obnoxiè committit Meleandro; &, ſerva hunc, ait; dumque redeo, ſi ſalu-
tem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tem tuam, Rex, amas, intra hanc ſedem te contine. Illum qui aufugit non oportet elabi. præterea explorabo de inſidiis quid ſuperſit.

Sub hæc verba limen egreſſa, redit ad thalamum Argenidis, in quo noſtræ mulieres timidiſſimo cœtu convenerant. Collige animum tuum. Nam quæ à me, Rex, audies, niſi eſſes conſtantiſſimus, te repentè per præcipites motus abriperent. Theocrine prælio calens, oculiſque jam alia, & propemodum toto vultu nobis ignota, manu Argenidem prehendit & præterea ſequi me jubet. Poſtquam conſtitimus, unde cæteræ loquentem non audirent; Diis gratias habeo, inquit, quòd amoris mei induſtriam per non inutiles dolos in hanc veſtem & domum coëgerunt. Tibi, Domina, Patrique, ſaluti hæc fraus fuit, quos propitiis fatis prædonibus eripui. Hoc eventu æquum eſt mihi ignoſci. Nam quid ampliùs diſſimulem, cùm iſta me prælia probaverint virum eſſe? fefelli; audaciùs quàm voluiſſetis amavi, & quò minimè licebat ſub muliebris ſexûs favore admiſſus ſum. Sed excuſationis multùm eſt, quòd inter vos tamdiu verſatus, mores & ſpeciem puellæ ſic retuli, ut nulla immodeſtia ſexum arguerit: quantum autem in fœminas potuerim, ſi abfuiſſet verecundia, nunc demum in viros oſtendi. Nec quæro has vires aut continentiam laudare. Satis erit ſi apud te, (Virgo) me abſolvent. Scias enim. Ego nec genere, nec fortunâ regiis nuptiis impar, ab externo littore tuam famam ſequutus ſum; & quaſi admonentibus diis, ut te viderem, fruererque moribus tuis, fœminam ſimulavi. Crudelitatem patrui, miſerias matris, omnia commentus ſum. Abſcedo nunc ægrior quàm cùm intravi. Nam quantillum tuarum virtutum eſt quod famâ acceperam? & me tamen rapuerant.

Radirobanes atrociter his verbis vulneratus; perii, Seleniſſa, perii, inquit. [1] Quis hic ergo ſub pallâ degeneri Achil-

1 *Quis hic ergo ſub pallâ degeneri Achilles.*] Ejus enim mater Thetis cum accepiſſet ex oraculo in expeditione Trojana periturum Achillem, ſi eò cum cæteris Græciæ

Achilles? aut quæ Thetis fraudem ornaverat? Nullus ſum. An ille eſt quem nunc amat Argenis? Ille eſt, ſubjicit anus. & ne putes vulgare hoc eſſe ſecretum, id adhuc ignorat Meleander. Cæterùm morari ſe diutiùs poſſe negabat, ne Regi ſuſpecta fortitudo ſenſim fraudem detegeret. Rediturum ſe brevi ad Regiam, ſed cultu militari, mihique, vel Syracuſis, vel in Aulâ, præſtò futurum quoties ab arce digrederer. Sibi nomen Poliarcho; neque verò diutiùs victurum, quàm placeret Argenidi. Ex animo tuo perpende, Rex, quales ambæ fuerimus. Si te narratio virum movet, quid exiſtimas in re præſenti fœminas obſtupuiſſe? pauca deinde in aurem Argenidi narravit. Credo, genus & patriam referebat, obteſtatuſque virginem ut ſecreta ea eſſent, fidem invênit. Unum hoc enim arcanum eſt quod non auribus meis Argenis commiſerit. Arcis claves apud me, de more ſervabantur: quas ille corripiens, ite ad Meleandrum, ait; ego ne majores ſubſint inſidiæ, Prætorianos & vigiles accerſam. Spiſſiſſimæ tunc nubes omnia aſtra eripuerant. Et dimotis ille clauſtris, cùm facem teneret; ab ipſo arcis limine exclamavit, perrupiſſe ad Regem graſſatores; properaret ad auxilium è ſtationibus miles, inſtare, adeſſe periculum; facinus propè peractum eſſe. Hæc cùm vehementiùs aliquoties proclamaſſet, ipſe quidem longè à viâ declinavit per tenebras; cæterùm exarſere improviſo tumultu qui arcem proximè obſervabant. Quo habitu, quiſque erant, procurrunt ad præſtandam celeriter fidem; nam & multi ſeminudi, ne componendis veſtibus tardi eſſent, propemodum ſola arma attulerunt. Jam occupaverant mænia, jam fervebat veſtibulum atriumque confuſis cohortibus. Cumque per varios ignes fruſtra hoſtis quæreretur, cœpere vereri, ne aut larvæ improvi-

dos

ris Græciæ ducibus proficiſceretur; jam adultum inter Lycomedis Regis filias ſub habitu muliebri occuluit: ubi cum aliquandiu delituiſſet, ab Ulyſſe compertus aſtu, ductus eſt ad bellum, nam Troja expugnari abſente Achille non potuit.

1 *Verſus*

dos luſiſſent, aut aliquo dolo de ſtationibus eſſent exciti. Præcipui vero duces, & in illis Eurymedes, cum delectis militum ad cubiculum Regis pervadit, in quo ego, cum Argenide eram. Noſtra vociferatio, & in vultu Regis horror, maximeque duo cadavera quæ ante pedes jacebant, non contemnendæ rei indicia fuerunt. Circumſtetere igitur Regem; ac quòd incolumem videbant, defunctumque periculo, manum amplexi, miſtis vocibus multa ac varia volentes, ideo nihil exequebantur. Hi quærebant qui ſicarii fuiſſent: alii quis eos refelliſſet in inermi & muliebri domo; plurimi accenſis facibus ſcrutabantur ne quà hoſtis lateret. Etiam tumultuaria quæſtio de captivo habebatur, his genas vellicantibus, aliis in pectus intentantibus ferrum. Meleander intereſſe arbitratus ne præcox vindicta de eo ſumeretur, tradit ſervandum Eurymedi.

Jamque ſecurus, & præſidio ſuorum medius ad Argenidis thalamum venit, quò & referentibus nobis audierat etiam domitos eſſe à Theocrine ſicarios. Poſtquam & illic duo cadavera conſpexere, & plagas pluſquam ad mortem opus erat adactas, enixiùs rogavere Regis amici, quinam mortalium huic fortitudini ſuffeciſſent. Ubi verò retulimus, manu puellæ patratum hoc facinus, taciti, (nam admiratio verba ſuppreſſerat) circumlatis oculis victricem requirebant. Rex quoque advocari illam juſſit; & quia monebamus duos ex latronibus fugiſſe, ipſeque meminerat unum quoque cubiculo ſuo elapſum, totâ domo diſtribui exploratores juſſit, qui repertos adducerent. Sed ſive per portam quâ receptum præſidium erat effugerant; ſive per muros erant delapſi; regi tandem relatum eſt, neque illos neque Theocrinem comparere. Minor cura Meleandro de prædonibus fuit; ſed Theocrinem abeſſe non ferebat; iterumque delectis qui omnia veſtigarent, Theocrines nomine tota domus exſonuit. Sciebamus, ego, atque Argenis, vocantibus reſpondere non poſſe,

qui

qui beneficio noctis uſurus jam forſitan multùm viæ proceſſiſſet; primumque indicium mihi fuit amare Argenidem, quòd adeò diſſimulabat quicquid utraque noveramus, ut & propè me falleret.

In illis tumultibus reliquum noctis abſumptum eſt. Primâ luce Cleobulus, cæterique quorum conſiliis Rex præcipuè fidit, per curſores admoniti quid Regi contigiſſet, ſtrenuè adfuerunt; quibus ad quæſtionem de captivo habendam dimiſſis, Rex ita circumſtantes affatus eſt; quamquam in me, deoſque ingens piaculum admiſere nefarii, detegique & vindicari ſontes debent; ego tamen non me magis ultum cupio, quàm illam videre cujus virtute ſervatus ſum. Ubicunque Theocrine eſt, ego me fœlicem abnuo eſſe, quamdiu ignoro an illa ſit in tranquillo. Dii boni! Ne in latronum inſidias nimiâ virtute devenerit. Sic loquenti, querentique, iterum exploratores renunciant, nulla Theocrines veſtigia nec in arce, nec in proximis campis extare. Si quid duri contigiſſet, aut ſauciam, aut, nefas, interemptam potuiſſe reperiri.

CAPUT XIV.

ARGUMENTUM.

Theocrine nuſquam reperta, ope Palladis factum credidit Meleander, quod in ſe filiamque ſuam inſidiæ exitum nullum habuiſſent; quocirca eam Pater, donec in matrimonium detur, Deæ aris præfecit. Harum inſidiarum author Lycogenes Regem non latuit. At Poliarchus remota larva in Regiam venit, & furtivis cum Argenide fœderibus contrahit.

HÆSIT aliquantùm Rex, ut ex fronte conjiciebamus, in ſubitas cogitationes delapſus. Tandem [1] verſus ad ſignum maximi Jovis, [2] quod non procul in domeſticâ arâ

1 *Verſus ad ſignum Jovis.*] Antiqui in ædibus ſuis multa Deorum habuere ſigna: talis Tiberius, qui, teſte Joſepho, inter Deos ſuos, etiam imaginem *Chriſti Domini* ſervabat. Sed maximè ſimulachrum Jovis hoſpitalis habuere. Vide Virg.

Jupiter hoſpitibus, nam te dare jura loquuntur.

2 *Quod non procul in domeſtica arâ.*] Penatum ſcilicet, quibus faciebant tanquam familiæ præſidibus, & cuſto-

arâ ſtabat; ſumme Jupiter, inquit, ſi ut conjicio res eſt, firma tuo nomine meam fidem. Cœleſti munere factum eſt quòd ex telis impiorum elapſus ſum. O Theocrine, ſi fas eſt adhuc eo nomine te cenſeri, quod tibi inter nos induiſti. Non tu virgo mortalis, nec de numinum vulgo. Tu ſanctiſſima Pallas, tu præſes armorum, [1] tu quæ ſoli Jovi debes quòd nata es. Veneror te, dearum fortiſſima, ne Siculos patiaris ignorare beneficium tuum. Me enim arctiſſimâ religione tibi devotum exemiſti inimicis, ſeu patris imperium, ſeu pietatem tuam ſequuta. O te fœlicem, mea Argenis, ſi tuas fortunas licuiſſet agnoſcere; ſciviſſeſque Palladem tibi loqui, tibi adeſſe; quæ quo ſolertiùs divinitatem celaret, tibi clientis ſpecie voluit eſſe obnoxia? Quibus argumentis hoc credam, ſi poſtulas; primùm, memini vultus; & eodem numine, quod deam vetabar deprehendere, nunc ſerò immortalia ora cognoſco. Quis vigor? quod in oculis jubar? Omnia lineamenta in memoriam redeant; ſcies quòd ut fingebat mortalem, ita nec deam in totum ſuppreſſerat. Sed quis de accepto beneficio dubitet poſt certamen Pallade unâ dignum? Adeone ad divina opera caligemus, ut virgunculæ manu putemus tot homines fuſos, & non potiùs lacertis cœleſtibus gratias habeamus, qui hanc pugnam ediderunt? Nunc verò quæ præſens tegebatur, abſentiâ ſuâ ſe nobis aperuit. In cœlum abſceſſit; aut fortaſſe noſtris oculis erepta, tamen inter nos verſatur, expertura an ſimus ingrati.

Ita diſſerente Meleandro, fremitus ingens inter audientes exortus eſt Scis hominum animos, ac præſertim multitudinis, facilè grandibus & inſuetis rebus deos authores

custodibus. Tibull. lib. 1. Eclog.

Vos quoque fœlicis quondam, nunc pauperis agri
Cuſtodes.

Et Virg. 2. Æneid.

Sacra ſuoſq; tibi commendat Troja Penates.

1 *Tu quæ ſoli Jovi debes quod nata es.*] Pertæſa enim Juno quod ſine liberis eſſet, hoc ipſum Jovi exprobravit, qui ira calens caput arietavit in ſaxum, moxque cataphracta virago exiliit.

1 *Miner-*

thores facere; & ſuperſtitionem quodam impetu infundi. Glorioſum præterea Siciliæ erat, deos ipſos pugnaſſe pro Regibus. Itaque orationem Regis excepit militum clamor, [1] Minervam Tritonidem [2] per omnia nomina invocantium, quæ illi artes ſuæ aut deditæ ſedes fecerunt. Hi ſuperſtitione animi; alii quò Regi placerent; cæteri effuſe gaudendi licentiam amantes. Ut putas inter hos errantium motus riſu furtivo mecum Argenidem luſiſſe? Nec indelectata quidem hac fabula, mirabar quòd Rex tam facilè deam feciſſet. Sed non hactenus ſtetit ludibrium. Quidam miles ſive adulatione, ſive inſaniâ motus; quæ autem illa ſpecies, inquit, quam in ſummâ arce vidi, cùm ex caſtris exciti primùm ſumus? fulgebat per noctem candidiſſimus ignis, quem hærere tectis putabam, & nos compeſcendo incendio acciri. Mox in radios diſtingui cœpit fulgor; & hæc pompa longo ordine crevit in cœlum. Rei autem admirationem tunc quidem mihi excuſſit nunciatum, Rex, tuæ majeſtatis periculum, quam non ſine venerationis ſenſu nunc repeto. Quid ſi ille Palladis ſplendor erat, ſe ſe poſt te aſſertum recipientis ad ſydera! Vix miles finierat, cùm plerique eâdem veſaniâ, quod is finxerat, ſomniove conceperat, vidiſſe ſe confirmant. Ita multis authoribus fabula invaluit; & certatim conſecrationem Theocrines argumentis, veneratione, aſſenſu juverunt. Cùm verò gratularentur Argenidi quòd tamdiu habuiſſet domeſticum numen, illa abjectis modeſtiæ ſpecie luminibus, antevertebat riſum; donec ſatis adoratâ Minervâ, Rex ad conſilium ſupra atrocitate ſceleris, cum delectis ſeceſſit; & ego atque Argenis de Poliarcho loquuturæ in penetrale convenimus. Dicebat Argenis, non indolis ad tempus repreſſæ, ſed veriſſimæ fuiſſe virtu-

1 *Minervam Tritonidem.*] A palude Tritone, ubi primum viſa eſt. Ut ſupra, lib. 1.

2 *Per omnia nomina invocantium, &c.*] Palladem, Minervam, Viraginem, Hippiam, Tritonidem, Deam armorum præſidem, ſequeſtram pacis, &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

virtutis; quòd is apud ſe tot dies modeſtiam tenuiſſet. Quid illius ingenio candidius, qui penè lenior inter mulieres fuiſſet, quàm fortior inter viros? Jam beneficium memorabat quod Meleandro teſte dignum erat magnitudine deorum, & Palladis manu. Jam etiam, ſed illud verecundè, monſtrabat, quantùm ille amaſſet, periculoſiſſimo dolo auſus & ſexum diſſimulare, & ſe ſuppliciis, quæ deprehenſo certa erant, objicere. Fateor, ô Rex; ſublevabam virginis pudorem, ea ipſa commendando, quæ intelligebam illi eſſe gratiſſima; & quia nondum te noveram, nihil credebam præſtabilius Poliarcho.

Interim exegerat à captivo Cleobulus ſceleris authorem atque modum. Ille tormentis impar, cuncta de Lycogene confeſſus, viam ajebat ſe ad arcem inveniſſe, quà mari alluitur; neſcio quâ harpagine in murum conjectâ, quæ ilicet ſaxis hæſit, præligatumque funiculum, per quem in altum ſcandi poſſet, librato pondere immota ſuſtinuit. Hîc largiter à Rege eſſe peccatum conſultiores putant. Nam cùm Lycogenem ſubitò opprimi oporteret; maluit ad illius villam mitti qui hominem tantum accerſerent. Seu jam eum ad arma comparatum crediderat; ut nec capi facilè poſſet; ſeu ſperabat ad omnia audacem contempto indicii periculo venturum. At ille cum clientum fortiſſimis, quos pridie in rei eventum plerumque ignaros coëgerat, venationis ſpecie longiùs profectus, venit ad arcem quam in Leontino agro habebat eximiam. Hinc per literas Regi ſignificat, nec ſe tutò inter tot inimicos ad judicium ire poſſe, nec debere inauditum damnari. Non denique oportere ſubornatos in ſuam perniciem ſicarios fidem habere. Interim factione & viribus adoleverat; ut quod nimiæ lenitatis conſilium fuerat Regi, tunc neceſſarium eſſet, diſſimulare facinus, & tanquam ad innocentem reſcribere; præcipuè monente Cleobulo, ut ſi injuriam fortiter exequi nollet, ſaltem non tam ignoſcere videretur, quàm fidem accuſationi non habere.

bere. Ad hoc conſilium fuit, ut captivus ille index, morte in carcere oblatâ, tanquam caſu occideret. Neque tamen Lycogenes quid meritus ipſe, aut Meleander quid ille auſus eſſet, oblitus eſt. Alter ergo in alterius poteſtatem aut fidem redire cavebant; & ſuſpicionibus odia fovebantur, bello quod deinde ſequutum eſt propemodum deteriora.

Interim Meleander damnatâ arcis fide quæ ſicariorum furori patuerat, novo conſilio Syracuſas Argenidem abducit; non tam iratus Lycogeni, quàm Palladi gratus. [1] Adventabant quinque dierum ſolemnia, quibus ferias illius deæ naſcentis ſolemus reſidere. His ergo expectatis, Rex ad templum progreditur, convocatoque ad concionem populo, in hunc ſenſum loquutus eſt; ſcire jam eos quicquid ipſe de Palladis in ſe meritis dicere poſſet: repetere tamen deam in mercedem auxilii, ut quàm ſæpiſſime amet de eâ re loqui. Tunc in ſe atque Argenidem inſidias commemorat; ſceleris tamen authores premens; neque in Lycogenem contumelioſa vox excidit. Palladem autem mortali ſpecie, & Theocrines nomine tectam, adfuiſſe periclitanti. Ipſam ipſam genio manuque divinam, abſtuliſſe ſucceſſum euntibus in ſe telis; & prædones tanto numine oppreſſos periiſſe. Quid autem, ô cives, erga deam pignus erit, nos præſtiti auxilii memores eſſe, niſi quod precioſiſſimum mihi ſervavit, Argenidem, inquam meam, ego ejus cultui mancipo? [2] Hanc igitur conſciis omnibus diis, in publicâ Siculorum concione, tanquam Pontifex Sacerdotem capio; hanc ſacris Palladis jubeo

1 *Adventabant quinque dierum ſolemnia.*] Panathenæa feſta à Theſeo inſtituta in honorem Minervæ, à Latinis Quinquatria appellata. Hiſce ludis Gymnicum certamen per præconem & tibicinem indicebatur, hîc pueri ſaltabant in theatro Pyrrhicam: erant autem duplicia: majora quinto quoque anno celebrari ſolebant. Minora quotannis peragebantur.

2 *Hanc igitur conſciis omnibus Diis, tanquam Pontificis Sacerdotem cupio.*] Pontificis erat, imperio patris ſolutas virgines pro nutu conſecrare, plectere, morti addicere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

jubeo operari, templiſque præeſſe, [1] donec Junonis numine abducetur ad nuptias.

Poſtquam Rex dicere ceſſavit, Argenis ex compoſito ad patrem proceſſit. Circà, Augures erant. Et Rex candidam [2] veſtem tenens, omnibus hiſtoriis diſtinctam quæ Palladis majeſtatem populo exhibent, procumbentis collo injecit. Quòd ſi, inquit, deæ eſſe non potes, [3] niſi è patriâ poteſtate exiveris, ego te hactenus imperio meo ſolvo. [4] Solæ nuptiæ à Palladis religione te eximent. Sacra omnibus nundinis peragentem noſtri cives aſpicient. Ad hæc Meleandri verba lachrymas, plauſus, vota, popularis ſuperſtitio effudit. Redeuntes deinde in Regiam tota civitas comitata, mox per ſingulas domos temulento pervigilio novitatem ſacrorum ſancivit.

Accenſus Radirobanes æmulatione ſæviſſimâ, interfatur; Dic autem, Seleniſſa; eouſque decipi patrem tulit Argenis? non repugnavit infulas injicienti? non exoneravit Regis animum abſurdâ pietate? [5] tulit denique ſe Palladis nomine initiari Poliarcho? tunc anus; equidem indignabar eò proceſſiſſe fortunæ ludibrium. Sed non impunè ſtudiis alumnæ repugnaſſem; quæ profeſſo apud me affectu Poliarcho jam favebat. Ingratum præterea fuiſſet Meleandro, ab errore revocari. Quantum enim hoc erat, habuiſſe in auxilio deam? Præterea gnatam ſacerdotio deſtinabat, non pietatis tantùm officio, ſed ut populus virginem proximam ſceptro, videre aſſueſceret, & mirari.

1 *Donec Junonis Numine abducetur ad nuptias.*] Erat Juno nuptiarum præſes, unde & Pronuba dicta. Ut alibi.

2 *Veſtem omnibus hiſtoriis diſtinctam.*] Ut cerebro Jovis educta eſt; ut Arachnem puellam Lydiam, quæ Deam provocaverat, percuſſit radio, percuſſamque in araneam commutavit; ut Oleam edidit, Atheniſque nomen impoſuit, rejecto Neptuno, qui bellatorem equum eduxerat, ut Vulcani nuptias repudiavit, &c.

3 *Niſi è patriâ poteſtate exiveris.*] Sic Veſtales eximebantur poteſtate patris & teſtamenta facere non poterant.

4 *Solæ nuptiæ à Palladis religione te eximent.*] Solutæ ſacerdotio nubere poterant, teſte Heliod. in Carid.

5 *Tulit ſe Palladis nomine initiari Poliarcho.*] Quem Palladem Rex cæterique eſſe putaverant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

mirari. Ita volebat favore frequentiæ eſſe ſecuram, quæ in ſolitudine propè perierat. [1] Nec ſordida ſacra aut indigna ſceptra erant, quibus manus admoliebatur. Veſtis auro ſigniſque conſpicua; caput ornatum ut potiùs deæ quam antiſtitis crederes. Satis erat, [2] innoxio ictu libare victimas, priuſquam cæderentur. Thura inde Palladi dare, moxque fluentem populum ad rami oſculum quem ipſa tenebat, in auratâ ſede excipere.

Inter hos dies Poliarchus, ut promiſerat, militari ad Aulam cultu venit. Unus ille cum ipſo qui patruelem antea ſimulaverat. Tunc eum ſorte & nomine mutato appellabat Gelanorum, habebatque pro liberto. Primùm ad Eurymedem venit, ſtatimque indole, & arcano inter præſtantes viros genio, ei conciliatus eſt. Mox per illum admiſſus ad Regem, ſignificavit à remotiſſimâ regione ſe venire, inter ſuæ fœlicitatis titulos numeraturum ſi in tanti Principis aulâ liceret ad virtutem erudiri. Rex qui ſæpè Theocrinem non viderat, jam ſermone & veſtibus alium, adeò ignoravit, ut tanquam incognito & tunc primùm in Siciliam appulſo loqueretur. Suſpiciebat tamen vultus; & omnia in hoſpite ſpectabilia, viam ad futuræ familiaritatis magnitudinem faciebant.

[3] Dies erat quo redeuntibus nundinis oportebat Argenidem ire ad templum, cùm ambæ ſcivimus Poliarchum eſſe in regiâ. Trepidabamus ergo: illa quidem lætitiæ immodico ſenſu; ego autem horrore dubia, ne quid ipſa moribus ſuis, & monitis meis, indignum pararet. Sed rem in melius utriuſque amantis virtus explicuit. Ignoſce (Rex) ſi coram te Poliarchum breviter laudo. Certè enim

1 *Nec ſordida ſacra aut indigna ſceptro erant.*] Olim Reges ſacerdotio initiari mos fuit apud Perſas, Ægyptios, & Æthiopes: Hermes dictus eſt ideo *Triſmegiſtus* quia ſacerdos erat, Rex, & Philoſophus.

2 *Innoxio ictu libare victimas.*] Sacerdos aurea clava libabat victimæ caput. Virg. lib. 12.

——— Et tempora ferro
Summa notant pecudum.

3 *Dies erat quo redeuntibus nundinis.*] Nempe die nono, unde deductum vocabulum, ut ſupra.

enim nec Argenidem oporteret à te amari, ſi impari aut degeneri amori patuiſſet; nec deberes mihi multùm, niſi te præferrem illi viro quem præter te vincere nemo poteſt. Tunc quidem, hoc accepto nuncio, ſolemnium oblita Argenidis, non ſacerdotii regium cultum quo cingebatur videbat, non ſalutantium cœtum, non matronas virgineſque aſſuetas obſequio. Occupata in Poliarcho, nec commodè loqui poterat, nec audire; donec ego in morbum deſpiciens, familiariter rogavi, ut ſe colligeret: & illa non antea merita ſic moneri, verecundè erubuit. Proceſſimus ergo ad templum: Jamque hoſtiæ tangebantur, cùm in Argenidem intenta, rurſus video eam diriguiſſe. Nec dubia faſcinum eſſe, quo invicem miſeri amatores pereunt, circumſpexi unde hoc telum veniret. Haud procul Poliarchum aſpicio. Sed vir erat, majorque videbatur, nec facilè Theocrinem agnovi; ut non mirum ſi Meleander falli potuerit. Adeò quicquid muliebre, quicquid timidum videram, cum veſte poſuerat. Supercilium gravius fuit, vultus erecti, lumenque modeſtâ, ſed virili licentiâ vagum. Frontem quoque & tempora negligenti decore comis aſperſerat. Inter hæc Theocrinem animo repetebam. An illa eſt? inquiebam. ea eſt. dii deæque. Tot lepôres, tam habilis ad omnia animus: & hæ manus penſa trahebant? Ignovi itaque ad hoc ſpectaculum raptæ Argenidi: quam tamen revocatura ad præſentis ſacri officium, (nam propè ſtupebat) ſimulavi fluere præter modum virginis pallam, eamque dum colligere videor; memineris, domina, inquam, nec Poliarchum probaturum ut tibi hîc deſis. Evigilaſſe diceres ad hanc vocem. [1] Concepit ergo preces quas præibat Pontifex, & Poliarcho, qui deæ nomine colebatur, libentiſſimè habuit hos honores. At ille (ô quanto plus eſt ſuo quemque quàm alieno

1 *Concepit preces quas præibat Pontifex.*] Conceptis quibuſdam precibus præibat, preces fundendas coram Diis edocens. Ut ſupra paſſim.

1 *Quàm*

alieno judicio eſſe fœlicem?) quærebat ſupplicare facientibus ſacra, inquieto animo in me ſubinde atque Argenidem reſpiciens.

Redimus ad regiam. Ne quære quid tunc ego, & Argenis, colloquutæ. Unicus erat de Poliarcho ſermo. Ad extremum; quid, ô mater, peccabimus, ait Argenis, ſi meum, patriſque ſervatorem, ſanctiùs chariuſque habebimus, quàm qui illum ignorant? O ſi ſaltem colloqui huic liceret; unaque ſacerdotii mei vanitatem ridere! faciam, inquam (Domina) ut liceat. Mea opera ſiſtet hunc tibi. Et hoc quidem ſpondebam prolixiùs, ne illa (nam ſanitatis vix ſpes erat) morbum ſuum periculoſa modeſtia à ſenſu meo eriperet, neve, ſi nihil indulſiſſem, aliis artibus plura pararet. Cùm ab Argenide exirem, video in veſtibulo Poliarchum cum meo filio ſpatiantem. Quippe ad me aditum ſuſpicione carentem quærebat. Ego tanquam ad filium irem, etiam hoſpitem ſalutavi; ſtrictimque admonui ut in eundem locum ſub noctem ſe referret. Quid moror? Secretò ad Argenidem adductus, eâ gratiâ & modeſtiâ fuit, ut hunc crederem rurſus eſſe Theocrinem. Nihil illis colloqui (nam ſæpiuſculè redibat) cui non intereſſem. Nullum crimen, nulla in juvene & amante temeritas; niſi quòd ſemel in hanc ſententiam auſus eſt loqui; ſe Regibus ortum, neque in ſtatu privato futurum diutiùs quàm ſuus in Argenidem amor juſſiſſet; ab eâ recipi in ſponſi charitatem & fœdera optare. Ut priùs in orcum recipiatur (inquit Radirobanes.) O veſanam ſemiviri temeritatem! Non credebam, ait anus, ſuperfuturum virgini ad iſta ſermonem, & tanquam debitas mihi partes pro alumnâ parabam ſufficere; cùm ipſa, ne, ut in re improviſa, cunctata quidem multùm, auſa ſic loqui; teſtes dii, quos omnes Poliarche propitios tibi credo, ſi te fratrem habuiſſem, nullas in tædas conſenſuram me fuiſſe, ne quis eſſet quem ſupra te amandum jura mihi oſtenderent. Virtus tua, & libertas quam depulſis præ-

 donibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

donibus dediſti, faciunt ne certiora fidei pignora poſſim exigere. Sint ergo conſcii dii, & tu quoque Seleniſſa, me hactenus ad hæc pacta deſcendere, ut ſpondeam, nulli me, niſi Poliarcho, nupturam. Nec parentis in me imperio in totum detraho. Illo jubente nulli nubam; at alteri, nunquam. Expalluit Radirobanes; & faſcinum profectò valuiſſe in virginem; veneficum Poliarchum fuiſſe: addebat & alia, quæ recens indignatio infœlicem æmulum inveniebat. At Seleniſſa; ego, ait, tunc confuſa, ne tamen nihil profuturo jurgio me illis committerem, Dii, inquam, aſpirent cogitationibus magnis. Audax tamen conſilium, & celere initis. Et, ſi quid rogare vos poſſum; quid intereſt, Poliarche, hæc potiùs agi ſecreto, quàm profeſſo ad Meleandrum voto? Si, ut ais, & arbitror, privatæ ſortis non es; cùm jam beneficium dederis: cùm ab Argenide ameris; nihil cauſæ cur affinitas Regi non placeat. Tum ille; ſi ignoſcis, Matrona; quòd juvenilis impetus me avidum videndi Argenidem à patriâ abſtulit, ſine comitatu, aut cæteris meæ fortunæ indiciis; cætera facilè excuſabo. Ignotus, & propemodum ſolus, vereor ut meam cauſam, & opes, Regi probem. Sufficere autem vita non poſſet inter amoris mala, ſi in incerto votorum juberet à patriâ accire meæ ſortis & dignitatis inſignia. Itaque me, ô virgo, ab interitu revocaſti, quem deſtinatum habebam, ſi te duram præbuiſſes. Tu verò, matrona, deſine hæc fœdera habere ſuſpecta; nam quæ modeſtia fuit amanti, durabit adhuc ſponſo. Satis eſt me amari, ſatis eſt ſpem eſſe ſecuram. In hoc mihi votorum nunc ſumma eſt. Nec furtivæ nuptiæ mihi placent. Jam patientior omnis moræ, tempeſtivis conſiliis ambiam Regem, donec in oculis Siciliæ mihi tua alumna ipſo jubente nubat.

Ita tunc ille; & modeſtiam quam ſermone prætulerat, moribus æquavit; ſummo pudore quem hoſpes attulerat, etiam poſt ſecretæ fidei pignora illibato. Vivebat in Aulâ.

Ser-

Servos aliquot emit. Equi, quos amabat domitare, ſtabula impleverant: ut eſſe opulentum conſtaret. genio præterea ſtudiiſque, & quoties licebat, experimento fortitudinis, plurimorum animos tenebat; per has artes nihil minùs Regi charus quàm nunc vides Archombrotum. Unus tamen omnium conſcius Gelanorus: cæteri familiares, utique ex Siculis collecti, dominum ignorabant. Sæpè ergo ad Argenidis familiam nihil ſuſpicioſa humanitate divertebat; ſæpè incautis omnibus; nunquam tamen niſi me duce, cum Argenide erat. Dixiſſes ſororem cum germano ſub me matre luſitare. Præcipua mihi ejus imago eſt venientis ad ſacra, quæ in ſuarum virtutum præmium immerita Pallas ferebat; cum Antiſtita Argenis Palladem diceret, & Poliarchum cogitaret; & à numinis ſigno in eum tanquam temerè obverſa, deflecteret preces; ille autem fabulæ non ignarus aut fingeret majeſtatem, aut aliquo nutu ornanti annueret. Hæc ſæpiſſimè inter nos conſcium riſum ciebant, neque ſatis caſtigabam improbitatem per hos jocos errantium. Non tenuit Radirobanes iram; ſed, ſi, inquit, juſta Pallas fuiſſet, hanc mimicam deam, hanc divinos honores uſurpantem, multo pluribus laqueis ſuſpendiſſet, [1] quam ſeipſam Arachne verberata.

CAPUT XV.

ARGUMENTUM.

Servus Seleniſſæ verbis Argenidi nuntiat ſi videretur, ad eam ſe Sardiniæ Regem perducturam. Is in porticum ubi pervenit ſpe tumens quam fecerat anus, ſuum amorem commendat virgini, quâ præter opinionem rigidâ ille expallet. Queritur deſtitutam ſuam ſpem. At Seleniſſa cogi velle Argenidem. Ex illo Radirobanes ad raptum mentem appellit, Choreamque adornat.

SIc loquentes turbavit ab Argenide ſervus, qui dominæ verbis nunciavit Seleniſſæ ut rediret, ſecumque ſi vide-

1 *Quàm ſeipſam Arachne verberata.*] Uti hæc ludia cum Pallade arte contenderit, ut mutata fuerit, docet Ovid. Metam. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

videretur Radirobanem duceret. Vade, retulit illa, & dominæ nuncia, nos confeſtim adfuturos. Cùm ſervus abiiſſet; expectaris ab Argenide, inquit, ô Rex. Neſcio quid ejus conſilium intervertit huc ad nos veniendi. Dum autem imus ad illam, patere breviter quæ ſuperſunt ediſſeri. Strictim ergo expoſuit, dum Poliarchus in eâ fœlicitate eſſet, ortum in Siciliâ bellum, Lycogene, poſtquam ſatisfactione invaluit, acriter in Meleandrum provecto; ſtrenuum conſilio manuque Poliarchum, non minùs ipſo Rege exoſum hoſtibus fuiſſe; quos etiam primo certamine ita ultus eſt, ut victoriam Regi tribuerit. Addidit calamitatem illius, violatis Lycogenis legatis, qui de pace acturi veniebant. Et tunc quidem pulſum eſſe Sicilia; ſed in dies ab Argenide expectari. Ille eſt, ô Rex, (ne immeritò Archombrotum inſimules) qui virginem hactenus difficilem tibi fecit. Tum Radirobanes; putas verò, Matrona, illo incolumi me fore ſecurum? quid ſi mutabitur Argenis? quid ſi repetet prioris amicitiæ ſacramentum? Ipſum, quòd jam (ut ais) me amat, deſerto Poliarcho, documento eſt me quoque, niſi aliquod mihi conſilium præoccupo, deſeri poſſe. Ne dubita (refert anus) ubi ſemel matrem familiâs Argenidem habueris, nihil eam à fide connubii deducet. Cenſeo itaque maturandos hymenæos. Si verò Poliarchum inter hæc redire contigerit, ego incautum, & omnia mihi credentem quà jubebis in inſidias deducam. Tollendus enim erit. Nec arduum facinus, inermem ſolumque opprimere.

Radirobanes obſtupuit ad mulieris ſcelus: probato tamen conſilio, in Argenidis porticum pervênit, in quâ ipſa demiſſo Poliarcho ambulabat vultu ſevero; utique recenti dolore incitata. Obviam tamen Radirobani perrexit; juſſitque conſidere; ipſa in ſellâ aliâ acquievit. Is verò, ſpe quam anus fecerat tumens, ſua vota, ſuum amorem virgini commendavit; omniaque addidit quæ verus effictuſque amandi impetus eadem habet. Argenis præter

ter expectationem rigida; nihil ad ejus mentem reſpondit. Idque ille eò acerbiùs tulit, quò propius ſpem venerat expugnatum virginis animum eſſe. Expalluit etiam Seleniſſa, cùm ſuo promiſſo fraudatus Rex inſpiceret in illam; verita quoque ne amor deceptus in apertæ indignationis verba mitteret inſanientem.

Poſtquam ille porticu exceſſit, auſa eſt anus incuſare Argenidem. Quid enim ejus animum in contraria rurſus egiſſet? aut cur fefelliſſet ſpem quam pridie ipſa fecerat? Cur non ſaltem ageret curam patriæ, cujus intererat Radirobanem non iraſci? Sed puella, indignationis vix potens; deſine, inquit, in pejus ominari. Diis curæ Sicilia erit; quorum numine perduelles, ut vidiſti, nuper extincti ſunt. Dubiis verbis, nec ſat certum an in ſe directis, anus verberata contremuit. Hæ primæ flagitii furiæ erant inſidentes meritum pectus. Sed noverat ſolis ſceleribus ſua ſcelera poſſe defendi. Trepida ergo rerum ſuarum, anxiè agitabat, quibus modis Radirobanem ad vim incenderet, traderetque ipſa Argenidem. Cui ne ſuſpecta interim eſſet, paulatim ſimulavit à Radirobanis patrocinio abire: & interdum imitatione doloris querebatur abeſſe Poliarchum. At non dubia Argenis ſimulationem hanc eſſe, pejùs frontem ab animo diſſidentem exoſa eſt.

At Radirobanes vitia utcunque hactenus preſſa eò effrenatiùs ſolvere cœpit, quò diutiùs vires diſſimulatione collegerant. Nullum præmium par eſſe auxilio quo Meleandrum juverat arbitratus, ita agebat, tanquam hoſpitalibus armis, plùs juſto Siciliam & Argenidem emiſſet. Itaque immodeſtiùs Regem ſuper gnatæ fœderibus adibat; graviſque inceperat omnibus Siculis eſſe Potentiorum præcipuè offenſam immodeſtâ ambitione contraxerat. At Meleandrum perplexæ cogitationes ſubiere, verentem ne is amor in jurgia deſineret; feſſuſque & imparatus ſenex nova ad bella revocaretur. Filiam ergo vocat, petitque quid tantum in Radirobane ei diſpliceat. Privatorum

torum eſt, (inquit) eligere matrimonia ex amicitiæ affectu, vel morum concordiâ. Nobis illa ſuavitas exuenda. Regum enim fortuna eſt, ut nunc indignos & exoſos per ſanctiſſima fœdera ſibi conjungant, nunc omnium nexuum jura, omniſque ſanguinis charitatem inhumana neceſſitas negligat. Chariſſimus eſſe ſolet, qui utilitate præcipuè potentiam noſtram alit; & affinitates pulcherrimæ cenſentur, quæcunque regnum ſtabiliunt. Si plures genuiſſem, poſſes credere non me hîc tui habere rationem, ſed mei. Scio enim à Regibus ſæpè filias aut ſorores, ſpargi in eos quos fallere amicitiæ ſpecie volunt, vel ad tempus placare; nihilque deinde ſui ſanguinis pignoribus, nihil nominum quæ mutuò inierunt reverentiâ motos, pacem & bella ex temporum & fortunæ æſtimare ingenio. At tu mihi ſola es; in te unam affectum patris & Regis, natura & ſucceſſio conjunxit. Aut ipſa tibi conſule; aut me patiaris conſulere. Hîc Argenis; eſt, Domine, quòd rationem virgo reddat, ſi quem ſibi optat in ſponſum, non ſi cui dura eſſe inſtituit, ſive ratio eſt, ſive etiam pudor, cujus eſſet vel omnes averſari. Hunc autem Radirobanem forſitan poſſem non odiſſe, ſi me potiùs amaret quàm crederet debitam ſibi. Tam inconditam ſuperbiam non fero. Tu ipſe, optime pater, cætera cogita, quæ in homine non probas. His quoque adducta ſum, ne hoc affine, te, & Siciliam, & me denique perditam velim. Ita obſtinatam Rex dimiſit, certus ipſi ut ſolebat indulgere.

Radirobanes, quanquam iratus Seleniſſæ, quia promiſſa non proceſſerant, eam tamen optabat audire. Nam & ſolertem ſciebat, & poſt ſecreta alumnæ prodita ſuam eſſe. Cæterùm uni ipſe Virtigani expugnatam illius conſcientiam detexerat; levabatque furorem liberrimis apud eum queſtibus, multiſque in Meleandrum, interdumque Argenidem, minis. Timeo, mi Virtiganes, inquit, ſuſpicionem fraudis, ſi toties cum Seleniſſa ago. Tu in vi-

ces

ceſ meas tutò ſucceſſeris. Cùm ibo ad Argenidem, facilè ad anum pervenies, & hunc feres codicillum, quo queror deſtitutam ſpem, quam habere me juſſerat, in Argenidis recidiſſe ludibrium. Scribo præterea ut omnia tibi credat, ſi quæ in rem tam arduam forſitan habet. Te enim mearum rerum arbitrum, te ut in cæteris rebus, ſic in iſtâ conſilium præcipuè mihi eſſe. Suſcepto negotio, ut primùm Radirobanes Argenidem inviſit, Virtiganes clàm Seleniſſæ in manus literas dedit; quas nonnihil ſemota cùm legiſſet, rediit ad Ligurem, haud ignara niſi procederent hæ nuptiæ, ſe utrimque perituram; &, nuncia, inquit, Regi, nihil eorum deeſſe quæ promiſeram. Sed lentum amatorem iſta tempora non quærunt. Rex eſt; armatus eſt; habet claſſem; & [1] ex raptu dii quoque ſibi uxores invenerunt. Violenta conſilia amor excuſat, & mariti ſanctum nomen delet injurias. Nec in alumnam crudelis ſum. Cogi optat Argenis. Et hoc quidem ut fidem exolvat Poliarcho, cui promiſit nunquam ſponte conſentire in alium. Servat igitur iſtam frontis verborumque conſtantiam, ne iratos deos habeat, quorum numinibus vocatis, Poliarcho ſe addixit. Sed me deinde jurgio premit. Nam cur, inquit, Radirobanem amare ſic memoras? aut ſi amat, quamdiu ceſſat? acceſſit imperium Meleandri hanc auſteritatem præſcribentis. Nam ille cum Radirobane affinitatem non vult; & invidiam repulſæ transfert in filiam. Ne erres. Tuo Regi non diu licebit eſſe forti. Clàm enim milites accerſuntur; & ubi Meleandro ſuæ vires placebunt, cum ſupercilio iſtum negliget, cui nunc affinitatem timidè negat.

Multùm miratus Virtiganes tantæ audaciæ verba, ad dominum, qui de more iratior à virgine abibat, rem defert. Et ille novitatem conſilii haud parum miratus, faciamus

1 *Ex raptu Dii quoque ſibi uxores invenerunt, &c.*] Pluto Proſerpinam legentem flores per Ætnæos agros rapuit. Ovid. l. 3. Metam. Et Claudian. de raptu Proſerpinæ, &c. Juppiter Inachidem, Europam, &c. ſimiliter rapuiſſe dicitur.

1 *Vide-*

ciamus igitur, inquit, ut nullâ ſuâ culpâ Argenis ejuret Poliarchum; & ei liceat nos amare. Ego per Jovem, quacunque hæc fide Seleniſſa tibi mandaverit, omnia diligentiſſimâ ratione curabo; nec à Meleandro ſperni me patiar. Sed ne anus nos deſerat, accuſetque conatus ad quos ipſa jam impellit; neſciat hanc mihi rationem placere; ipſa quoque ſi noſtrarum eſt partium, ſe cum Argenide ex improviſo capi lætabitur. Non audebat Virtiganes diſſuadere; quamquam pericula [1] videbat, & hoſpitii violati infamiam. Ita fraude & ſcelere Seleniſſæ, vis funeſta Argenidi, & quod miſerius erat, tanquam optanti apparabatur. Conducebat huic fraudi, habere facilem, nec ſuſpicioſum Meleandrum. Rurſus ergo cohibere Radirobanes animum cœpit; illum ſine ſatellitio ambivit, ſine armis iniit apud illum convivia; ut neque is dubitaret ſe ejus fidei deinde concredere. Exercitum quoque in Sardiniam remiſit, ne ſuſpectus nimiis viribus eſſet. Familia tamen, & Procerum quos habebat comitatus, corporiſque cuſtodia, pluſquam ſexcentorum hominum erant; præter triremium quinque (tot enim ſibi ſervaverat) remiges atque nautas, quos ex omni claſſe delegerat.

Satis hoc virium ad fraudem raptumque exiſtimans, diu ſecum exegit, quo ſecuriùs modo prædam hanc ageret. Multa volventi talis potiſſimùm dolus ſedit. Prætorium ejus navigium, cùm in Epeirctes portum ſuccederet, pertinax gubernator obnoxiè in ignoto ſaxo alliſerat. Ita quaſſatum eſt latus, & quicquid ſub prorâ, ſcopulo ictum dedit. Fluctibus tamen ereptum eſt, contis, atque remigio, funibuſque ab antecedentibus ſcaphis, & proximo littoris aggere, perniciter actis. Ereptum periculo

1 *Videbat, & hoſpitii violati infamiam.*] Hoſpitale fœdus Meleandrum inter & Radirobanem interceſſerat, quod ulla injuria violare nefas erat. Virgil. l. 8. *Euander timet ne Jovis hoſpitalis Deorumque incurrat invidiam cæſo ab civibus ſuis Argo, cui Argiletum extruxit*, inquit Servius Honoratus ad l. 2. Æneid. ỷſ. 535. *Lycaon cum hoſpites ſuſceptos necaret, à Jove ſuſcepto poſtquàm ei epulas humanas appoſuit, verſus in lupum, oſtendit hoſpitii jura eſſe non violanda.*

1 Nam-

culo, in ipſo terræ confinio fundatur anchoris, & deinde ingentium trabium velut ponte, incurvam craticulam imitante ſubnixum eſt. Sic utrimque effultum, in priſtinum robur componebant artifices. Neque modò placebat ſublapſa reſtitui; ſed quæ plurimarum ædium urbiumque fortuna eſt, præſtantiùs volebant ex ruinâ reſurgere. [1] Namque Corinthii, apud quos primæ triremes ſunt conditæ, rei nauticæ eximium uſum ad colonos pertulerant. Et hinc Corcyra ſtatim, hinc validæ maritimis copiis Syracuſæ. Pulcherrimum erat Meleandro navigium ad eam artem exactum; ex quo exemplum capere ſuos artifices Radirobanes juſſit, & triremem reparare propemodum à carinâ. Nec Radirobanes tantum, ſed & ſæpè Meleander, opus viſebat. Hunc ergo inſidiis ordinem ille conſtituit. Abſolutam triremem dicavit Argenidi, illius ſtatuâ ad proram defixâ, & in puppis ambitu per varios ornatus repetitâ imagine. Opportunè [2] inſtabat natalis Argenidis, quem & velle ſe prædicabat renaſcenti navigio eſſe natalem; in eam igitur diem invitavit ad littus cum gnatâ Meleandrum; quippe locato in arenâ tentorio prandium utrique daturus; quo in multum diei protracto, triremis deinde nomini Argenidis ſacra, inter tubas atque ſymphoniam, æquori permitteretur. moxque tenebris excipientibus lucem, [3] medicati ex ſulphure ignes, & ſub undis victuri (nova tunc erat voluptas, atque rara) ex eodem littore emicarent. Inter illud verò ſpectaculum, Siculis

1 *Namque Corinthii, rei nauticæ eximium uſum ad colonos pertulerant, &c.*] Corinthii coloniam in Siciliam deduxerunt condideruntque Syracuſas, & illuc artem ſuam nauticam provexere.

2 *Inſtabat natalis Argenidis.*] Alex. Neap. l. 2. cap. 22. *Nec ſolum*, inquit, *urbis natalem celebrabant, ſed ſingulorum dies natalitios, pulte, fritillo, mero, cibis, floribus; erantque hilaritatis & lætitiæ pleni dies*; conſtat ex faſtis & Horat. lib. 2. Satyra 2.

— *Natales alioſque dierum*
Feſtos albatus celebret.

Virgil.

Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis Iôla.

3 *Medicati ex ſulphure ignes.*] Origo ignium iſtorum artificialium, ex Græcis emanavit, qui Trojam incenderant; vernacule, *feux gregeois*, vivunt ſub aquis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

culis improviſis, & ut extra periculum plerumque exermibus, ſtatuerat vi correptam cum patre Argenidem in proximas naves deferre. Ac ut longâ hilaritate, mentes omnium à curâ & ſuſpicione averteret; noctem quoque, quæ Argenidis natalem præcedebat, regio [1] tripudio, & propemodum mimo celebrare inſtituit; undecim ex primis ſuorum juvenum electis, qui ſecum larvati ſaltarent. Placebat [2] eâ ſcenâ referre trium deorum fabulam, pulſo patre Saturno, naturæ hæreditatem ſorte ducentium; cum ſydera Jovi ceſſerunt; horruere maria ſub Neptuno; & triſtitiâ ferox Pluto ad populoſiora regna demiſſus eſt.

Hos ſplendoris regii ludos, à Radirobane parari Meleander lætus accepit; illum utique diem honore præcipuo culturus. Nam & quæ Syracuſiorum, cæterarumque urbium legati paulò antè petierant, inter hanc pompam, tanquam in honorem Argenidis, donare decreverat: ea verò maximè erant; ne redemptoribus portoriorum, aut vectigalium, liceret ab iis quicquam exigere, quos non vitio ſuo egenos, & colendæ terræ utiles eſſe, magiſtratus cenſuiſſet; præterea, [3] ne quis ex proletariis, aut capite cenſis, imitari divitum ocium poſſet, ceſſando, faſtidiendo artificia, & unum ferrum ſic ad latus geſtando, tanquam in pace militaret: ſed quos de ſuo non vivere poſſe conſtaret, vel ſponte quod profiterentur eligerent, vel ad publica opera diſtribuerentur; quippe illos ignavâ triſtique ſuperbiâ in pace marcentes, privata ſcelera exequi; aut quo ſuam egeſtatem publicis malis paſcant, operam ultrò ad ſeditionem motuſque civiles commodare. Illud

1 *Tripudio, & propemodum mimo.*] Saltatione Pyrrhica.

2 *Eâ ſcenâ referre trium Deorum fabulam.*] Uti expulſo Saturno, Jovi Cœlum, Neptuno maria, Plutoni inferi, quos vocat *populoſiora regna*, in ſortem ceciderint.

3 *Ne quis ex proletariis aut capite cenſis.*] Hi erant plebeii, qui arte ſua victum quærebant: capite cenſi, qui nihil omnino habebant, quod referrent ad cenſum, præter capita, ſeu perſonas, quotquot erant in familia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Illud quoque petiere. [1] Ne imi quæſtores exigendis à populo tributis præeſſent; & nec ipſi privatorum limina circumirent, nec miſſis lictoribus pignora caperent, divexarentque oppidanos. Ipſorum concivium eſſet hoc munus; qui ex ſuo corpore eligerent per quos ea pecunia cogeretur humaniùs; hanc ſingula oppida ad Prætorem ſuum ferrent? inde vel Præfecto Provinciæ numeraretur, vel, ſi Regi placeret, Syracuſis inferretur ærario. Si quis enim privatus detrectet, aut moretur; per ſuos hunc cives, per aſſuetos magiſtratus, notoſque lictores, præſtare ad ſolutionem adigi, quàm inhumano faſtu quæſtorum, qui cum exactoribus ſuis, brevem moram egenis interdum crudeliter vendunt; meliuſque prædati nunquam eunt, quàm cùm in vexatis laribus, & in quibus vix tantum eſt quod tributo ſufficiat, ſibi quoque ſpolia illato terrore inveniunt. Miſertus ſuorum Rex, Cleobulo curam dedit ut leges conciperet, quæ hæc à populo incommoda arcerent. Difficilius fuit, quod iidem legati petierant, malis occurrere quibus litium frequentia, Judicum moræ, & advocatorum iniquitas agros urbeſque populaverant.

CAPUT XVI.

ARGUMENTUM.

Quanta in regnum incommoda ex frequenti Iudicum, Patronorum, Rabularum numero, & longa litium prolatione reſultent: quibus remediis tanto morbo ſuccurratur, Ibburranes tot malorum impatiens ſubtili ſermone Meleandrum docet.

IBBURRANES & ſuapte magnitudine, & commendatione Argenidis Regi charus, converſari frequentiùs ſolebat in Regiâ. Hunc adierant Syracuſii, recipique ambierant in tantæ gratiæ clientelam. Ferret ipſe ad Regem

1 *Ne imi quæſtores.*] Duo proſcribit, nempe multitudinem Quæſtorum & Lictorum, qui tributa exigunt; & inhumanitatem eorumdem, qui nunquam melius prædantur, quam apud eos, quibus vix eſſe poteſt, quod tributo ſufficiat. Remedium erit, ſi in ærarium Regis pecunia immediatè transferatur, atque ipſi divites ſummam exolvant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

gem juſtiſſima vota, preceſque Siculorum, eumque jam ſponte mitigatum, prolixiùs ſuo pondere ad populi commoda inclinaret. Præter cæteras virtutes, ſumma erat in Ibburrane facilitas, ſi quis opem, aut juſtam ſuffragii commendationem petebat, ut eum diceres beneficium accipere quoties dabat. Is igitur & ſæpe Syracuſanos commendaverat Regi; & tunc maximè ſuper his fori & judiciorum malis, de quibus populus querebatur, ita locutus eſt: ne putes levia hæc eſſe, Rex, quibus levari Sicilia exoptat: neſcio an turbæ civiles quas modò ſedaviſti, furioſiùs ſævierint; aut ne dubites quàm amplâ factione minentur hæc mala; non plures cum Lycogene coierant. Iſti, inquam, Advocati, Patroni, Scriptores, Lictoreſque (nam Judices, quia eos conſtituis, vereor nominare) adeò numerum ſuperant, ut pauciores ſint agricolæ, pauciores qui in mercaturâ vertuntur, regnumve cuſtodiunt. Unde verò tanta illa gens vivit, niſi ex injuriâ populi, ex clade & ſanguine miſerorum? Eò quidem majori reipublicæ detrimento; quòd ſi inter pauciores, ſed ſpectati candoris, advocationum munus eſſet, tot illa ingenia quæ noxiâ calliditate ſe corrumpunt, melioribus ſtudiis ornarent patriam; diſciplinas, & artes, aut proderent novas, aut inventas excolerent. Ita hæc peſtis non modò malorum eſt rea quæ infert, ſed bonorum præterea, quæ adimit. At excuſabis multitudinem comitialium hominum (permitte ſic vocari hos jurgiorum præceptores) ex litigantium numero; quibus omnia fora ægrè ſufficiunt. Per pauciores enim agi tot cauſas, tot explicari negotia non poſſe. Imò verò [1] ex Judicum & Patronorum numero, creſcunt lites, aut ſubſident. Adde nova tribunalia, non deerunt quibus placeat recens equuleus; quòd ſi de veteribus

1 *Ex Judicum & Patronorum numero creſcunt lites.*] Abuſus fori; Judicum enim mora & Advocatorum numerus ingens, ſcriptorumque atque lictorum iniquitas exhaurit populares; ſiquidem conſuetudine videndi miſeros & faciendi, exuunt omnem humanitatis ſenſum. Ut ait ibidem Barclajus.

1 *Sub-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ribus adimes, ita cadet pars litium; ac de morbo decedat ſi de hodiernâ medicinâ ſubtraxeris. Forenſis hujus æſtus cauſa eſt; quia Judices (ne infrequentia cauſarum, lucello ſublato, etiam deſpectam dignitatem faciat) in ſummo jure ſemper inveniunt quos [1] ſubmittant faſcibus ſuis: nec rabulæ deſunt, & his quoque deterius genus, [2] homines quidam ſcientes formularum, omniſque ad litigandum articuli; qui vel alios inter ſe committant, vel ipſi repertâ litigandi materiâ hujus ludi ignaros exerceant. [3] Ex tuis provinciis una fuit expers eorum qui ſe in litibus doctos jactitant. Quietem oppida agebant; quicquid diſcordiæ inter cives exarſerat, rudis, ſed beata æquitas, compeſcebat per arbitros. Ignari ſalutis; paſſi deinde ſunt ex illis hominibus apud ſe unum vivere. Illico ortæ cauſæ; contentiones validæ; & diſſidia ætatem tulerunt. Adeò iſti in foro exerciti ſæpiùs lites excudunt, quàm inveniunt aut placant.

Sed utcunque numeroſi, & aliquâ contagione vicina omnia turbantes; ſaltem ſi brevi ſupplicio contenti mulctatos dimitterent. Nunc æterna ſunt jurgia; ut ſi cum ſumptibus ſit moleſtiarum ratio, gravius putes ſic vincere, quàm confeſtim damnari. Illud eſt potiſſimùm quod exigit tuam curam. Amputa has ambages; conſtitue ſpacium ultra quod nullis litibus fas ſit ſeneſcere. Nam & modum

1 *Submitant faſcibus ſuis.*] Suæ poteſtati. Metonym.

2 *Homines ſcientes formularum.*] Sunt tabulæ ſeu litium artifices. *Solliciteurs de proces.*

3 *Et tuis provinciis una fuit expers eorum qui ſe in litibus doctos jactitant.*] Quænam illa provincia eſt litium olim expers? Fateor Germanorum aut Helvetiorum ejuſmodi extitiſſe. Malim tamen ad Augronias Galliæ Tranſpadanos populos referri, qui cum litium olim expertes fuiſſent, forte Tabellione quodam irrepente ſic ſe litigiis dederunt, ut non humanas modò, ſed ipſas etiam divinas leges oppugnarint, eoſque imprimis, qui certiſſimarum ad ſalutem legum obſervatores. Quæ res meritiſſimæ horum Rabularum ſtragi nuper anſam præbuit. Cum enim ipſi Auguſtiſſimæ Euchariſtiæ ſolemnibus tartareo œſtro perciti in templa Dei non lapidea modo, ſed etiam viva cum ſtrage irrupiſſent, omniaque ſacra inſontium, quos ſuo furori perperam immolabant, cruore polluiſſent, hi viciſſim vindice gladio meritas pœnas Deo perſolverunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

modum & numerum prægreſſæ ſunt artes ac nomina, quibus miſerrimos clientes Patroni & Judices fruſtrantur. Articulatim & lentè hos diſcerpunt qui ſemel perire potuerant. Sæpè itur ad Judices, cauſa narratur, aliquot anni abeunt, necdum conteſtatio litis, ut vocant, audita eſt. Judicibus hîc non vacat, hîc omiſſo quod litem facit negocio, hærent Patroni in cauſis minoribus, quæ nunc ſpontè, nunc eorum ſtudio naſcuntur è primâ. Hæc præludia adornant, his proclamant inauditis iter ad verum Judicibus eſſe non poſſe. Sic dubia ex dubiis ſeruntur. Sic immani dilatione pereunt litigantes, magnâ, ô Rex, in inſontes inopeſque injuriâ. Nam qui in divitem inimicum pauper inciderit, tam longo & ſumptuoſo itinere conficitur: procumbitque denique laſſus, nec recuperato jure inultus, æmulo minùs ſuo quàm huic prolixæ æquitati iraſcitur. Ne quære cur tamdiu Judicibus placeat, & patronos ad ſe delatos cruciari. Nempe ex morâ & tempore, ſua opera æſtimatur. Sic Patronis, inquam, creſcit, ſic Judicibus merces. Multa ſcripſiſſe, multa audiſſe (quamquam ea præſtabat compendiò fieri) acerrimè vendunt; eo pejores quòd quæ peccant, ipſi juſtitiæ imputant. Præterea conſuetudine videndi miſeros, & deinde faciendi, exuunt humanitatis ſenſum; aut potiùs miſerum eſſe non credunt, litigare. Ita duri ad queſtus, parum ſupplicibus moventur; & ab iis tantùm culti, ſaltem amant longiora in ipſos exercere imperia.

Cætera quæ quotidie peccant taceo. Nam hæc omnia queſtos eſſe oportuit qui emendandi fori tibi mentem dederunt. [1] Præſtat de remediis in eam cladem videre: quæ fortaſſe ab ejuſmodi ſanctione non incommodè incipies; ut ſiſtantur Judicibus illi ipſi qui inter ſe diſſentiunt, ne ab ſola advocatorum fide res pendeat. Ex eorum ſimplicitate,

1 *Præſtat de remediis.*] Docet lites non à ſola Patronorum fide pendere, nec ultra ſemeſtre differri oportere.

1 *Quæ*

citate, vel aſtu, ſæpè integriùs ad ingenium cauſæ diſceptatores pervenient, quàm callidæ eloquentiæ fuco. Ubi cauſam adhuc nudam inſpexerint, duorum aut trium judicum arbitrium erit, an ad ſententiam ſat liqueat. Neque juris teneantur apicibus. Æqui bonique judicium eſto. Aliter exordiri nefas ſit, ſive in minoribus judiciis, ſive ad quæ provocatur. Sin impeditius jurgium venit, teſteſque, & inſpectionem, & leges deſiderat; tum ad quos patronos deferetur, ii Numini repetant ſacramentum quo ſemel devincti ſunt, nullam ſe cauſam, quoad ſciant, iniquam oraturos. Quos ſi hanc fidem fefelliſſe conſtiterit, aut clientem prævaricatione læſiſſe, præter infamiam genus ſupplicii excipiat, cujus timor apud paria auſuros pluſquam omnes dii poſſint. Illud præterea utiliſſimâ lege cavendum eſt, ne quid à clientibus Patroni accipiant, priuſquam lis finem ſortita ſit. Qui vincetur, aut nihil, aut non multò amplius, quod & lege defilies, patrono debebit; & jam inde ab litis principio accedet tantillæ ſolutionis fidejuſſor, ne operæ merces aliâ lite quærenda ſit. Is verò cui ſucceſſerit, advocationis diligentiam rependat tanto auro, quantum Judices ipſi in laboris mercedem accipiunt. Sed ſanctum ſit, ne quis dum adhuc litigatur, intempeſtivis muneribus peccet in legem. Cauſa, ſi quis cliens dederit, cadat: accipienti patrono imperetur à foro exilium. Delatori ea ſint præmia quæ vel domeſticorum fidem ſolicitent. Faxo patroni moras oderint; & contentiores ad metam, dum ſibi ſic ſtudebunt, aliis proſint.

Parum eſt, niſi præterea edices (ſed hoc graviter, nec ut ſolemus, terroris mox evaneſcentis imagine) ne ulla lis ultra ſex menſes apud Judices hæreat; niſi ſi teſtes extra provinciam arceſſendi ſunt: tunc enim vel tempus geminari non abnuam. Non ferent hanc vocem aſſueti lentiſſima propinare remedia, & indignatione pleniſſimi negabunt tot cauſarum acervos ſemeſtri juriſdictione degeri

 poſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

poſſe. Ab iis igitur quæram, an in annos cumulus litium creſcat in foro; an verò de veteribus abſolvant penè ad ſcaturientium numerum. Si creſcunt; quid iis tandem fiet; quo ſatis oſtio evolvemus tot annorum incrementa? Abjiciendæ mehercule erunt, aut uno agmine non ex æquo finiendæ, ſed ſortibus. Sin penè ad naſcentium numerum jam adultas emittunt; nihil magis exigimus; convenimus de numero; ſatis inquam ut quot annus feret lites, tot audiantur judicia. Sin objicient religioſam difficultatem veri quærendi, quæ aliquot interdum annis indigeat; nihilo erit excuſatio illa fœlicior. Nam implicatæ ſcilicet cauſæ ſunt; vos ipſi, vos, Judices, eas implicuiſtis. Reſpicite in majores. Celeriora quàm præſcribimus judicia erant: & tamen æquiſſimos fuiſſe non abnuas, cùm ab illis conditas leges ut plurimum colamus. Labentibus ſeculis, ſpecie æqui, in reorum auxilium inventa ſunt ea, quibus denique ſimplicitas legum occubuit. Fruſtrationes, reſcripta, & quæ ſemel conſtitui poterant velut religioſo ordine in varios dies dilata. Hæc verò quia Judicibus & Patronis ad lucrum ſunt, jam neglecto reorum commodo tam ſanctè obſervantur; quaſi judiciis cives, non hæc illis inventa ſint. Ex iſtis reſecate, quod juſti temporis menſuram exceſſerit. Nam & ſex menſium ſtudium ac diligentiam nulla cauſa effugiet; & ſi exacto ſpatio adhuc deliberabitis? at tanti eſt à tribunali diſcedere. Nec ſcrupuloſitas nimii juris cunctationem injiciat. Ex animi veſtri ſententiâ, quod tunc liquebit decernite. Quandoquidem & ſæpè poſt annos & luſtra, haud minùs turbidè vel iniquè ſtatuitis. Adeo non tempore, ſed diligentiâ, veritas conſtat.

Meleander dicentis manum corripuit; & hilari vultu; quò te, inquit, hic æſtus, magne Antiſtes, qui abſentibus loquaris? niſi me fortè in Judicum numerum refers; aut ſub alienâ invidiâ me mones. Audio enim & quibus res in Aulâ eſt, queri lenta illic eſſe conſilia; excuſavit Ibbur-

ranes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ranes dicendi fervorem, curâ publici commodi concitatum. Sed fortaſſe Judices (inquit) transferre in cauſarum Patronos invidiam volent. Siquidem illos eſſe, qui cunctantur, nunc directâ, nunc in obliquo morâ; & animos Quæſitorum diverſiſſimâ ambage impediunt. Quaſi verò qui advocationis munere funguntur, ita peccare niſi ex conſenſu Judicum poſſint. Hi rem poſtulant differri. Iſti annuunt. Utrorum majus eſt vitium? Equidem cenſeo eſſe illorum, qui cùm poſſint hæc mala prohibere non faciunt. Neque enim ſic tergiverſari, remque differre, & in ſuperfluis morari auderet Patronus, qui neſciret ejuſmodi artem quotidianam eſſe, & aſſenſu Judicum ratam. Neget Prætor inducias; omnes litis articulos intra ſex menſium ſpatia includat; imparatos habeat pro convictis; jam Cauſidici deſinent ab hac fraude, neque jura clientium improbâ dilatione confici ferent.

Si hæc tamen omnia Judicum animos non movebunt, ſi mihi reclamabunt, ſi fidem, & labores, & diſciplinam ſuam jactantes, hac paucorum menſium brevitate ſe ultra fas premi querentur; te miſericordem eſſe non veto. Jube quicquid negotii oneratis ſuperfluet, dividant in peritos. Sunt in cauſarum Patronis conſultiſſimi multi; ad hos litigantium quos placebit rejiciant. Seu per ſe, ſeu per alios judicent, è republica facturos; modò præter imperatum ſpatium clientes non pendeant. Videbis illicò refectas illis vires. Non committent ut lucri & poteſtatis pars in alios emanet. Plura tunc negotia ingere; ſoli iſti, modò tam delicatè de laboribus feſſi, ſufficient; præſertim ſi, ut oportet, hanc legem grandi mulctâ ſanciveris.

Sed quid, inquies, veteribus cauſis fiet, quæ in tribunalibus multos annos jam perennant? Certè enim his ſimul, & cæteris quæ in dies deferuntur, hic annus non ſufficit. In hanc rem illi qui judicia exercent etiam ingratiis collegas accipiant, quot purgando foro ſat erunt. Non ultra ſex menſes poteſtas ſit. Vacua deinde ab ſitu antiquo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tribunalia, non plùs anno ultionem noxiorum differant, queſtumve læſorum.

CAPUT XVII.

ARGUMENTUM.

Ad natalitiorum Argenidis anniverſarium diem ex tóta Sicilia concurritur. Ad hunc commendandum Radirobanes, certius dicam, ad finem ſuum aſſequendum regia pompa dignis impenſis non parcit. Tripudio argumentum dabit erciſcundum Saturni Imperium.

ÆQUA ſentire Ibburranes videbatur. Quia tamen ægra corpora nimio medicamenti conatu percelli, exitiale interdum eſt; Rex tantæ ſalutis novitatem diſtulit, donec poſſent vocari magiſtratus, & tanquam conſentientibus leges dici. Nam nec illis oportebat reverentiam ad populum perire; quod utique metuendum ſi in tumultuariâ ſanctione magis pœnæ, & vindictæ, quàm futuræ utilitatis ſpecies fuiſſet. Cætera igitur quæ populus petierat, repræſentari confluentibus ad natalem Argenidis juſſit; ſolam judiciorum ordinationem promitti; & cura concipiendi ſanctiones data Cleobulo.

Jamque non ex civitatibus modò Oratores convenerant, ſed adeò omnis generis mortales implebant Epeirčten, ut Radirobanes cogitati ſceleris curis incubans, interdum vereretur ne inter tot Siculos rapi Argenis non poſſet; interdum in confuſo & incondito vulgo cogitaret Meleandri comitatum, ægriùs ad opem coiturum. Non operæ interim, non pecuniæ parcebatur, quò inſtitutam ſaltationem exornaret; nam & ſibi conciliare elegantiæ famam quærebat, & offenſæ quam moliebatur atrocitatem ejuſmodi apud populum favore minuere. Pridie ergo natalis Argenidis deſtinato ſpectaculo aula fuit apud Meleandrum ampliſſima. Cœnâ maturè exhibitâ, illuc ex Sardis Siculiſque frequentes conveniunt. Non lictores, non armati, ad fores aditusque diſpoſiti, ſatis ſubmove-

bant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

bant immodicos, ut in pompæ regiæ parte eſſet ipſe tumultus, læſorumque, & repellentium clamor. Ipſe Meleander, ad fores proceſſit, quando cuſtodum & lictorum poteſtas non valebat, oravitque regio vultu, ne confuſum ſpectaculum, ſeque offenſum vellent. Archombrotus lateri proximus erat; cui abſcedens mandavit, ut admiſſis qui ſpectare commodè poſſent, cæteros ſui reverentia arceret. At ille Radirobani quaquà nocere pium exiſtimans, turbare tripudii mimum aggreſſus eſt, quem is tantopere curabat; & tanquam populi impetum non ferens, prodidit fores ſubitâ multitudine obrutas, ut ſtipatis corporibus nec ipſi ſe caperent; cumque excandeſceret Meleander, tamen à calentibus non audiebatur, donec populum ipſa libertate mitigatum ſui puduit: maximè poſtquam indignatus Rex per portam ſolio proximam viſus eſt ſeſe proripere. At Eurymedes atrocia ingerebat paulatim ſtupentibus; Archombroto tacitè ſibi plaudente, quòd ferretur Radirobanes eo tumultu adeò accenſus, ut projectis ornamentis juberet diripi machinas, quæ pendebant, choream demiſſuræ ab aëre.

Tandem Eurymedis operâ liber à populo locus Meleandrum cum Argenide recepit; & in exordium ſcenæ, quatuor Satyri aulæo digreſſi, cùm breviter & inconditè ſaltaſſent, ejuſmodi Epigramma, tanquam argumentum ſpectaculi, ad Regem atque Argenidem delatum, mox ſparſerunt in populo:

[1] Quæ benè Saturno ſteterat Natura ſub uno,
Spargitur in partes, [2] exectaque robora luget
In plures heu! lapſa deos. Hinc Juppiter inſtat;
[3] Germanos hinc ira tenet. Quæ pugna? quis ardor?
Sic fratres certare decet? Sic regna petuntur?

Ah

1 *Quæ benè Saturno ſteterat natura.*] Hoc tripudio, diviſio imperii Saturni exprimitur.

2 *Exectaque robora luget In plures, heu! lapſa Deos.*] Vis enim unita fortior eſt ſeipſa diſperſa.

3 *Germanos.*] Neptunum & Plutonem.

1 *Repe-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Ah potius [1] *revocate ſenem, ſceptrumque parenti*
Reddite. Privatos melior concordia junget.
Sed pacem Fortuna dabit. [2] *Venit illa, globoque*
Fluctuat, alternans dubiâ veſtigia mente.
Hæc in ſydeream mittit te Juppiter aulam,
Et tibi cæruleæ dat regna, [3] *Tridentifer undæ;*
Plutoni tenebras, & [4] *opacum manibus orbem.*
Hæ leges placuere deis. hoc fœdere mundus
Gaudet. en ut fervent lætantum miſta deorum
Agmina & incertam fidibus rexere choream;
Dî Superi, Dî cæruleo qui piſce per undas
Ponè natant, & quos nigris humus abdidit umbris.
Hos inter nullæ tantarum ad gaudia rerum
[5] *Huc venere deæ; ſive illæ lucida ſervant*
Sydera, ſive alios exercent litibus Orbes.
At vos [6] *Sicaniæ paulum ſuccedite Nymphæ,*
Atque exultantum choream miſcete deorum.
Præcipuè [7] *Siculis tu Virgo debita ſceptris,*
[8] *Junge Jovi dextram, pedibuſque ad carmina pulſis*
Fac ſciat eſſe aliquid melius Jove. [9] *Præferat ille*
Sicaniam cœlo, teque ô Regina, Sorori.

Interim præludentibus tubis, flamma imitatione fulguris per effictarum nubium volumina ibat. Tum cœli effigies, quam ſummo tabulato admoverant, cœpit moveri, ſenſimque delapſa eſt; & tria clauſtra aperuit, in quibus cryſtallinæ ſtellæ per ſuppoſitas faces micabant, aurumque

1 *Revocate ſenem.*] Saturnum.

2 *Venit illa, globoque fluctuat.*] Sic Fortunam depingunt Antiqui propter inconſtantiam.

3 *Tridentifer.*] Neptunus.

4 *Opacum manibus orbem.*] Inferos, populoſius regnum.

5 *Huc venere Deæ, nec illæ lucida ſervant Sydera, ſive alios exercent litibus orbes.*] Sive Cœleſtes, ſive Inferæ, quales ſunt furiæ, quæ utrumque orbem, homines & Manes exercent litibus, id eſt, incendunt furoribus.

6 *Sicaniæ Nymphæ.*] Siciliæ virgines. Sicelides.

7 *Siculis Virgo debita ſceptris.*] Argenis.

8 *Junge Jovi dextram.*] Radirobani, ſcilicet in fœdus nuptiarum, nam ille in habitu Jovis ſaltabat.

9 *Præferat ille Sicaniam cœlo, teque ô Regina Sorori.*] Jupiter Siciliam Cœlo & te ô Argenis uxori, ſed prius ſorori præponat.

que & purpuram incendebant ſuo fulgore. In trium cellarum mediâ ſedebat Jupiter; aliæ Neptunum & Plutonem ferebant. Circa illos, tanquam miniſtrorum turba, multi Cupidines; quibus cincinni crines, breviſque perſona: pendebat ab humero arcus; & dextrâ vibrante, [1] duo diverſæ cuſpidis & effectus tela geſtabant. [2] Hi cum dominis habili ſaltu in pavimentum tapetibus ſtratum delati, percurrerunt aream ſaltatione leviſſimâ. Juppiter interim ducente modulorum tenore ad fratres accedebat. Mox tanquam non conveniret diſceptantibus, ſimul nutu ſaltuque idoneo ferebantur in diverſa. Cùm hoc iterum, tertioque feciſſent, ſubitò dea Fortuna comparuit, globo inſidens, quem etiam ad cantum movebat. Et regnorum inſignia, de quibus dii certabant, in ſuccinctâ veſte occulens, venire illos juſſit. Illi fidibus pedes regentibus parebant. Manus ergo ad ſortem demiſere. Juppiter in eo fortunæ ſinu [3] fulmen invenit triſulcum ex auro, tridentem Neptunus. Pluto ad cuſpidem inferorum contabuit. Subitò alia nubes, Jovi, tanquam Regi Superorum, eminentiſſimos deorum cœleſtium devexit, Martem, Apollinem, Mercurium. Neque mora, fervebat in medio diſparibus fluctibus mare, quod de muſco & conchis ſcopulum habebat; unde [4] Proteus, Triton, & Glaucus ad ſuum Neptunum deſiluere; cœtu interim muſico ita tremulas & patulas voces adgubernante, ut ad murmur pelagi quadam imitatione deſcenderent. Vix Neptunus illos agnoverat; cùm ab alia parte obſcura amœnitas

1 *Duo diverſæ cuſpidis & effectus tela geſtabant*] Ovid. l. 1. Metam.

Deque ſagittifera prompſit duo tela, pharetra,
Diverſorum operum, fugat hoc, facit illud amorem:
Quod facit auratum eſt, & cuſpide fulget acuta,
Quod fugat obtuſum eſt, & habet ſub arundine plumbum.

2 *Hi cum dominis.*] Neptuno & Plutone.

3 *Fulmen invenit triſculcum, &c.*] Inſignia Jovis, Neptuni, Plutonis.

4 *Proteus, Triton & Glaucus.*] Dii marini, quorum primus in varias formas ſe commutat. Secundus Neptuni tibicen dicitur. Tertius vi graminis, quod deguſtaverat, mutatus eſt in Deum marinum.

1 *Refe-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

nitas (nam [1] referebat Elyſios campos) [2] Minoëm, Æacum, Rhadamantum, [3] novæ luci attonitos dedit. Quorum admonitu opulentiſſimus Pluto, non diutiùs ſui imperii vires deſpexit. Veſtis Cœleſtibus diis ex purpurâ, Maritimis cærulea erat; & Inferos ferrugo venerabili horrore incinxerat. Suus præterea cuique ornatus. Radii circum Apollinem micabant: Mars in purpurâ intexuerat belli imagines, & ferrum habebat in manu. Pileus, & [4] alæ in talis, deſignabant Mercurium; [5] caduceuſque, & ſoporis potens virga. At Triton buccinam tortilem lateri ſuſpenderat; Proteo duplex, & diſſimilis vultus, arguebat mutationis ingenium; Glaucuſque talem barbam promiſerat, in quali eum [6] efficax gramen prope Anthedonem deprehendit. [7] Minos in pallâ numerabat centum urbes.

1 *Referebat Elyſios campos.*] Dictos ἀπὸ τῆς λύσεως, à ſolutione, nam animæ poſt ſolutionem vinculi corporei illuc deveniunt. Is locus amœniſſimus fingitur, ab aliis in centro terræ, ab aliis juxta lunarem circulum, ab aliis & potiſſimum à Plutarch. & Homer. in inſulis Britann.

2 *Minoëm, Æacum, Rhadamanthum.*] Reges, qui propter ſuam in judicando ſeveritatem, Judices inferorum dicti ſunt.

3 *Novæ luci attonitos.*] Quippe tenebris inferni aſſuetos.

4 *Alæ in talis.*] Superius dictum eſt, Mercurium depingi ſolitum eſſe cum alis in capite & pedibus, quod nuntius Deorum diceretur. Ovid. Metam. 1. & infra.

5 *Caduceus, & ſoporis potens virga.*] Hæc Mercurii virga, quam ut ait Macrobius 1. Sat. c. 19. Ægyptii in ſpecie Draconum maris & fœminæ conjunctorum figuraverant, Mercurio conſecrandam; hi dracones parte media voluminis ſui invicem nodo, quem vocant Herculis, obligantur, primæque partes eorum reflexæ in circulum preſſis oculis ambitum circuli jungunt, & poſtmodum caudæ revocantur ad capulum caducei, ornaturque alis ex eadem capuli parte naſcentibus. Ut Poëta ait;

Aurea cui torto virga Dracone viret.

Hâc virgâ Mercurius fingitur educere umbras ex Orco, & in Orcum trudere, ſomnum conciliare & adimere. Ovid. 1. Metam.

Parva mora eſt, alas pedibus virgamque potenti
Somniferam ſumpſiſſe manu, tegmenque capillis
Languida permulcens medicata lumina virga, &c.

Iterum Virgil. l. 4.

Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

6 *Efficax gramen prope Anthedonem, &c.*] Bœotiæ urbs, eſt, juxta quam Glaucus in aquas præcipitatus eſt, & in Deum maris commutatus virtute graminis. Ovid. l. 7. Metam

Carpſit & Euboica vivax Anthedone gramen,
Nondum vulgatum mutato corpore Glauci.

Et l. 13.

Nuper in Euboica verſis Anthedone membris
Glaucus adeſt.

7 *Minos in pallâ numerabat centum urbes.*]

urbes. [1] Veſtem Æaci quercus implebat, atque formicæ; hæ jam vultibus humanis erectæ; aliæ nondum crura poſuerant. [2] Rhadamanthus ſuæ Lyciæ Chimæram vivis coloribus gerebat expreſſam; utque probaret ſe monſtris & vitiis iratum, [3] eam Bellerophon Pegaſo à Minerva domito inſidens debellabat.

In hoc quiſque amictu convenientibus modis ſaltavit, dii quidem cœleſtes hilariùs, Proceres maris paulò agreſtius promovebantur, & deſcendentem ab inguine piſcem interdum colligebant, rurſuſque jubebant in ſolo palpitare ad numeros. At Umbrarum Numinibus veſtigia erant non abhorrentia à frontium rugis. Inter indignantium & iratorum ſeveras ſpecies, tamen ſaltabant. Tam diſpar diverſiſſimorum deorum diſciplina, eodem muſices concentu regebatur. Nunc ſecernebant agmina; nunc mixturâ, & illâ variante, implicabantur; ſæpe in Orbem flexi, ſæpè aream recto curſu ſecantes. Nunc choream manibus nexam aſpiceres, nunc ſolos, nunc in paria diſtinctos totius corporis feſtinante obſequio ad fidium præſcriptum mutari. Tandem conſumpto ſchemate omni, Radirobanes quem Jovis tegebat effigies, ad Argenidem venit.

urbes.] Quibus imperabat in Creta inſula, quæ dicta eſt olim ἑκατόμπολις, id eſt, centum urbium. Vide Ovid. Metam. lib. 8. Hodie vulgo *la Candie*, quæ in Venetorum ditionem ſeceſſit. Nunc autem una urbe excepta in totum excidit, & eſt Turcicæ poteſtatis.

1 *Veſtem Æaci quercus implebat atque formicæ.*] Æacus Ænoni vel Ænopiæ Rex, poſt enecatos peſte populos, fuſis ad Jovem patrem precibus optavit, ut formicæ, quibus formicabat antiqua quercus, mutarentur in populos, quod annuente Jove, voto reſpondit: unde Mirmidones, Ovid. 7. Metam.

2 *Rhadamanthus ſuæ Lyciæ Chimæram vivis coloribus gerebat expreſſam.* Is imperabat in provincia Lycia, ubi celebris illa Chimæra, cujus

Prima leo, poſtrema draco, media ipſa
capella.

3 *Eam Bellerophon Pegaſo inſidens debellabat.*] Is Glauci Regis Ephyræ filius ad interimendam Chimæram miſſus eſt, quem laborem, nactus Pegaſum equum Neptuni beneficio, ſumma cum laude ſuperavit. Homer. 6. Iliad. & Horat.

Et exemplum grave præbet ales
Pegaſeus terrenum equitem gravatus
Bellerophontem.

Pegaſus autem equus bellator eſt, qui è capite Meduſæ truncato exiliit, percuſſoque ungula ſaxo Heliconem prætervolans fontem aperuit: hunc Minerva, Perſeus, Bellerophon domuiſſe feruntur.

1 *Pluto*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

venit. Illa ſequuta invitantem venuſtâ majeſtate ſe intulit in Choream. Cùm deinde præcipuæ Matronarum virginumque ſaltaviſſent, duodecim dii novo tripudio epilogum dedere. Poſt hæc abſcedunt in diverſa. Ferebatur in cœlum Jupiter, fluctibus Neptunus ſe abdidit; [1] Pluto in campos retrò non pervios, facibus viam monſtrantibus, deſcendit. Simul his, tenuiſſimus imber totâ aulâ conſpergebat mirantes, odoratis undique ſuccis per nubium quæ illlic pendebant vellera ſenſim manantibus.

CAPUT XVIII.

ARGUMENTUM.

Mimicam Choreiam medicati ſulphure ignes, ſub ipſis aquis viventes ſequentur. Radirobanis imperio, armis nemo non ſuccinctus adeſt. Iamque raptui filiæ atque patris Radirobanes proximus eſt, cum doli exploduntur.

LAUDAVERE plerique ingenium regiæ & ſumptuoſæ voluptatis; attollebant alii Radirobanis opes, alii comitatem; at ille aviditate flagitii quod parabat, quietis impatiens, malè exactâ nocte, ſub auroram ad portum deſcendit, inſpexitque triremem, cujus in altum provehendæ ſpecie, Regem atque Argenidem trahebat ad littus. Inde in eam arenæ partem divertit; quâ regium prandium ipſo jubente parabatur. Ingentia tentoria junxerant defoſſis ſtipitibus vinculiſque firmata, & nexili ſtramento opertum ſabulum latebat. Addiderant cultus agreſtes, cæſis arborum ramis, & ederâ per coronas, nomenque Argenidis, & varia hominum ferarumque ſimulachra, induente utrumque triclinii latus; ſupraque lectulum, ex quo pranſura virgo erat, laureata tabula iſtos verſus ferebat:

O Dea,

1 *Pluto in campos retrò non pervios.*] De his Virg. 6. Æneid
——*Facilis deſcenſus Averni.*
Sed revocare gradum ſuperaſque evadere ad auras,
Hoc opus, hìc labor eſt.

[1] O Dea, cui primæ ceßiſſet ſydere formæ,
Et Venus, & conjux non indignata tonantis,
[2] Quæque ſuæ ramis galeam veſtivit olivæ;
Has paulum dignare domos, hæc frondea mitis
Sylvarum ſimulachra ſubi. [3] Sic Delia poſtquam
Egit inauratos fraterno lumine currus,
Mox nemorum ſecreta petit; [4] ſic Marte peracto
Pallas, ubi emeritam caſtis vocat hoſtia menſis;
Dißimulat facilis numen dea, ſeque precanti
Addit, & arcanis cumulat convivia donis.
[5] Nympha veni, glaucoſque [6] tui de littore ponti
[7] Ure deos. [8] Placidis medium te tollet ab undis
Cæruleus genitor: Mox & ſuſpiria læſus
Ducet, & ingentem poterit contemnere Tethyn.

Meleander illo mane, poſtea quàm diis fecit, delectos civitatum advocans, quantum iis indulſiſſet, oſtendit; figique in foro, & per oppida dimitti præcepit ea edicta quæ Cleobulus deſcripſerat; curam quoque de litibus, quæ confeſtim caſtigari non poterant, ſibi præcipuam fore aſſeruit. Quibus ſubitò evulgatis, populus & ſuâ & diei lætitiâ fervens, euntes ad Radirobanis tentoria principes ingente acclamatione ſequutus eſt. Radirobanes venientem

1 *O Dea, cui primæ ceßiſſet, &c.*] O Argenis, quæ forma ſuperas & Junonem, & Palladem, & Venerem ipſam, quæ pulchritudinis præmium retulit malum aureum.

2 *Quæque ſuæ ramis galeam, &c.*] Pallas, cui ſacra oliva eſt, quod ab eadem ex terra eſt educta. Oliva nobis propter fructus eſt gratior. Phæd. ut ante.

3 *Sic Delia poſtquam Egit inauratos fraterno lumine currus.*] Comparat Argenidem Lunæ, quæ abſoluto ſuo curſu dicitur deliteſcere in Sylvis, quæ ipſi ſunt ſacræ. Delia dicitur ab inſula Delo, in qua Latona uno partu Apollinem, & Dianam luci dedit.

4 *Sic Marte peracto Pallas, ubi emeritum caſtis vocat hoſtia menſis.*] Senſus: Pallas defuncta bellis, ubi evocatur ad ſacra virginum, *emerita*, id eſt, poſt prælia, ſuam ſolet divinitatem tegere, & choro ſe adjungere ſupplicantium, donis quoque cumulans Aras, quaſi una de grege.

5 *Nympha veni.*] Argenis.

6 *Tui de littore ponti.*] Siculi maris.

7 *Ure Deos.*] Incende amore tuæ formæ.

8 *Placidis medium te tollet ab undis Cæruleus genitor.*] Oceanus, Nympharum pater, caput aquis exerens te conſpecto ardebit amore tui, teque præferet Thetidi, quæ ingens dicitur, quia aquis terram ambit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tem Argenidem tanquam certiſſimam prædam aſpiciens, aliaque quàm credebatur lætitiâ exultans, longum prandii ordinem quæſitiſſimâ comitate explicuit. Quatuor ad noctem horæ reſtabant, cùm remotis epulis ſurgunt ad navis ſpectaculum. Tubæ paſſim ac tympana exaudiebantur in littore; & in trium malorum verticibus ex verſicolore carbaſo tæniæ pendebant, omnibus ventis commodâ levitate obnoxiæ. Tabulatum nautis & militibus plenum; ac ſi triumpho vel prœlio ſubveheretur. Populum non capiebat arena, non ſcaphæ, diverſiſſimo clamore frementem, quoties procedere opus tubæ monuerant.

Ex compoſito factum, ut tardiſſimè navis portu emitteretur. Sed adhuc Radirobanes tenebat Meleandrum, expectatione ignium, quos non procul à littore promittebat tribus in ſcaphis, totaque circùm undâ. Recens inventum, quia nondum emanaverat ad multos, trahebat ſui novitate audientes. In hanc ergo ſpem ipſe reducit in tentorium ſuum Meleandrum atque Argenidem; & quid viſuri ſint, pluribus docet; piſcium in aquis ſpecies prompturas de faucibus flammam, quam demiſſa in aquam capita non obruerent. Obſeſſas hiſce piſcibus ſcaphas iri protectum ab igneis ſimulachris, quorum conti nunquam fervidiùs arderent quàm ſub undâ. Hæc narrantem interdum vicini facinoris cura trahebat, relictoque Meleandro, Virtiganem, & cæteros ex conſciis monebat, ne aut ſegni aut præcipiti operâ ſuam ſpem fruſtrarentur. Centum lampades erant, toto tentorio diſpoſitæ, ex quo Reges ſpectaturi conſederant. Has ſimul ſigno dato extingui convenerat (nam ex pauciſſimis pendebant funalibus) & Argenidem atque Regem corripi, deferrique in ſcapham. Proceres Sardi ac milites, quamquam plerunque ignari conſilii, ſenſim acciti illic erant & ſecretò juſſi obire quicquid Virtiganes mandaviſſet. Ille quamquam invitus cum duobus conſciis purpuratis creditum ſibi ſcelus curabat.

Tam

Tam propinquo exitio penè fidem ſuperat eripi potuiſſe Siciliam. Sed ſæpè divinitatis opera hæc ſunt, ut furias in ipſo jam ſucceſſu ſecuras ſubita ultio excipiat: ne vel unquam improbis timor, vel ſpes abſit calamitoſæ virtuti. Fortè Archombrotus, cum cæteri triremem in undas euntem contemplarentur, hoc ſpectaculum non dignatus, haud procul ſpatiabatur in arenâ. Erat Sardorum linguæ non expers; quamquam in eum diem diſſimulaverat. Miles quidam ex ſatellitibus Radirobanis, à Virtigane recèns digreſſus, obvium contubernalem cùm vidiſſet ſine armis vagari in littore: an tibi ſoli commilito, inquit, licet, ſine lanceâ gladioque hodie conſpici? cumque ille negaret, ſe ullum de armis præceptum accepiſſe; ambo occurrentibus aliis miſti nihil deinde loquuti ſunt quod Archombrotus capere poſſet. Sed miratus, quid opus, hos Sardos in pace & inter convivia armari tanquam obambulans ſpeculatus eſt omnium habitum; nec quemquam in iis invenit exermem Hi præter gladium haſtam, illi jacula habebant, multi [1] pilis Italicis onerabantur. Paucis tamen, & tanquam ex Regiæ cuſtodiæ ſtatione, aut galea erat, aut clypeus; ne nimio apparatu proderentur inſidiæ. Suſpecta hæc erant & formidoloſa Archombroto jam ſponte à Sardis averſo, Nec ſine numine fuit quòd graviùs quàm pro tantillo indicio expavit. Nam hæc arma apud incurioſum aliquem, militaris conſuetudo excuſaviſſet. At ipſe, ſeu quia amabat Argenidem, ſeu quòd optabat Radirobanem peccaſſe; hei mihi, inquit: an toties repudiatus amator vim parat? & Meleandrum avehere cogitant, ſcilicet Argenide non contenti? Nam cur tanto ambitu ad maris littus deducti ſunt? Cur hîc noctem rogantur expectare? Subito horrore concuſſus, aptiora conjurationis indicia capturum ſe non putavit, quàm ex Virtiganis fratre. Morbo penè confectus dies jam

1 *Pilis Italicis.*] Jaculis Romanorum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

jam compluſculos jacebat. Nec veriſimile erat, ſi quid Sardi moliebantur, hunc in oppido relictum, & in captivitatem proditum eſſe. Sudans ergo Epeircten conſcendit; cumque obiret Palatii partem deſtinatam hoſpitibus, commodùm Radirobanis libertum aſpexit, qui cubiculi regii cuſtodiam habebat. Libachnes appellabatur. Hunc ergo diſceſſurum, & clavibus oſtium jungentem, ſubito conſilio Archombrotus interpellat. Cupere ſe quiddam in illo cubiculo, ſi liberto vacaret, inſpicere. Ille & Archombroti dignitatem reveritus; & quòd de patroni ſcelere nihil ſciebat, non dubitavit reſerare cubiculum. Meminerat Archombrotus, cùm bis Meleandrum ad Radirobanem comitaretur, vidiſſe ſe non longè à pulvino ſupra admotam menſam, pulcherrimi operis thecam, ex ebeno variatam & ebore; vermiculati quoque argenti laminis, in articulis & oris cælatam. Illic precioſiſſima gemmarum audierat recondi, & quicquid literarum tutiori ſecreto indigebat. Ergo, tanquam aliud agens, contemplatur vacuam menſam, fruſtraque toto cubiculo oculis thecam veſtigat. Quod ne facere videretur, facili commento libertum deludit. Gemina ad aulæum tabula pendebat, utraque Radirobani eximia. In unâ, [1] Radirobanis patri aquila, tanquam de ſyderibus labens, [2] coronam imponebat. Alia Apollinis erat liqueſcentem jam Marſyam ulciſcentis. In iis, ac ſi veniſſet inſpecturus, avidè hæſit. Nam & relictæ illic erant; [3] nec quicquam ex penu aut ſpecie,

1 *Radirobanis patri aquila coronam imponebat.*] Omen imperii, quale Tarquinio Priſco; eſt enim Aquila inſigne Imperatoris.

2 *Apollinis liqueſcentem jam Marſyam ulciſcentis.*] Ovid Satyrum fuiſſe author eſt, qui auſus eſt Apollinem ad certamen provocare; hunc Apollo victum & excoriatum in amnem mutavit ſui nominis, 6. Metam.

Clamanti cutis eſt ſummos delapſa per artus,
Nec quicquam niſi vulnus erat, cruor undique manat:
Marſya nomen habet Phrygiæ liquidiſſimus amnis.

Elegantiſſimè Marſyæ & Apollinis certamen deſcribit Apul. l. 1.

3 *Nec quicquam, præter thecam, cubiculum amiſerat.*] Quam ſcilicet Radirobanes ut pretioſiſſimum theſaurum jam abſtulerat, quod argumentum Archombroto fuit imminentis fugæ.

1 *Sali.*]

ſpecie, præter thecam cubiculum amiſerat.

Igitur augurio animi, & ſuſpicione creſcente, Archombrotus Libachanem reliquit, & ad Virtiganem tendens, non habuit qui aperiret; ut ſatis ex ſolitudine conſtaret, ægrum ipſius fratrem abeſſe. Et hunc quidem, tanquam conſulentibus medicis petere ex [1] ſali jactatione remedium, primo mane ad naves lecticâ detulerant. Timuit Archombrotus, ne religioſe omnia explorantem nox & inſidiæ præverterent. Duos itaque [2] Centuriones vocat ex iis qui in præſidio arcis erant (nam cæterorum ſparſos milites quæ tam ſubitò diligentia collegiſſet?) ſimulanſque à Meleandro miſſum; ite, inquit, ad milites veſtros: confeſtimque, nec tumultuariè tamen, eos ad littus educite. Manipulatim dimiſſi conveniant propè tentorium Radirobanis. Enſis iis, & haſta ſuffecerint, ne ſi graviùs armati conſpiciantur, ſermonibus materiam præbeant. Prior adero in arenâ; & obiter, quicquid Rex juſſerit, ad vos feram. Ite vero, & diligentem operam Regi præſtate.

CAPUT XIX.

ARGUMENTUM.

Apertis dolis Archombrotus & Eurymedes Regem Meleandrum admonent, & de vi declinanda cum eo decernunt. Argenis in primis morbum ſubito obtendens reditum maturandum cenſet. Obnititur Radirobanes: & technas ſuas deprehenſas intelligens violentus furit.

HIs ocyùs ad juſſa digreſſis, redibat ad littus Archombrotus, cum non procul tentorio Radirobanis in Eurymedem incidit; vultuque turbato, Quàm vereor, ait, ne in Lycogenem alium nos fortuna retulerit. Tum ſtrictim enumerat conjurationis indicia, in quæ inciderat; precio-

1 *Sali.*] Maris, quod ſalſum eſt.

2 *Centuriones.*] Centurio dicitur, qui centum peditibus præeſt, in exercitu miles Centurioni, Centurio Tribuno, Tribunus Legato, Legatus Conſuli obediebat, ſed ſeorſum Magiſter equitum ſoli Dictatori.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

precioſiſſima abvecta ex privato Radirobanis inſtrumento; Virtiganis fratrem, quamquam ægrum, abiiſſe; neminem Sardorum conſpici ſine armis. Neque Eurymedes eum omnia proloqui paſſus, gaudere ſe retulit, quòd Archombrotus eadem ſecum ſentiret. Jamdiu ſe illâ ſuſpicione prehenſum, perculſumque ad conſpectum Sardorum, qui per cuneos non ſine conſilio circa tentorium errabant. Poſt hæc vero quæ Archombrotus detulerat, nihil ſe dubitare de ſcelere. [1] Quis iſte Pirithous nobis? aut quis huic Theſeus rapiendi nuptias fecit audaciam? ſed arte utendum eſt, ut ſe eripi patiatur Meleander ab hac peſte. Adeò cavet Radirobanem offendere, ut vilis ſit ſibi. Vade prior, Archombrote. Cùm illum moveris magnitudine periculi, adero ſtrenuè, indiciumque, & terrores geminabo. Milites interim qui proximâ nocte excubituri ſunt, non hinc procul in procinctu conſtituam. Fortè fuit ut cùm Archombrotus pervenit ad Reges, Argenidi loqueretur Radirobanes, vacaretque Meleander; ad quem ille demiſſe: vultum, inquit, fingo, Rex, diſparem rebus quas affero: ſcilicet ne illi qui te circumſtant parricidæ, ſentiant te moneri. Cæterùm omnis hæc pompa, tibi, tanquam victimæ, ornata eſt; quem unà cum filiâ avehere, Radirobani conſtitutum intelligo. Eo conſilio promiſſa ſpectacula trahit in ſerum, donec veſpera ſe tumultui furtoque aptaverit. Cùm referret in eam rem argumenta, ſupervenit Eurymedes; adeoque complevit formidine Regem, ut labantibus articulis incertus, illos rogaret, ad tam ſubitum malum quid conſilii haberent. Conſtabat nihil aliud ſupereſſe, quàm aut ſtatim fugere nondum maturas inſidias, aut ſe illic ſubſidio armatorum tueri. Sed omnino potior fuga erat. Neque enim

tot

1 *Quis iſte Pirithous nobis, aut quis huic Theſeus rapiendi nuptias fecit audaciam.*] Hi ambo aggreſſi ſunt Proſerpinam Plutoni rapere; Sed alter à Cerbero interfectus eſt, alter detentus in vinculis Ditis, tandem ab Hercule vindicatus. Senec. in Hercule furente.

2 *Cœlum*

tot ſubitò milites cogi ſine profeſſione ſuſpicionis poterant; ut magis incipere injuriam timendo viderentur, quàm repellere. Quid præterea in periculum mitteretur Meleander, quid Argenis? cùm præſertim flagitii ſeries atque modus adhuc lateret; & Sardi fortaſſe aliquâ ſolertiâ nocturnum facinus ita ordinaviſſent, ut non poſſet tumultuario certamine refelli. Placidè, inquit Rex, & tanquam obambulans tentorio digrediar: ſequi Radirobanem hortabor, ſimulque Argenidem; quam tu in viâ, Eurymedes, mone, ut cùm inter noſtros fuerimus, acrem morbum ſubitò fingat. Excuſabilis erit diſcedentis occaſio, & ægram tanquam ſolicitus comitabor. Sub hæc verba in Radirobanem & Argenidem inſpexit, &, optimam veſperam perdimus, ait. Ire ſatius ad liberum [1] cœlum, & jam ſole dimiſſo intepeſcentem. Sat deinde cùm ſpectaculum mox edetur, iſthic ceſſabimus. Simul his, tentorii fores petebat; omneſque ſequebantur. In hac turbâ Meleander Radirobani loqui cœpit, ut eo remoto faciliùs Eurymedes Virgini inſinuaret quod ipſe mandaverat. Et illa repentinis cogitationibus concuſſa, quamquam nemo aperuerat paterni conſilii cauſam (nam dicentem Eurymedem turbavit adveniens Virtiganes) tamen haud multùm à verò timidiſſimâ cogitatione erravit.

Interim Archombrotus, in quemque familiarium Regis offenderat, hortabatur non deſtituere domini latus. Jamque & militum decuriæ ab ipſo atque Eurymede accitæ, ſparſim in campis erant; cùm Argenis ex præſcripto cadentem ſponte vultum colligit manu, ſeque ad Seleniſſam excipiens, voce demiſſa, peſſimè mihi, inquit, eſt, mater. Siſtitque illico gradum. Radirobanes ſubito caſu conterritus, in remedia aquam, merum, odores, flagitatione non perfunctoriâ popoſcit. Statim circa jacentem crevit

1 *Cœlum intepeſcentem.*] Cœlus reperitur maſculini generis apud Ennium: *Quem Cœlus genuit.* Idem, *Cœlus profundus:* Author eſt Soſipater lib. 1.

crevit immodicè concurrentium globus. Et Meleander qui pauliſper præceſſerat, inter fictos terrores regreſſus eſt. At Argenis; ecquis lecticarios provocat? ait. Nec de morbo rogata quicquam certi referebat, niſi linquente corde, hebeſcere oculos, & caput errare. At Radirobanes nihil opus lecticâ proclamabat; celeriùs hemicyclo in vicinum poſſe tentorium referri. Sed cauſatus Meleander commodius oppidum eſſe, ſeu medicinæ, ſeu quieti; ſimul urgebat qui ad lecticam decurrerent, ſimul gratias Radirobani agebat, tanquam humanitate nimiâ ſeſe oneranti alienis doloribus. Iſque jam non de Argenide tantùm, ſed de ſui ſceleris ſucceſſu ſolicitus, negabat ſe paſſurum ut mille totos paſſus (tot enim ad Epeircten aberant) jactaretur virgo invalida, & in hoc primo morbi impetu, nec fortaſſe duraturo, meliùs in proximo tentorio acquietura.

Hæc adhuc omnia veluti mutuæ neceſſitudinis charitate jactabantur, cùm Virtiganes Radirobanem clàm monuit, non ſic in illum diem ſitam eſſe conſilii ſui fortunam, ut redire non poſſet ſperata fœlicitas. Pateretur abire Argenidem; & ipſe cum ea peteret Epeircten; dilato promiſſorum ignium ſpectaculo, donec convaluiſſet ipſa, paterque iteratâ ſimplicitate rapiendam ad littus reduxiſſet. Cœperat perſuadere; cum Radirobanis medicus, quem aliqui accerſitum procurrerant, venit. Is pollice virginis propemodum repugnantis tentato, notatis præterea oculis, ſpirandique menſurâ; mirari primùm cœpit, moxque negare ullum ſibi ægritudinis veſtigium liquere. Ergo ad Meleandrum converſus, bonâ fide rogabat ut poneret metus: Leviſſimum eſſe quodcunque Argenidem turbaverat. Sed Radirobanes atroci percuſſus conjecturâ, tunc denique ſenſit invaletudinem ſimulari in fugæ prætextum. Miratus quis ſuas deprehendiſſet inſidias, quis ad Meleandrum detuliſſet, ſenſim ferebatur in rabiem; & ad moliendam vim ferociter intentus, quærebat oculis

ſuos,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſuos, dextramque ferebat ad capulum; cùm Sardos pauciores quàm Siculos circa ſe videt; ut neque ſi viribus eſſet agendum, ſatis poſſet victoriam ſperare. Interim aderat & medicus Meleandri; qui ab Eurymede monitus quid deberet ſimulare, longè alia quam quæ Radirobanis ſervus, de Argenidis valetudine dixit; gravem, & ſonticum morbum eſſe: properarent deferre ad regiam; quicquid morarentur, nocere Argenidi. Ita loquentem prior medicus jurgio adortus eſt, non paſſus ſuam artem contemni: ecquod enim mali indicium videret? quid vultus? quid labellorum color? num ſudor in frigidâ fronte? [1] num à ſe diſſentiret arteria? neque minùs pervicaciter Siculus ſuas partes implebat: prorſus egregio de incertitudine medicinæ ſpectaculo, ſi tumultus, & rei quæ agebatur magnitudo, huic voluptati locum feciſſet.

Dum hi collatis verbis certant, lecticarii ſublimem Argenidem tollunt: & Radirobanes non redituram ultimo conatu proſequutus; non ſibi temperavit. Injecit lecticæ manum; & manere Argenidem jam pluſquam precabatur. Jurgium quoque inter Sardos Siculoſque proceſſerat; ibatque Archombrotus, lecticam ſub Radirobane laborantem vi explicaturus. Sed medium Meleander ſe obtulit. Litet Sicilia illius diei fortunæ. Quantum præclari ſanguinis fuſum ibat ſeditio! Capax labes abſorbere Siciliam, & quanquam abſentem conſummare Poliarchum. Sed mitioribus fatis miniſtravit Meleandri prudentia. Adhuc ſibi tanquam hoſpiti loquentem violare erubuit Sardorum Rex; & utcunque finito tumultu, digreſſaque Argenide, ipſe quoque Meleander lecticâ ſublimis, & agmine ſuorum vallatus in oppidum ſe recepit.

JOAN-

1 *Num à ſe diſſentiret arteria?*] An vena inſolito more ſaliens atque mota indicium daret febris: hinc enim Medici febrim agnoſcunt.

JOANNIS BARCLAII ARGENIS.

LIBER QUARTUS.

Caput I.

ARGUMENTUM.

Radirobanes diſcorde tumultu raptus in diverſa, conſilium init, per literas proſcindendi Argenidis famam, & quæ à Selenıſſa acceperat, ſecreta temerandi.

NEmo interim Sardorum audebat Radirobani loqui. Furebat violentus, & diſcorde tumultu raptum animum ſpargebat in diverſa. Nunc pudore, nunc infœlicitate cœptorum agitabatur. Quàm benè proceſſiſſent initia! ut diu poſſeſſa cum Meleandro Argenis in tentorio hæſiſſet! geniuſne deinde, an mortalis prodidiſſet conſilia? Subeundum ergo dedecus, nullâ mercede, nullis ſceleris præmiis lenitum. Poſt aſſertam Siciliam, pollutâ victoriæ laude, non tantùm ut hoſti, ſed prædoni abeundum. Sub hæc frendens, toto littore ferebatur, adeò inutili ad cætera ſenſu, ut nec ruere noctem ſentiret. Auſus tandem Virtiganes accedere: & quidem, quò ab inſano audiretur pacatiùs, primùm eoſdem affectus ſimulavit. Cumque hac arte locum monendi ſibi aperuiſſet; jam nox eſt, inquit; & hîc tamen (ô Rex) moraris fortitudine tuâ nimis ſecurus. Circumſtant te multi; nec opus eſt omnes ſcire quo in ſtatu ſit animus tuus. Quò autem ſuccedere nocte hac paras? vocat in oppidum Meleander. Sed quis putet te ſecurè cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

cum illo reconciliare gratiam poſſe? Chariores tibi ſumus, quàm ut nos conficias tanti tui periculi metu. Claſſis tua te meliùs excipiet. Abominare hanc terram, tot curarum tibi cauſam. Ubi cum paucis ſecretus in prætoriâ navi eris, liberiùs iraſcêris, & quod in rem videbitur eſſe, conſtitues. Radirobanes tanquam Virtiganem non audiſſet vultu immoto, tamen ad præparatam ſcapham ſe contulit; ſive magnitudine iræ, ſive conſilio vocem premens, donec in regiam triremem delatus eſt.

Aſt ubi cum Procerum non ampliùs tribus in prætorio puppi proximo reſedit, evolvitque caliginem multa ſimul & confuſa animo ingerentem; primùm Argenidis imaginem, quam geſtabat gemmis incluſam, de collo diripuit: nam odio & iracundiæ, cæteræ cupiditates jam ceſſerant; deinde ſublato ad Virtiganem vultu; Faciam, inquit, ut hic dies triſtior Meleandro quàm mihi illuxerit. Pejùs ab ſuâ Argenide quàm à me divertet. Occupabo Furiarum officium: Seni quietem, & puellæ famam eripiam. Spectabo deinde ocioſus hos ludos, fruarque hoſtium malis; aut ſi in rem meam commodum erit, bello quoque cumulabo. Ocyùs ceram ſtylumque porrigite. Neque mora, literas ſuâ manu in hunc modum exorſus eſt. Radirobanes Meleandro. Neſciebam cùm inimicos tuos ſuſtuli, te amicis adeò eſſe indignum. Veniam ab Siculis exoro, quos ab tuâ ſecedentes tyrannide, armis meis domui, reddidique ſævitiæ tuæ. Cæterùm ſi moleſtum tibi erat, quotidie me videre, cujus manu & opibus Rex es; at humaniùs dimitti poteram, quàm ſub inſidiatoris invidiâ. Cui enim non conſtare voluiſti, te graviter à me metuere, cùm modò tua Argenis morbum finxit, teque ipſe ex tentorio meo turbatè proripuiſti in oppidum? Ita offenſionis ſpecie delere ſperaviſti quicquid mihi debebas. Sed nemini potes imponere. Cur te enim violari voluerim; qui, ne violareris, vitam meam obtuli in diſcrimen? At filiæ tuæ nuptias concupivi ſcilicet; & cùm affinitatem non probares,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

res, hanc prædam ſtatui occupare. Ne tibi ampliùs tantùm placeas Argenide tuâ. Neſcit regius Sardiniæ ſanguis ullum thalami probrum pati. Quo oculo cernerem ſuper limina caſtiſſimæ domûs attolli, [1] non cæſto, [2] non illâ ſimplici vittâ dignam, non cæteris virginitatis inſignibus; denique neſcio cujus Poliarchi contubernio aſſuetam? quid te inexpectata vox ferit; & in pudendæ rei nuntio amittis ſpiritum? ita eſt, Meleander. Nimis cautus in amicos, diſce nunc quos timere debueris. Illa, quam Palladem putaſti, Theocrine, tuæ domûs contaminatrix fuit; ac ut ſimpliciùs dicam, ſub eo nomine Poliarchus tibi illuſit. Argenide fraudem juvante, in Gynecæum pro virgine, mox in templis pro Pallade eſt admiſſus. An integram exiſtimes, quæ correpta amore adoleſcentis, celavit temeratorem arcis quam mulieribus ſacraveras? quæ cum amatore diutiùs fuit? quæ denique patrem decepit? omitte igitur ſuſpicionem, meâ ſorte & animo indignam, quaſi, his à me deprehenſis, illius nuptias expetierim, in qua nihil ſyncerum eſt. Mihi quidem cùm ad vos appuli, adhuc ex hac laſciviâ ignotam placuiſſe confiteor. Sed dii Sardiniam juverunt: quòd, cùm poſſes hanc petenti pulchrè conciliare, neglexeris. Ubi autem de ſecretâ turpitudine reſcivi, adhuc faſtidium meum ſimulatione amandi ſic texi, ut contentus mihi cavere, merentem non læderem. Habe tibi filiam tuam. Habe & regnum meo auxilio reſtitutum. Sed ne ingratitudini uſquequaque ſit præmium, aut facilitatem meam traducas: nolo Sardiniæ ærarium pœnas veſtrorum furorum luere.

Jam

1 *Non cæſto.*] Cæſtus, zona eſt virginea, quam maritus prima nocte diſſolvebat, à variis punctis ſic dicta. Κεντεῖν pungere eſt.

2 *Non illâ ſimplici vittâ.*] Quæ Palladis Virgines Veſtaleſque redimibat. Id moris in quibuſdam Virginibus noſtræ ætatis inolevit. Lucan. l. 1.

Veſtalemq; chorum ducit vittata ſacerdos.

Vittas autem ac ſupparum ſolæ virgines deferebant, erantque pudoris & verecundiæ inſignia, licet duo genera vittarum inveniamus, virginalem unam, alteram nuptialem. Ovid. 2. Metamorph.

Vitta coërcuerat neglectos alba capillos.

De Arte Amandi:

Eſte procul vittæ tenues inſigne pudoris.

1 *Infu-*

Jam hoc nimis, quòd ſanguinem multorum ex meis conſumpſiſti. Nam ſileo meos labores, quos utique non vendo. At ſumptuum partem redde; quibus totis te fungi oportebat. Eos enim ut viveres, regnareſque, feci in claſſe, militumque ſtipendiis. Trecentis talentis rem patiar æſtimari. Quanto plura pro te impenderim, ex publicis meorum Quæſtorum rationibus facilè ſcias. Sed tantillum hoc repone, niſi mavis extorqueri. Hoſpitium renunciare eſſet ſuperfluum, cùm prior idipſum illatione injuriæ feceris. Ex his tamen quæ detuli, cognoſces fidem meam. Te enim niſi coactus miſerum eſſe non volui; & quàm diutiſſimè paſſus ſum ut Argenidem amares.

Hæc ut ſcripſit, cogitati ſceleris induſtriâ ſuperbus, vocat ſuorum fidiſſimos, oſtenditque epiſtolam in alienæ ægritudinis ſpe propemodum ſuæ oblitus. Horruere ſcilicet ad ſceleris novitatem; ſed crudeliſſimo ſervitutis genere, quod intra ſe abominabantur palam laudabant. Quærebatur deinde quis litteras ad Meleandrum ferret. Nam intuta videbatur, & capitalis audacia. Sed Radirobanes in ſuos quoque ſævus; neſciat præco, inquit, periculum ſuum. Ibit intrepidus, & meo auſpicio ſecurus. Quòd ſi illum Meleander mulctabit; at mihi tanti erit hanc novam querendi jurgandique materiam vili ſanguine comparaviſſe. Igitur cùm aliquandiu inter ſe contuliſſent, quidam miles, diu antè Virtigani inviſus, ad hoc deſtinatur officium; ipſo Virtigane hominem commendante. Et ille maligno inimici ſuffragio beatus, ut credebat, [1] infuliſque præconis ornatus, primo mane ad portum exiguâ lintre devectus eſt. Statim relatum eſt Meleandro, nuncium à Radirobane adeſſe. Ille animo æger, & de hoſpitis diſſidio ſollicitus, tunc fortè ſuorum chariſſimos acciverat. Præter manſuetudinem in illo penè ad

1 *Infulis præconis ornatus.*] Feciales infulis, ſeu filaminibus lineis, & verbena tegebant caput more ſacerdotum; eratq; ſacroſanctus Fecialis, inquit Liv. lib. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

nè ad vitium prolixam, beneficium à Radirobane acceptum effecerat, ut illi paulò magis quàm ſibi faveret. Incertum eſt (inquit) utrum nocere voluerit; certum autem nos ab illo tanquam inſidiatore refugiſſe. Conciliandus utcunque eſt; & ſi cætera abeſſent, timenda certè fama. Nunquam videbitur juſtè expulſus, quem neceſſariis temporibus tanquam deorum munus ſuſceperamus. Poſt hæc verba altum ſilentium fuit. Nam pleriſque injucunda hæc erat Meleandri ſolicitudo. Inter cæteros Archombrotus, atque Eurymedes perſtringi ſe rati, quia Regi authores fuerant, ut à Radirobane caveret, haud obſcurè audebant indignari. Adeò ut impetus juvenilis in hæc verba Archombrotum abſtulerit; ſentio, ô Rex, me ſimul & Radirobanem non poſſe excuſari. Si te ad injuſtas inimicitias compuli, quid cunctaris noxæ me dedere? At ſi meâ & Eurymedis ſedulitate hodie es liber, noli incertitudine animi turbare fœliciſſimum diem, & adhuc dubitare an malis Radirobanem eſſe offenſum, an captivam Argenidem apud illum teneri. Hæc libertas Archombroti gratiſſima omnibus fuit, præſertimque Argenidi, quæ in lucro numerabat, ſive jure, ſive injuriâ, à Radirobane diſſidere Siciliam. Ipſe Rex ſuos metus excuſavit Archombroto; ſe tantùm de populi voce eſſe ſolicitum: curandum ne imponere Radirobanes poſſit externis ignariſque negotii. Mittam ad illum, qui me dolere ſignificent quod ad claſſem potiùs quàm ad me ſeceſſerit; orare ut in portum redeat, nec Siciliæ tam vicinus, incertos fluctus malit. Simul largos commeatus jubebo ad illum lembis pluribus promoveri, diſtribuamque munera in amicos. Nemini deinde credar ingratus in hoſpitem, quem per officia illa coluerim.

CAPUT

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

Meleander acceptis litteris nil quietum ſuſpicatus, ad proximum cubiculum pergit. Sequitur filia patrem, qui ad eam epiſtolæ partem deſcendit, ubi Argenidis atque Poliarchi fama proſcribitur. Tunc urgere patrem filia, ut per miniſtrum anus accerſatur, ſed illa verbis ſolertiſſimo fuco adornatis ex utriuſque oculis ſe eripiens, in thalamum ſe recipit.

MINUS diſplicuerat illa ſententia. Jamque Timonidem illic legatum Rex dixerat, cùm Radirobanis præco adventare nunciatus, variâ expectatione omnium animos ſuſpendit. Rex intromitti eum juſſit; cumque ille literas traderet, ecquid hoſpes Radirobanes valeret aut faceret, blandè, ut ſolebat, quæſivit: præco, veluti erat juſſus, omnia intellecturum Meleandrum ex codicillis quos attulerat, refert; ſimulque aliquantulùm in latus ſecedit. Meleander nihil quietum ſuſpicatus, ad proximum cubiculum pergit, ne præco legentis oculis motibuſque curioſe immineret. Sequitur patrem Argenis: & purpuratorum præcipui. At ille poſtquam ceram explicuit, in omnibus verbis hærens, & contumeliis excitatus, tandem ad eam partem deſcendit, ubi Argenidis & Poliarchi fama proſcribebatur. Arſere illico vultus; iterumque pallore mutati uno cum incertis manibus horrore tremuerunt. Refectis mox viribus, irâ terribili, in quos tamen adhuc incertus, erigitur. Argenidem, Radirobanem, Poliarchum, offerebat nova rabies, & ſub primum impetum nullâ prudentiâ conſiliove tractabilis.

Nemo audebat interrogare tam acriter æſtuantem. Sed ipſe quantum licuit ſemotis perturbationis indiciis, ad proximum conclave ſe proripit, unaque venire jubet Argenidem; cui non aliud loquutus, quàm ut has literas legeret. conſedit in lectulo; & illius vultibus intentus, ſuſpiranti, frementique medius hæſit. Argenis lectione conterrita, non quidem tanquam ad juſtam accuſationem expavit;

pavit; ſed injuriæ impatiens flagrantibus oculis totaque oris ſpecie, proclamavit ad vindictam. Urgebat tamen attonitam maximus dolor, ſuam cum Poliarcho familiaritatem innotuiſſe: & quòd tamdiu eam amicitiam occultam habuiſſet, verebatur ne accuſationi eſſet juſtior ſpecies, & patre difficiliori uteretur. Statimque perpendenti quomodo fides tam religioſo ſecreto periiſſet, occurrit Seleniſſæ cum Sardiniæ Rege commercium. Sed diu deliberare aut tacere, non licebat. Itaque provoluta ad genua patris, intercluſamque anhelitu vocem non ſine artificio laxans; ne expectes, Domine, ut crimen objectum anxiè diluam. Non enim dabo contumelioſiſſimo hoſti hoc gaudium, ut credam pudicitiæ meæ aliam rationem eſſe reddendam, quam quòd hactenus tibi optimo & ſolertiſſimo parenti placui. Unum habeo excuſandum; quòd Poliarcho per ſalutem quam tibi mihique attulerat oranti ne ſcires quantum pro tua incolumitate præſtitiſſet, fortaſſe fidelior quàm voluiſſes fui. Nunc quoniam alieno indicio factum eſt ut hominem poſſim laudare; ille eſt, Domine, quem Theocrinem vocabamus. Mei videndi cupidus, hanc ſimulationem ſexûs iniit, quò in arcem reciperetur. Sed tantæ licentiæ conſilium emendavit modeſtia. Nam ſic potiùs mihi quàm Radirobani credas, ut virum eſſe neſcivimus, priuſquam te atque me à nocturnis prædonibus vindicaret, eâ fortitudine quæ apud te divinitatis fidem invenit. Tunc verò ex arce abiturus, mihi atque Seleniſſæ quis eſſet eâ lege aperuit ut illius audaciam & virtutem apud te taceremus. Regreſſus deinde ad regiam, quantum cæteris præſtiterit, tuâ in illum charitate probatum eſt Quòd ſi reprehendis ſilentium meum; cogita non potuiſſe mercedem breviorem concedi, quàm ut paterer eum juſtis apud te honoribus carere. Sin autem ſubvereris altiora; quia virgo illius conſilia tegere ſuſtinui; provoco ad inimiciſſimum mihi caput. Seleniſſam intelligo; quæ ſola tanti arcani conſcia, rem omnem

Radi-

Radirobani palàm fecit. Niſi ſceleſtiſſima eſſet, fureretque perfidiæ inſaniâ, & odio mei, non polluiſſet ſilentii fidem; nec quod te ipſum celabat, detuliſſet ad exteros: teſtem hanc tamen non verebitur appellare innocentia mea. Si merui odium tuum, & propitiam famam arcanâ turpitudine fefelli, ego te & pudicitiam manu meâ vindicabo, reddamque ſanguinem indignum qui à te provenerit.

Inter hæc patris genua amplexa, nunc dexteram oſculabatur, nunc eâ arte in ſenem reſpiciebat, ut jam facillimi patris judicio innocens eſſet. Illum tamen plurima turbabant: neceſſariæ in Radirobanem inimicitiæ, de accuſatâ Argenide vulgi ſuſpicio; & quòd utcunque caſta eſſet, tamen credibile erat Poliarchum feciſſe, ne ipſi Radirobanes placeret. Urgente deinde filiâ ut Seleniſſa accerſeretur, ipſe per miniſtrum qui fores ſervabat, imperavit anum vocari: nemo Procerum ſciebat quæ res tam ſecreta ageretur: niſi quòd maximum eſſe credebant, quo filiam unam Rex communicaret. Varia itaque conjiciebant expectabantque ſoliciti. Seleniſſa nihil minùs quàm quod aderat animo fingens, intrat Regis cubiculum; in quo ipſa ſolitudo, vultus quoque Meleandri, & vis genii mala plerunque inſtantia occulto horrore inſinuantis, nec cogitantem turbavit. Statimque ad illam, inſolitâ acie Argenis accenſa, ſeu permittente patre, ſeu moram non ferente iracundiâ; per ego te Radirobanem, Mater, oro: (nam quid tibi magis dulce aut verendum objiciam!) ut hîc coram tuo meoque Rege dicas, quid commercii virgine indigni, mihi cum Poliarcho extiterit. Nec vices tuas cura, quòd hactenus quicquid eſt tacuiſti: ego ſalutem tuam pacta ſum, modo jam liberè indicium profitearis. Cohorruit anus; tenebriſque lucem miſcentibus, tamen ut ſolertiſſima erat, animum ſubitò revocavit: ut hic motus potius videretur innocentiæ eſſe ſuſpiciones abominantis, quàm deprehenſi ſceleris notæ. Et quem priùs alloquar?

loquar? inquit; cùm apud utrumque perfidiæ inſimuler? aut quæ hæc tam confuſa accuſatio eſt? nec Radirobanis mecum fœdera ſcio; nec Poliarchi tecum, ô Domina. Quod autem ſacrilegium, ut putes ullâ ſuſpicione poſſe virtutem tuam pulſari? imò, refert Argenis, omitte hanc frontem. En Radirobanis ad Regem codicillos, quibus te arguit de Poliarcho in Theocrinem Pallademque mutato, omnia effutiiſſe. Et ne neſcias; nihil eſt horum quod non patri confeſſa ſim. Sed & probris innocentiam meam aggreſſus eſt. Neſcio an te authore. Ad hoc unum vocata es. Dic liberè, ita te dii ament; dic priuſquam per tormenta verum quæratur, an maculavi familiæ meæ decus?

Non indelectatus Meleander hac ferocitate Argenidis, quæ utique in ſe dicturam non extimulaſſet niſi innocentiæ fiſa; nolo, ait, turbatè hæc exigi. Sed nec feram, Seleniſſa, niſi majori fide quæ de Poliarcho noſti exponas, quàm antea ſiluiſti. Victa anus conſcientiæ labe, accidenſque ad pedes Meleandri; ſumma, inquit, eorum eſt quæ dicere poſſum, Rex, nihil meâ alumnâ ſanctius & integrius eſſe, nihilque perfidioſius Rege Sardiniæ. Si pateris me ad cubiculum redire, facilè te abſolvam certiſſimis ſignis, & quibuſdam maximè litteris, quarum fides efficiet ne ampliùs tuam mentem ejuſmodi ſuſpiciones ſolicitent. Nec deinde miraberis cur ante te Radirobanes iſta reſciverit. Brevis eſt mora: dum hîc inutiliter jurgamur, redire jam potui. Tantâ pollicitatione ſuſpenſus Rex, properè ergo imperat ire; nec ſe in eo negocio ludificari: omnia tamen ſic agere, ne hæ lites ad ullum Procerum emanent. Neque prohibebat Argenis, verita ne moram injicere videretur, aliqua in ſe certiùs prælaturæ.

Sed anus ubi primùm ex utriuſque oculis evaſit, inaſſuetæ celeritatis veſtigiis ad conclave ſe recepit; adductoque oſtiolo; nunc iterum mei juris ſum, inquit, nunc in me decernere ipſa poſſum, nec ab aliis expectare quod merui. O infœliciſſima mulier! Ergo tamdiu vixi, ne in-

nocens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

nocens morerer? Quod autem mihi fatum mentem eripuit, ut non cogitarem proditionis mercedem nunquam eſſe ſecuram? ut à moribus meis abirem? ut leviſſimo juveni fiderem, & per plurima vitia mihi ſuſpecto? Hujus promiſſis, hujus donis, ego tot annis, tot rebus exercita, manus dedi, fidemque, & chariſſimæ alumnæ benevolentiam? Serò hæc reputas, Seleniſſa. Virtus fuiſſet animum à ſcelere cohibere; nunc quia fœliciter non peccaſti, latronum eſt pœnitentia iſta quâ ejulas. Ergo me perdere Radirobanes invidioſiſſimâ delatione ſuſtinuit: qui in me quo offenderetur non habuit: niſi quòd ut cæterarum rerum, ita nimiæ benevolentiæ faſtidium eſt! Proh nefas! quem audebo contueri? ad quem confugere? aut quis me denique feret de proditione querentem, cujus exemplum feci? nec propero me à lucis conſpectu liberare? nec ſaltem primis virtutibus dignum exitum quærens, medium ſcelus excuſo? Quid expectem ulterius? odit me Argenis; perfidiam excuſare non poſſum; forſitan & Rex prætextu alio explebit animum, merito meo, & filiæ queſtibus acrem. Necdum, ut intelligere potui, palam eſt quod maximè deliqui, Radirobanes meis conſiliis ad raptum incitatus. Hoc ubi emanaverit (quid jam enim exiſtimem fore ſecretum?) quæ mora, quive dii, ex dominorum meorum mentibus exturbent tantæ culpæ memoriam? Ut hos mitiſſimos faciam, at jubebunt abire à conſpectu. Recedam inviſa omnibus; iratam Principem timens; nec ſola, nec publicè tuta. Vigilabo in atrox ſupplicium, ex meo ſcelere ſingulorum cogitationes de me æſtimans. Adhuc pejori infamiâ digna es Seleniſſa, niſi illam morte antevenis.

CAPUT III.

ARGUMENTUM.

Seleniſſa neci quam ſibi ipſa molitur, jam proxima, ſtilo arcam exerit illibati alumnæ ſuæ pudoris obſidem. Deinde ſatus ſortem ſuam queſta mucrone ſe ſibi eripit. Meleander tot curis obrutus, & quid præcone faciundum incertus, tandem ad Radirobanem referre jubet, furioſo reſponderi non poſſe.

RAPIT ad hæc verba tabellas, in quibus non ſatis conſtantibus litteris hæc exarat. Meleandro & Argenidi Optimis Principibus. Si eſſet aliquid ultra mortem, id mihi in ſupplicium popoſciſſem. Nunc accipite ſanguinem, non adeò ſuo crimine maculatum, ut [1] non poſſit diis libari: neque ex ſupplicii atrocitate, quod in me conſtituo, facinus meum potiùs quàm pœnitentiam æſtimate. Hanc illo majorem credetis vos ipſi quos læſi. Sive enim urgentibus fatis, ſive veneficio aliquo attonitam, temeraviſſe me fateor ſecretum hoc ingens, de fraude & virtute Poliarchi. In tuam autem famam (chariſſima alumna) ſi addidi quidquam, aut addere potui, [2] opto ego deos manes mihi tam ſævos quàm infida vobis fui. Credite morienti; & vitæ diutiſſimè probatæ unam hanc noxiam; aut ſi nimis eſt, huic ferro quod vos ulciſcitur date. Præligatam deinde epiſtolam uni ſervorum tradens; vade, inquit, & Atrienſi intimas Regis fores ſervanti meo nomine impera ut hos ſtatim codicillos ferat ad dominum. Juſſit Rex, eos ad ſe properanter tranſmitterem.

Dimiſſo nuncio, jam furioſiùs morti intenta, ſimul properabat, & hærebat; nunc inſanos fremitus auſa, nunc mollioribus ſuſpiriis laceſſens conſtantiam ſuam. Excipiebat fortè omnia verba quædam ancilla, è proximâ cellâ cui ab eo cubiculo aditus erat. Hanc neque viderat Seleniſſa;

1 *Non poſſit Diis libari,*] Alleg. à ſacris, in quibus, libato ſeu effuſo ſuper aram victimæ ſanguine libaſſe credebant.

2 *Opto Deos Manes, &c.*] Deos inferos, Plutonem, Proſerpinam, & cæteros.

leniſſa; & verecundia quòd ſecretis dominæ intervenisſet, non ſinebat vel loqui vel abire. Nam neque credebat deſperationis pleniſſimas voces furioſum exitum habituras; expectabatque donec dominâ exeunte & ipſa ſe ſecretò proriperet. At Seleniſſa haud dubia omnem deſtinatæ mortis laudem in præcipitatione eſſe, & affore ſtatim à Rege qui conantem tenerent, aperit ciſtulam in quâ brevis gladius jacebat, quem olim filio primùm pueritiam ingreſſo dederat pater; & ipſa deinde [1] ſervaverat, die filii nuptiali Junoni Lucinæ cum crepundiis ſacrandum. Ita tulerat fatum, ut paucos ante dies, detergendæ rubigini eſſet in acumen renovatus. Nec aliud ferrum in muliebri cubiculo erat pectori aperiendo commodius. Illum verò ut ſuſtulit, ſimul conjugis quem amiſerat, filiique quem ignarum deſtituebat memor, tot res tamque diverſas uno mentis obtutu aſpiciens, funebri capulo oſculum dedit, illique loquuta aliquandiu opperientem mortem fruſtrata eſt; donec ancilla quæ timere cœperat ne hæc vera tragœdia eſſet, extorquendo ferro erupit, ſimulque exſonuere accurrentium ex Regis præcepto veſtigia. Tunc anus prohibentium fervore incitata, & manibus adhuc liberis uſa, mucronem tam altè viſceribus impreſſit, ut labantes ſubito vires ſolverent dextram, & pectore in humum porrecto ipſe capulus non multùm emineret ex vulnere. Exclamavit ancilla, & amplexa morientem ſæviſſimo ululatu perterruit jam ſpontè confuſos. Quippe dejectis foribus intraverant Archombrotus, & Eurymedes, multique eos ſequuti; urgente Meleandro, ubi primùm ferales literas accepit, ut properarent ad miſeram, cogerentque non perire. Eurymedes utcunque dimotâ ancillâ amplexus jam rigentibus luminibus torvam;

1 *Servaverat, die filii nuptiali Junoni Lucinæ cum crepundiis.*] Nuptiarum die Junoni Lucinæ, quæ venientibus in lucem favebat, puerilia crepundia conſecrari ſolita. Teſtis eſt Varro. Perſ. Sat. 2.

Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ.

 1 *Non*

torvam; quod hoc nefas ô Matrona? cur te tuoſque perditum vadis? nihil illâ, niſi quòd flexâ cervice ſupremos oculos verſans, ſanguinem & animam efflavit.

Omnibus ſilentium ingens, fremitus rurſus; & dimanante mox famâ, atrocitas rei multos Procerum ad ſpectaculum coëgit. Mox de obſcurâ facinoris cauſa variæ, & interdum periculoſæ conjecturæ. Rex quidem cæde auditâ vehementer exhorruit. At Argenidem nulla ſigna vel miſericordiæ vel odii mutaverunt. Seu credidit de Seleniſſa ſatis ſupplicii nondum habere, ſeu potiùs excandeſcens animus mirabatur magnitudine pœnitentiæ ſe placari, & in confinio utriuſque affectûs ſtupebat. Rurſus tamen intuebatur quicquid ſibi in morte Seleniſſa nocuerat. Quid Sicilia? quid cum ſuis Radirobanes loqueretur? illam anum tam inſigni de ſe vindictâ multò magis quàm ipſo proditionis crimine evulgaſſe hoc de Theocrine ſecretum. Præterea quando eò loci res erat, Regem ab Seleniſſa auditurum ſperaverat, pactum cum Poliarcho conjugium. quod quidem arcanum nec ipſa ſuſtinebat dicere patri; & ſtrenuè cogitabat defendere. Cæterùm prohiberi multitudinem Rex juſſit. Sepultumque deinde cadaver eſt nullâ pompâ; & poſtquam cædis cauſa publicè eſt comperta, neſcio quis Poëta hoc illi epitaphium fecit:

Buſta vides, ſævique, hoſpes, monimenta doloris.
Bis moritur, quæ ſe eſt judice digna mori.
[1] *Non effare tamen ſeu verba gravantia Manes,*
Seu placidâ faciunt quæ leve pondus humo.
[2] *Huic tumulo pacemque nefas, ſtimuloſque precari.*

Dic

1 *Non effare tamen ſeu verba gravantia Manes.*] Maledica, infamantia. Tibul. l. 4. Eclog. 2.

Et bene diſcedens dicet placideque quieſcat,
Terraque ſecuræ ſit ſuper oſſa levis.

2 *Huic tumulo pacemque nefas, ſtimuloſque precari.*] Cui malè volebant, terram gravem & tumulum oneroſum veteres precabantur, quo depreſſa anima, quam ſepulchro una cum corpore putabant condi, ad beatorum ſedes tardè aut ægrè devolaret; contra cui bene volebant, precabantur tenuem & ſine pondere terram, levem ceſpitem aut cippum, ut molliter oſſa cubarent. Senec. in Hippolyto:

Graviſque tellus capiti impio incubet.

Martial.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Dic tantùm; Ut merita es, ſit precor Umbra tibi.
Nempe Seleniſſa eſt. Dubium furioſa magiſne
Læſerit, an læſam ſit magis ulta fidem.

Meleander tot recentibus obrutus curis; & quid Radirobane, quid præcone, quid literis faciendum, adhuc incertus, vocat ſuorum præcipuos; his oſtendit res ſuas in anxio ſitas eſſe. quippe ſuam dignitatem à Radirobane incitari contumeliis; qui præterea talenta trecenta in præſtiti auxilii ſtipendium non tam petat quàm imperet. Armis ſe exequi debere injurias; niſi & ſuas vires domeſticis furiis Sicilia exhauſiſſet, & benefactis Radirobanis donari deberet ſaltem locus ad pœnitentiam. Furere enim ſui immemorem, & heſternas ſuſpiciones imprudenti irâ firmare. Hæc cùm fuſe exponeret, ſedulò tamen cavebat indicare laceſſitam ab hoſte famam Argenidis. Non quòd omnia neſciret emanatura: ſed & pudorem præſentis filiæ reverebatur; & ſilentio ſuo omnes monebat, ne quis deinde tam inviſæ accuſationis mentione illum vexaret. Ne tamen ignorarent ſuper quantâ re conſulerentur, ajebat Seleniſſam improbâ fide auſam quædam arcana ad Regem pertinentia Radirobani credere; quæ per ſe innoxia, ille flagitioſiſſimâ interpretatione corruperat. Allatis ab eo codicillis, ſe ultimis probris differri; Seleniſſam, ſi ad Radirobanem ſpectes, fuiſſe innocentem; quæ tamen ſolâ morte quod peccaverat expiari poſſe crediderit. Omnes certatim cenſuere, ut pro publico Siciliæ hoſte Radirobanem haberet. Quicquid auxilio juverat, non benevolentiâ aliquâ factum, ſed tanquam ad inſidias conſediſſe prædonem in inſulâ & voluiſſe Lycogenem tolli, ut quæcunque ille cogitaverat ipſe efficeret. De præcone per-

Martial. l. 5. Epiſt. 35.
Mollia nec rigidus ceſpes tegat oſſa, nec illi
Terra gravis fueris, non fuit illa tibi.

Aliud Martialis lib. 6. Epiſt. 68.
Sit precor & tellus mitis & unda tibi.
Idem Epiſt. 30. lib. 9.
Sit tibi terra levis mollique tegaris arena.
Et Pauſan. l. 1. & 9.

perplexior quæſtio fuit; [1] his cruci ſuffigendum decernentibus; aliis per diverſa ſupplicia truncum ad Radirobanem remittendum. Vicit tamen Cleobuli ſententia, declinandam violati præconis invidiam; quem fortaſſe interfici magnò emeret hoſtis. Superbiſſimum Regem plus deſpectu quàm ejuſmodi ultione iri offenſum. Quod poſtquam Rex probavit, Eurymedes vocatum ad ſe præconem (nam eum ad Meleandri conſpectum reduci non placuit) ita ex præſcripto affatus eſt. Si ab Rege ſui compote veniſſes tam protervæ epiſtolæ lator, totum hunc diem homo non eſſes. Nunc ignoſcimus amentiæ Radirobanis, cui Regis verbis dices, furioſo reſponderi non poſſe. E re quoque ſuâ facturum, ſi Regibus ſcribere expectet donec inſanire deſierit.

Poſtquam præco diſceſſit, ſtatim præſidium militum ingens Arſidæ datum eſt, quod ad portum conſideret. Timonides claſſiarios coëgit in naves; ut ſi Radirobanes ultra verba furere vellet, juſtâ acie exciperetur. Nec in Regiâ tantùm, ſed paſſim in oppido, tanquam redintegrato bello, quies excuſſa eſt. Jamque Radirobanes timere inceperat, non modò ne inverecundiam ſuarum literarum præco capite luiſſet, ſed ne in ſuam quoque claſſem armaretur Sicilia; intepuerat ira; occurrebantque belli incommoda, quæ nimius antea ardor ſuppreſſerat. Totius Siciliæ viribus impar ſibi exercitus. Littus tenebatur præſidiis. Deerant in mari commeatus. Si tamen laceſſebatur, erat indecora cunctatio, maximè cùm prior provocaviſſet. Dum hæc agitat, reſpicitque ad littus, vidit ſcapham portu recedere. Ea erat quæ præconem revehebat. Is adhuc plenus metu, quæ ab Eurymede acceperat refert; multùm quoque exaggeratâ violentiâ loquentis, & tumultu regiæ, cujus cauſam neſciebat. Cùm enim occubuiſſet

Sele-

1 *His cruci ſuffigendum.*] Alex. Macedo Glaucum medicum alioſque crucifixit, qui mos fœcialis crucifigendi, uti tunc apud Græcos etiam ætate noſtra uſurpatus, ut nuper in Armoricæ Senatu. De cruce habet multa Juſt. Lipſ.

1 *Cala-*

Seleniſſa, murmurque & ſtrepitus ingens eſſet, Cleobulus præconi cuſtodes apposuit, ne quà reſcire hunc caſum, & interrogare obvios poſſet. Radirobanes tot rerum ſolicitudine gravis, priùs abire conſtituit quàm decernere cogeretur, aut fugere. Nam quid immaturis conatibus in ſe veriùs quàm in hoſtem ſæviret. Jam plùs juſto indultum præcipiti iracundiæ. Reducendum potiùs ad [1] Calaris littus exercitum; (ea civitas jam tum Sardiniæ princeps erat) viribuſque refectis, mox ſubitâ claſſe repetendam Siciliam. Sed neque confeſtim viſum abſcedere. Nam & maritimas copias ſciebat, quas in portu habebat Meleander, modicas eſſe; & tempore opus priuſquam Lilybæo & Panormo major in eum claſſis poſſet acciri. Reliquum ergo diem in ſtatione perſeverat. Sub veſperam, cùm ſe beigniùs ventus intenderet, anchoras tolli jubet; proraſque in Sardiniam ſuam verti. Ac ne timida videretur aut furtiva diſceſſio, præcepit juſtos [2] nautarum clamores geminari, ſive eruendis gemerent anchoris, ſive mutuæ exhortationis officio cætera armamenta componerent. Militum quoque voces patriam appellantium adhuc abſentem, aut [3] pelagi deos orantium, ferebantur ad littora. Meleander pugnam inſtare exiſtimans, juſſit accingi claſſiarios ſuos, portumque & proxima littora propugnatoribus compleri. Nam provehi ad certamen ſuas naves extra portum vetuerat; ut illæ terreſtribus copiis, quibus abundabat, tegerentur; & gemino exercitu Sardi perirent. Noctis tamen vicinia perturbationem metumque adauxerat. Sed hoſtes propitiis ventis in altum ablati, primum audiri, & deinde videri deſierunt. Nam & nebulæ primam noctem denſaverant. Ne tamen is diſceſſus finge-

1 *Calaris.*] Sardiniæ Inſulæ littorale oppidum eſt.

2 *Nautarum clamores geminari, patriam appellantium.*] Læto celeuſmate. Ita Virg. Æneid. l. 1. *Italiam Italiam primus conclamat Achates.*

3 *Pelagi Deos orantium.*] Caſtorem maxime & Pollucem nautis propitios. Ut dixi ſupra l. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſingeretur, mox redituris in incautos remigibus; plerique non militum modò, ſed procerum, circa portum excubavere. In iis Nicopompus, cùm nocte concubiâ rarior fremitus eſſet, ſilentio vigiliaque uſus eſt; & juvantibus tenebris liberos animi motus ad carmen, ita Sardos tempeſtatibus devovit.

Ite truces. cuncti rapiant cava lintea venti.
Ite rates. Sic aura fidem, ſic æquora præſtent,
Ut veſtri meruere duces. Simul [1] ibit Enyo,
Stridebitque comis, facibuſque in concita miſſis
Nubila, Tartareum deducet in æquora fulmen.
Ite rates. Mediis [2] ultor deus aſſidet undis,
Vix æquus mitiſque bonis. Sunt undique venti;
Sunt cautes; [3] rapidis fervent noſtra æquora monſtris.
Inde repercuſſas terret latratibus undas
[4] Scylla minax, hinc torva riget, fremituque Charybdis
Gaudet inexhauſtas aptare in pabula fauces.
O illuc vos turbo vehat; vel dira revulſam
Tempeſtas medio vobis ferat æquore rupem!
[5] Qualis erat dubiis [6] nondum Latonia Delos
[7] Fluctibus, aut quales nigri ſuper oſtia ponti
[8] Cyaneas arcto nautæ timuere profundo.
O ſceptris indigne tuis, & [9] ſydere lævo

Edite

1 *Ibit Enyo.*] Pro furia hîc impropriè ſumitur: nam Enyo propriè eſt mater, vel ut alii volunt, ſoror Martis, unde dicitur Enyalius.

2 *Ultor Deus aſſidet undis.*] Neptunus injuriarum Meleandri vindex.

3 *Rapidis fervent noſtra æquora monſtris.*] Scylla & Charybdi.

4 *Scylla minax.*] Ut ſupra l. 2. Ep. ultim. Ibid. de Charybdi.

5 *Qualis erat dubiis.*] Comparatio cum Delo Inſula Ægei maris Cycladum clariſſima, in qua Latona Apollinem & Dianam enixa eſt.

6 *Nondum Latonia Delos.*] Ante Ortygia dicebatur, ſed Latonia dicta eſt poſtquam in ea Latona enixa eſt Apollinem & Dianam.

7 *Dubiis fluctibus.*] Cum hæc Inſula tecta eſſet, Latonæ locum ad pariendum quærenti, repente ſe oſtendit. Credidere nonnulli fuiſſe mobilem, donec excepta Latona, Gyaro cæteriſque Cycladibus ſe adjunxit

8 *Cyaneas.*] Seu Symplegades, ſcopuli ſub Thracio Boſphoro, modico ſpatio inter ſe concurrentes juxta varium proſpectum, unde factus locus fabulis.

9 *Sydere lævo edite.*] Aſſerunt Mathematici omnia ſublunaria regi ſyderum motu, & cuilibet naſcenti ſydus fauſtum vel infauſtum influere, ut ſupra.

I *Notæ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Edite Sardois infœlix rector habenis;
Cerne agedum quàm parva tuam diſcrimina vitam
A cupidis prohibent undis. Non arma ferocem,
Non vis ulla juvat. Timidos forteſque ſevera
Torquet hyems. Totus fati, totuſque deorum es.
Mox ubi diſparibus pendebit puppis in undis
Alternas ſubitura vices, & hiantia latè
Æquora terrifico pandent ſua viſcera fundo;
Quam poſces miſerandus opem? quæ Numina primùm
Mens inſueta petet; tunc vani prodiga voti?
Non falles Superos; nec te timor ille piabit.
Obruet unda preces ſonitu, vindexque per auras
Ventus aget. [1] *Notæ tangunt pia ſydera voces.*

CAPUT IV.

ARGUMENTUM.

Eurymedes optima media Regi ſuggerit, quibus tum civilium, tum externorum bellorum æſtus propulſetur. Colligendus exercitus pace ac bello, terra marique aſſiduus, qui naſcentes factiones nullo negotio extinguat; ac terrorem exteris ingerat cum ſcient non Tyronum, ſed Veteranorum eſſe delectum. Annuit Meleander, ſed ne moleſtæ civibus ſuis ſint iſtæ copiæ, ſuo ære ſuſtentari cupit, pro libitu Duces mutare, ſi peccaverint ſeverè in eos animadvertere, neque alium præter ſe ipſum militiæ, provinciiſve præficere.

NONDUM planè reſpirabat Meleander, veritus adhuc ne Radirobanes claſſem infeſtam alicubi incuſtoditis littoribus inſinuaret. Sed exacto vix biduo, demiſſi ſpeculatores retulerunt omnino peti Sardiniam. Tunc verò non tanquam exacto, ſed dilato ſaltem periculo, ad conſilia mentem applicuit, quibus tueri Siciliam, & hoſtem haud dubiè rediturum poſſet ulciſci. Diu erat quòd Eurymedes, utpote ſtrenuæ fortitudinis vir, amanſque militiæ, monuerat Regem, ſecuri imperii non aliud certius eſſe pignus, quàm paratum, & ſemper in caſtris exercitum; & tunc

1 *Notæ tangunt pia ſydera voces.*] Naufragorum vota flectunt Deorum iram: favent autem nautis Caſtor & Pollux & Hercules, &c.

Et tunc quaſi ſui conſilii utilitatem promovente fortunâ, cùm Meleander ipſi & Dunalbio medius ſpatiaretur, ageretque de præſidiis per opportuna littora in Sardos dividendis, ita locutus eſt. [1] Si feciſſes quod initio motuum in Lycogenem cenſueram, nunc aut iſte Radirobanes non te laceſſeret, aut haberes quod illi confeſtim objiceres. Sin etiam nunc ceſſas, illo depulſo fortuna inveniet, qui te nec ſuſpiciones diu ponere nec arma patiantur. Collige, inquam, [2] exercitum quem hoſtes formident, qui ſit pace belloque aſſiduus. Continebit hic terror cives in fide; amicitias, & hoſpitia externorum tam vetera firmabit, quàm nova inveniet. Civiles enim motus, aut ambitu & conjuratione paucorum Optimatum inſerpunt; aut quod eſt rarius, uno conſenſu, furentis vulgi conſtant. Nihil verò in utrumque hunc Reip. morbum ſalubrius aut efficacius eſt ejuſmodi armis. Sunt enim nobilium factiones in initiis, ac veluti cunis, timidæ debileſque; ut ſi in promptu, & [3] ſub pellibus miles ſit, opprimi cum dignitate poſſit malum; & mehercule ita impetu tanquam ſitienti fulgure hi fontes exhauriri, qui, ſi pateris mox neſcient ripas. Sin verò populari tumultu præcipitata inſania (quod quia interdum ævo majorum contigit, prudentibus ſemper timendum eſt) innumeras manus armabit in Regem; nihil in hoc incendium remedii, niſi firmas legiones, & aſſuetas diſciplinæ, monſtro illi objicias; plebs enim impetu ſolo valens, quantumcunque multiplicatis cohortibus impleat campos, par illis nunquam erit qui ſciunt furentes eludere, ſervare ordines, obſequi duci, locum caſtris & pugnæ eligere.

Ita

1 *Si feciſſes quod initio motuum in Lycogenem cenſueram.*] Nota hic optima amuleta, quibus civilium externorumque bellorum æſtus propulſatur.

2 *Exercitum, qui ſit bello paceque aſſiduus.*] Contra Machiavellum, qui habendos ritu Romanorum milites author eſt; milites inquam, qui citra bellum ad domeſtica opera ſe recipiant, donec Martis ſignum detur.

3 *Sub pellibus miles ſit.*] Sub tentoriis. Nota tentoria ſive tabernacula ex pellibus fieri conſueviſſe. Unde Livius l. 5. *Sub pellibus durare.* Vide Carolum Sigonium Scholiis in Livium l. 5. Jacob. Ræverdum l. 4. Varronem cap. 3. Val. Maxim. &c.

1 *Annos*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Ita in omnem partem, tutandæ regioni, & vel antevertendis vel premendis furoribus, utiliſſimus miles eſt, qui non quærendus, non formandus, ſed hoſtem inter ſtipendia expectat. Illæ copiæ & quocunque perrexeris ſecurum te præſtabunt; & ſi populi motu, vel defectione nobilium ex munitis civitatibus arcibuſve ut ulla à te ſeceſſerit; inde recentem & adhuc dubiam proditionem confeſtim excutient.

Gentibus autem externis quanta adverſus te reverentiæ cauſa, hæ ſuccinctæ & ad nutum legiones? Suam pacem ex te pendere intelligent; non inultum lædi poſſe, non deſpici; ſedere te veluti fortunæ cæterorum Regum arbitrum, in quorum cuſtodiam paria arma non fulgeant. Gentem noſtram famâ celebrari compertum eſt, tanquam indole ſuâ pronam ſimul & utilem bello. Quanto magis, ſi ad naturam inſtitutio accedet; ſcientque tui hoſtes non tyronum apud te, ſed veteranorum eſſe delectum? Neque hoc tantùm ad famam eſt. Ipſo ſucceſſu experientur qui te laceſſent, longè aliud eſſe conſcriptum nuper militem in aciem ſtatuere, aliud egregios viros, & qui [1] annos non plùs ex faſtis quam ſtipendiis ſuis numerent.

Num denique eâ fide, eo ardore, recèns adacti ad ſacramentum pugnabunt, quo illi qui inveterato affectu, non plùs militum quàm familiarium inſtar tuentur Principem aſſuetum alimenta & veluti ſpiritum dare; & cui non hoc tantùm illos bellum, ſed vitæ totius fortuna conjunxerit? Haud omiſerim, ut corpora omnia, ita militiam ex ſuorum, veluti artuum vigore & officiis conſtare; & ſolo experimento deprehendi num quis ad hanc diſciplinam natus ſit. Nonnullos valetudo, alios animus deficit; quæ vitia habitus corporis, & ſpecies frontis ſic obtegit, ne præ-

1 *Annos non plùs ex faſtis, quam ex ſtipendiis numerent.*] Per faſtos numerabant annos; & in libris faſtorum res annuatim & breviter ad poſterorum memoriam notabantur. Horatius,

Per memores genus omne faſtos.

1 *Cin-*

ne præter experientiam quicquam ſit quo argui poſſint. Igitur in perpetuæ militiæ tyrocinio, utque ſic dicam, in pace caſtrenſi, maturè, nec periculoſo tempore, ſe hæ labes aperiunt; ſtatimque de corpore exercitûs eluuntur, vel correctis diſciplinâ vitiis, vel miſſione denique mulctatis. At in repentinis armis, cùm implendæ cohortes ſunt, cùm inexpertis & obviis [1] cingulum datur, ſæpè neſcias virum an ſtatuam adornes; ut novum exercitum ab explorato differre exiſtimem, quod navem quæ probatis trabibus eſt compacta, ab eâ quam intempeſtive exciſæ arbores, & omnia non penſatis vitiis ligna componunt.

At ſumptuum ratio eſt habenda, grave tot Centuriones, tot milites ex alienis laboribus vivere. Scilicet egregiâ curâ timemus, ne non hoſtis, cùm ſæviet, plenas domos & opulentas inveniat. Repetamus memoriâ vaſtitates, peculatus, exitia, quibus civiles diſcordiæ arſerunt. Quot annorum ſtipendia, quæ aluiſſent obſtiturum his malis exercitum, paucorum menſium furor conſumpſit? Adde vim corporibus factam, ſubjectos tectis ignes, & cætera quæ in ejuſmodi turbis impunè ſunt. Vili mediusfidius has injurias populus redimit, ſi perennium legionum præſidio ſe tuetur.

Dunalbius civilium rerum ſcientiſſimus erat, naturâ & inſtitutione factus ad gerendam rempublicam. Is igitur ita differente Eurymede, ſæpe frontem, & oculos mutabat, nunc quodam aſſenſu, nunc modeſtis repugnantis animi ſignis; gaudebatque Meleander ſibi ex diverſa ſapientia licere quod utrimque optimum eſſet colligere. Cùm vix ergo finiſſet Eurymedes, ita Dunalbius Rege admonente exorſus eſt: niſi Eurymedes ex ſuâ fide cæteros æſtimaret, nunquam tantum tribuiſſet militibus, ut non

1 *Cingulum datur.*] Dantes nomen milites enſem cum balteo accipiunt; ſoluti hæc militiæ ſymbola deponunt, inquit Varro.

ut non modò in uſu eorum, ſed in ipſa caſtrorum veluti umbrâ, Principibus patriæque incolumitatem ſtatueret. Ego quamquam [1] infulis atque aris à militiæ muneribus excluſus; quia tamen hic agitur, non quid nocere arma mortalibus, ſed ecquod ipſi paci præſidium poſſint afferre, non verebor dare quid ſentiam. Tibi verò non tam repugnabo, Eurymedes, quàm de iis quæ ignoro vel dubito interrogabo prudentiam tuam. Nunquam mihi placuerunt, qui in futuros morbos firmo corpori medicamenta infundunt; ſolicitantque ſopitas ægritudinis cauſas, nec tempore ullo pejùs quàm inter ejuſmodi luctam ſuccenſas. Quot mala, quot funera vidimus hominum per ejuſmodi medicamina incitantium reſides, & veluti oblitos nocere humores? Atqui illis penè ſimiles puto qui placidis rebus quærunt in futuras tempeſtates formidoloſa remedia, quæque ambiguo exitu poſſunt rectam Reipublicæ valetudinem tam perdere quam ſervare. In dubiis autem illis pleriſque periculi remediis, maximè armatorum frequentiam pono. Nam ſi armis milites concrepabunt, ſi ſuperbia, vel furor obſequium excutiet, longè illis pacis conſilia, longè mens ducum qui eos tumultibus arcendis coëgerant.

Turmæ, cohortes, ſub Centurionibus atque Tribunis, ſcis quàm validum corpus efficiunt: Vix tamen aut poſſunt ſuas vires agnoſcere, aut in ſuperbiam quam illa contemplatio inſinuat labi, dum hoſtis ſubmovet ocium, habentque quos laceſſant aut timeant. Aſt ubi ſuis viribus pacem fecerunt, nemoque novo diſcrimine interpellat victoriæ memoriam; tunc ceu Regi aut patriæ exprobrent operam ſuam, ſecum expendunt quantum pugnando effecerint: Unos ſe ſuis civibus ſalutares; in ſe tranſlatum rerum arbitrium, patriæ quoque & Principis fata.

1 *Infulis atque aris à militiæ muneribus excluſus.*] Sacerdos excluſus à re militari. Metonym. Signum pro ipſa re. Ne hic diu morer, conſules Valerii librum 1. cap. 1. & Livii l. 19. & 37. & lib. 59.

fata. Hæ non ſtatim, & uno agmine cogitationes obveniunt; ſed paulatim, tempore, contubernio, uſu; quaſi aliam à cæteris rempublicam faciant, in ſeſe coguntur: ocio deinde laſciviunt, quod quantùm fortitudini adimit, tantùm addit protervíæ; mox ſi juſtis præmiis non putant ſe excoli, ſi continuò obſequiis non placantur; fervent animis, intumeſcunt, indignantur ſua arma non timeri. Quid cùm à ſuis ducibus, cùm à factioſis ſolicitantur; cùm cupidis mentibus ingeruntur majora ſtipendia, præda, tumultus, peccandi licentia? Dii hoſtibus tam enorme exitium! Nam non putem, quod dicebas, Eurymedes, ideo Regem iis eſſe chariſſimum, quia ab ejus ærario ſtipendia habent. Multò illis potiores Præfecti: tum quòd ab illis ad militiam delecti ſunt; (tanquam ideò ſtipendium non Regis, ſed eorum ſit gratia:) tum quòd illos de ſuo corpore duces, & militaris potentiæ vindices amant; ſed maximè quia plerunque de illis licentior militia quàm ſub Rege proponitur. Sed & omnibus copiis in mediâ pace ſemper armatis, an præficies vicarium unum, an per partes jure æquali legatos miles accipiet? [1] Si plurium munus hoc facies, non ſibi conſtabit diſciplina; contendent inter ſe æmuli duces, & per jurgia ducum infeſtus laborabit exercitus. Sin poteſtatem uni credes; quis ille cui tantum jus in te concedes? In ejus manu erit ut regnes, ut pereas. Ille vim imperii, ille nervos poteſtatis cùm tenere ſe cernet, an par ſtimulis erit ſolicitantibus integritatem ſuam, & quid poſſit ſuperbè monentibus? Utinam ſaltem huic tuo Eurymedi ſimiles ſemper ſint quibus Reges ſuas fortunas tradent. Quamquam nec illum velle exiſtimem tantæ invidiæ poteſtatem ſubire. [2] Scis quibus olim regibus haud abſimilis conſuetudo ſceptrum abſtu-

1 *Si plurium munus, &c.*] Dilemma nunc diſcuſſum.

2 *Scis quibus olim Regibus haud abſimilis conſuetudo ſceptrum abſtulerit.*] Ex quo præfectis Palatii totum regimen ignavi Galliæ Reges commiſere, brevi ſua non ſolum auctoritate, ſed etiam dignitate diſtituti ſunt, talis præfectus fuit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

abſtulerit; qui dum Præfectis Palatii caſtra committunt, ſenſim omni in cives & milites jure exuti ſunt. Iis qui prudenter condere regna aut ſtabilire ſtudent, hæc duo videntur præcipua; primùm ne populus in Principem facilè poſſit inſurgere; deinde ne ſi obſequii vincula emolietur, habeat duces idoneos, qui vagam, & inconditam inſaniam certiori auſpicio, & militiæ vinculis firment. Utramque cautionem intervertimus hoc ſtatæ perennisque militiæ conſilio. Quantùm enim diſtabunt à populo tot illæ cohortes, tot omnis fortunæ homines, quibus tela ultrò concedimus? Quicunque in populum cadere poſſunt motus, valebunt in iſtos; ſed eò procliviùs quòd irati nihil priùs videbunt quàm datura fiduciam arma. Jam verò præſentiorem inquietis ſtudiis ducem nulla fortuna obtulerit, quàm hunc ipſum cui juſſeris imperium eſſe in caſtris. Cui enim tot ad defectionem urgentibus rebus, animus ad fidem ſupererit? Mens potentiæ conſcia, & Regii faſtigii dulcedinem delibans, adulantium vota, cinctum fortibus viris latus, multa obtegendæ culpæ occaſio; & ſi ſecus vota ceciderint, at excuſabilis in multitudinis peccato audacia; nec ruina partium expectata, prope ex æquo conditiones cum Rege adhuc de victoriâ dubitante. Fac tamen Præfectum hunc ſummum, ſeu naturâ ſeu virtute abominari motus, fortemque in vitia; numquam à ſui ſtatione recedere. Quid tot ſub illo duces? Nullus ex iis tumidus, præceps, vanus? nemo fortitudinis famâ, & audaciæ ingenio militibus charus? Mitte inanes ſpes. Nunquam illis cladibus deerit qui ſignum attollat.

Sed hæc ſcilicet quæ præſagio incommoda, demum timenda ſunt, ſi in iiſdem habitet caſtris omnis exercitus. Tu verò occurres tempeſtati, ſpargeſque in varias ſedes vaſtum hoc corpus; ut nec ſub uno aſpectu poſiti ſeipſos miren-

fuit Carolus Martellus, qui detruſo in cœnobium Childerico, filios ſuos Pipinum & Carlomannum poſtea ſponte monachum Caſſinenſem voluit in Reges inaugurari, talis Hugo magnus Capeti pater & Capetiorum caput.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

mirentur, nec furoris contagione deſæviant. Quò igitur diviſos dimittes? Nempe in arces, aut oppida diſtribuentur. Vide porrò utrobique quàm commodè. Arces quidem ut juſto præſidio obtineri conſultum eſt; ita illæ multitudinem armatorum ſæpè non capiunt; deſinuntque præterea eſſe ſecuræ, poſtquam tot oculorum tantæque frequentiæ commercio ſunt vulgatæ. Num enim tanquam in carcere tot illic milites conditos habebis? Num ad illos amici non ibunt? quid conjuges? quid neceſſitudines? quid lixæ, & calones? at in oppida potiùs tanquam ad perpetua hyberna copias tuas mittes. Neſcis quippe quàm malè militibus cæteroque populo conveniat. Quod eſt exermibus civibus, & ad ſua opera intentis, in bello ægerrimum, id in pace continuo faſtidio ingeres, ut alienos, ut armatos ſuæ domi aſpiciant, ut militaribus moribus templa & fora ſtrepant, ipſi denique lares placidos mores mutent? querentur omnes de onere, mentes à te diſſentient: & cùm volent deficere, quantillum ſibi ad incommoda putabunt acceſſurum jam moleſtiſſima ferentibus, tributum atque præſidium? Sed nec ita revulſo diviſoque exercitu conſtabit utilitas quam monſtrabat Eurymedes. Nam intra oppida nec ſervari poterit caſtrenſis diſciplina, nec tyrones eo in ocio probari, & ad Martem inſtitui. Ipſi quoque veterani languore & deſidiâ confecti in urbibus jacebunt, & præter militare officium mollientur in curis & conſuetudine familiæ ſuæ; aſſueti deinde extra laborem ferre ſtipendium, multò ægriùs à ſuâ quiete avellentur ad pericula, quàm ſi recentes conſcribas, & qui ſciant de Regis ærario ſe niſi in opere & militiâ non victuros.

Cùm his Dunalbii argumentis reſpondiſſet Eurymedes; & ille viciſſim pro ſe pugnaſſet; Meleander ſic commiſſos conciliavit, ea probando quæ uterque in adverſa laudabat ſententiâ; immodicos exercitus noxios eſſe. Ultra præſidia tamen quæ in neceſſariis excubant arcibus,

bus, curandam eſſe claſſem; & viginti triremibus obtinendam Siciliæ oram; quarum aliquæ ſint in mari, aliæ in præcipuis portubus expectent imperium. Ad hæc plures deligi Prætorianos oportere; partim ex egregiâ juventute, partim ex illis qui diu ſub ſignis fuerunt. Hos poſſe ad octo millia conſcribi. Dimidiatæ copiæ ſemper Regem comitentur; ut miles ſex menſibus domi, reliquum annum degat in caſtris. Ita enim, nec disjunctis ad validam ſeditionem vires fore; nec longâ & ſupervacuâ in penatibus morâ abituros à milite. Ipſi qui aderunt Regi, non confuſis caſtris habitent. Milleni ſeorſim vel caſtra, vel oppidi regiones ſortiantur, in quo Rex erit. Nam civibus illis qui commodis ab regiâ apud ſe familiâ & comitatu ſuperfluent, ægrè eſſe non debere ſi veluti in contubernium Prætorianos excipient. Larga illis & nunquam dilata ſtipendia; rigidior quoque parendi lex. Proterviam, furta, laſciviam, graviter luant. Et ne in ocio deteriores ſint, militari labore incitentur; nunc coram ducibus ad præmium, haſtam aut jaculum mittendo; nunc cum armis iter ingredi juſſi, ne expeditionem in hoſtes tanquam laborioſiora imperaturam formident. Nemo in illis Centurio, nemo Tribunus, nemo qui ordines ducat, niſi quem Rex ipſe delegerit. Bis mille ſint equites; cæteris jacula, pila, ſariſſæ, dividantur ex militiæ uſu. Hac manu & ſubitos motus opprimi poſſe dicebant; & ſi majores copias res deſideraret, tyrones erudiri. Neque Eurymedes ſe plura cenſuiſſe aſſeruit; aut pauciora Dunalbius; niſi quòd ſub imminente à Sardiniâ bello, addi aliquid militum numero omnibus viſum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT V.

ARGUMENTUM.

Rex Generum Nepoteſque cogitans, dum conjugem deſtinat filiæ Archombrotum, quem ut virtutibus regiis, ſic regia ſtirpe clarum eſſe novit, illa tot incitata malis, vix ſui compos aut conſiliorum parentis patiens eſſe poteſt. Iuvat tamen bimeſtre intervallum poſtulare quo Poliarchum ex Gallia reducem fore confidit.

MELEANDER hac parte curarum in Eurymedem tranſlatâ, ad alia animum adjicit. Supra omnia de Argenide ſolicitus erat. Hæc inſons, & in quâ, præter invidioſas dotes, nihil nimium eſſet, tamen cauſam tot fluctibus dederat. Ut uxorem illam haberet, auſus Lycogenes omnem perfidiam, non ſtatim, neque incruento bello perierat. Radirobanes ſucceſſerat furoribus, adhuc incerto exitu. Nec deinde defuturos putabat, quos virgo eximia, & dotale ſceptrum accenderet; niſi in unum collata fœlicitas componeret cæterorum cupiditatem. Neque parum extincta Seleniſſa, & Theocrine tamdiu latens, occupabant anxiam mentem. Tandem penitus ſedit animo, filiam in matrimonium collocare. Pacandis tot motibus id reſtare remedium. Jamque non generum modò ſed & nepotes cogitans, ipſa oblectatione incitabatur ad dulciſſimum votum. Sed quem illi fortunæ deligeret? Nemo in vicinis gentibus regii gradus erat, cujus ætas nuptiis conveniret. An autem opus eſt, inquit, invenire ad hæc fœdera ſolium & purpuram? Tanquam regna, non homines copulentur hymenæis, aut filiæ meæ ſceptrum aliud quæram, non virum? Imò noſtri majores ſapientiſſimè lege caverunt, ne qui, quæve Siciliæ imperabit, ſibi nuptiis regnum adjungat quod Siculo ſceptro ſit fortius atque ſplendidius, ne relicta à Regibus patria in illius potentioris provinciam mutetur. Satis eſt ſibi Sicilia, ut Principes ſuos alat; & filiæ meæ conſuluero, ſi illam in ejuſmodi matrimonium dem, in quo ei conjux ſuus fœlicitatem debeat. Thracum eſt uxores emere. Nobilitas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

indoles, virtus, ſponſo inſint; ſatis opum in meâ Argenide erit.

Hæc proniùs ſibi perſuadebat, diu jam in hoc conſilium imminente affectu, ut chariſſimum Archombrotum eo matrimonio ſibi hæredem aſpiceret. Nec credebat obſtituram Argenidem; ſed ſi tamen faſtidiret, patrio jure ad obſequium redigeretur. Reliquum erat de illius ſtirpe reſcire; nam utcunque inſigni virtutibus, tamen novo homini filiam non erat daturus. Satis omnibus agitatis, conclave Argenidis petit, mediuſque inter Patrem & Regem, quò facilius quæ volebat impetraret; ſcio, gnata, non minùs de noſtrorum conſiliorum morâ Siciliam, quàm nos de illius motibus queri. Aviditas enim regnandi, & tuarum nuptiarum ſpes, Lycogenem & Radirobanem ad has quas ſenſimus furias adegit, quæ omnia prævertere potuimus tibi maturè virum legendo. Quid ceſſamus tot malorum fontem obſtruere? Mihi quidem decretum eſt, tibi ſalutem, & meæ ſenectuti columen parare. Nec dubito quod jure meo poſſum, quin & tuâ voluntate facturus ſim. Nonne parenti tuo permittis tibi ſponſum eligere, Argenis? Privato, & publico jure mihi hoc licet: nec repugnare modeſtiæ tuæ eſſet. Cùm anxia virgo ſe deliberaturam referret; deliberabis autem, inquit Rex, an factura ſis officium tuum? Satis morarum fuit. Iterum quæro, gnata, an in poteſtate futura ſis. Ita pro imperio loquentem Argenis reverita, ſe verò futuram ficto ore profeſſa eſt. Laudavit pietatem Meleander, & oſculo dato, ſcis, ait te mihi chariſſimam. Vitam colere ampliùs non amo, quàm ut conſulam tibi. Bene facis, quæ & patri credis & ſeni.

Poſtero die, ut fortè in horto ſpatiabatur, ſevocat Archombrotum; &, ô juvenis, ait, ſi te hoſtis, aut ignotus, rogarem quo ſanguine ortus ſis, curioſam quæſtionem habere poſſes ſuſpectam. Sed amicus cùm tulerim diu tuum genus ignorare, & ſcire nunc expetam; quidni me putes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

id non mea magis cauſa quam tua præſtare? Magna ſunt, & , opinor, non tibi injucunda, de quibus tecum agerem, niſi exquirenda hæc priùs natalium ratio eſſet. Tibi externo quantam fidem habuerim intelligis. Secreta imperii penes te fuerunt. Nec ætas, nec peregrinitas obſtitit, quin omnia tibi concrederem. Et hæc quidem merito tuo. Nam ut cætera omittam; meum caput aquis ereptum, quas pro me propemodum ſubiiſti, & occiſum Lycogenem non poſſum oblivíſci. Poſt mutua beneficia, quid gravaris me ad tui generis notitiam admittere? quot etiam, [1] ita me amet dieſpiter, tui honoris & utilitatis cauſa, nunc quæro. Perculere juvenis mentem hæ preces Meleandri. Quæ cauſa, ut enixè poſtularet id ſcire, quod tamdiu celari haud ægrè habuerat? aut quod beneficii genus quod ſibi ignoto conferri minùs poſſet? Argenidis nuptiæ, qui eâ cogitatione plenus erat, ſtatim mentis oculis oberraverunt, egregiæ fœlicitatis imagine. Rurſus illam ſpem, tanquam vanam & improbam, conatus excutere, verbiſque pluſquam animo compoſitus; hactenus, inquit, geminaſti beneficia tua, Rex; paſſus ab eo te coli cujus genus neſcires; nec jam ſcio quid conferat tuis rebus me impium fieri, id eſt, à parentis imperio recedere, quo mihi ſuper ſtirpe ſilentium indictum eſt. Ne me tamen pervicacis animi accuſes, quà fas erit, cuncta ſuppreſſis regionis parentumque nominibus, evolvam. Regium mihi genus eſt, reſque pacatæ. Neque vi aut ingratiis iſthuc veni, ſed ex parentis juſſu, tuos mores, tuaſque virtutes jubentis inſpicere.

Ita loquentem Rex novo gaudio commotus amplectitur: & quid tibi hactenus, inquit, viſa Sicilia? quid regia mea? aut ut animum, qualis tuus eſt, veriùs tangam; quid tibi ſenectus mea placuit, aut filiæ mores? Cùm ille, jam propiori ſpe, hæc omnia ſe diceret odorare; atqui (inquit

1 *Ita me amet dieſpiter.*] Jupiter diei Pater. Juramentum ex Plauto paſſim.

1 *Macta-*

(inquit Rex) non leviori pretio te mihi emptum volo. Omitto occiſum Lycogenem, meque ſervatum. Adhuc aliquid validius fuit quo animum meum caperes; facti mores ad virtutem, conſuetudo leniſſima, & potiſſimùm quòd me amaſti. Non patiar à te unquam ſejungi. Si ut memoras, & auguror, Regum ſanguis es; tibi Argenidem tanto multorum ambitu quæſitam ultrò deſpondeo. Quantumcunque magnis parentibus natus ſis, non pudenda nurus erit. Supereſt, ut tuas mihi fortunas familiariùs jam prodas, ſpondeaſque te nunquam meos canos deſtituturum. Tremebat nimio ictus gaudio Archombrotus, & quæ toto ſanguine quæſiiſſet ſponte oblata ſuſpiciens, incertum an Deos an Regem veneraretur, ad Meleandri pedes ſe abjecit, tenuitque reluctantis veſtigium. Cumque gratiis finem non faceret, hilarior Meleander, & illius quoque læticiam gaudens, in ſubjecti collum incubuit. Mirum omnibus erat qui in conſpectu ſtabant, quæ hæc mutua eſſet gratulantium charitas. Archombroto autem præcepit Rex, ne eo die rem vulgaret; rediensque ad comites, & ſolito diffuſior vario colloquio tempus modicum abſumpſit. Inde egreſſus in regiam, Archombroto jam ſibi propius hærenti, quamdiu, inquit, te ſines ignorari, & gaudia differes noſtra? de hac ipſa re, ſubjicit ille, te Domine, cogitabam compellare. Duorum menſium ſpatium peto, intra quos fœlicitatis meæ nuntius parenti eſſe poſſim, illincque digno cultu, & profeſſo genere, huc reverti. Meleandrum nomen ipſum diſceſſûs offenderat; &, non patiar, inquit, te à nobis avelli, Archombrote; niſi fortè fœdera noſtra deſpicis, aut viles ſumus tibi, quia priores amavimus. Si conditiones placent, ſcribe in patriam. Nam te ipſum non nunc mari fatiſque crediderim. Archombrotus tantâ benevolentiâ ſenis admonitus quid facere deberet, & quantum amare, regiam manum oſculo ſtringens; quicquid ille juberet, nihil ſe à præſcripto receſſurum aſſeruit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Nondum Rex Argenidem monuerat quem illi conjugem deſtinaret. Cum ergo diſceſſiſſet Archombrotus, eam ad ſe accivit, repetitiſque quæ de neceſſitate matrimonii priùs edixerat, addidit ſe generum elegiſſe, quo non poſſet præſtantior optari; Regio ortu, paribuſque virtutibus, deinde eum eſſe Archombrotum, cui in omen tantorum fœderum, ſervati Regis laudem curru in fluctibus errante, & de Lycogenis capite victoriam fata tribuerant. Hæc non ſine ſupercilio Meleander; propiuſque vim, & imperium, quàm conſilium oratio erat. Comparaverat ſe ad ſimulationem Argenis, & quamquam indignata, ſe ignoto, ſe ingratiis promitti, tamen veluti conſilio patris accederet; nihil, inquit, verendum hîc magis, quàm ne ſubitæ nuptiæ, neminique tuorum prævíſæ aut creditæ, in maledicentiam pateant; dicaturque Radirobanes per injuriam depulſus, quò faveres Archombroto. Tempore aliquo eſt opus, quo tanta novitas mitigetur, priuſque Archombrotus audiatur procus eſſe, quàm ſponſus. Non temnenda Meleandro videbatur hæc ratio; veritus tamen ne turbando nuptiarum conſilio iſtas moras virgo injiceret, ita in experimentum loquutus eſt. Neque nihil ſpatii concedendum eſt famæ: neque fortunæ nimis. Ex tui animi ſententia, Argenis, quid temporis arbitraris convenire? Recuſabat illa loqui, non hoc ſuum, ſed Regis arbitrium eſſe cauſata; cumque pater ſæpiùs inſtaret; tandem ægriùs, & quaſi ſpacium ſuæ vitæ definiens; ut rem video eſſe, ait, duo forſitan menſes ſuffecerint. Tum Rex penè non dubius quin filia omne id tempus ſibi potius quam famæ poſtularet, tamen ne per omnia eſſet durus; atqui promittis, inquit, ſublapſo hoc tempore nihil te nuptiarum omini repugnaturam? Facio, refert illa; neque ſi dii adjuvant, te quicquam in verbis aut meâ vitâ offenderit. Et id prolixiùs pollicebatur; quia interim adfuturum Poliarchum ſperabat, qui utriuſque vitam aſſereret; quod ſi ille non veniret,

finito

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

finito vivendi conſilio reſpiciebat ad mortis libertatem. At lætiora Rex cogitans, illius verba acceperat, veluti ſub paterno imperio domantis affectus, qui antea ſolutam mentem inceſſerant. Blandè itaque compellatam, tanquam victor, & ſecurus dimiſit.

CAPUT VI.

ARGUMENTUM.

Argenis per Arſidam fidum in paucis Poliarcho ſcribit, niſi intra breve tempus redierit, ultro ſe vita defuncturam. Ergo dum Archombrotus in magnam ſpem aſſurgit, Arſidas obicem poſiturus ejus conſiliis ad prolixum iter ſe accingit.

SED illa tot malis incitata, nunquam ſe infœliciorem cogitabat quàm in publicâ fœlicitate. Nam Lycogene victo Radirobanem nuptias ſuas, id eſt, mortem optaviſſe; vix deceſſiſſe eam curam, & reſpirante Siciliâ ſibi jam præſentiores inſtare ab Archombroto metus; qui adeò fœlici ad nocendum ſucceſſu provectus ſit, ut vel Radirobanis deſiderium faciat. Ergo, inquit, ſemper meam, aut patriæ vicem dolebo? Ergo non molliori conditione cum Siciliæ miſeriis tranſigunt fata; quàm ut omnium cladem meo capite redimam; hæc pompa, hi cultus, hæc frontis decora, [1] mactationes erunt, quibus patriæ diris voveor? [2] An Macaria Herculis, [3] an Agamemnonis Iphigenia ero; & tranquillitas innocenti ſanguine emenda eſt?

Sed

1 *MActationes erunt, quibus patriæ diris voveor.*] Vitam ſe ſibi erepturam aſſerit, ubi nota pro patria non paucos olim ſe devoviſſe Manibus, teſtis ille Curtius, qui ſe in hiatum terræ præcipitavit, Decius uterque, pater & filius bello Latino & Hetruſco, tercenti Fabii, &c. adi Titum Livium.

2 *An Macaria Herculis.*] Hæc Herculis filia ſe pro incolumitate publica devovit Manibus ad expiandum ſcelus populi. Pauſanias cum Euripide aſſerit ob reportatam de Lacedæmonibus victoriam ex oraculo Athenienſibus facto, ſibi jugulum aperuiſſe, unde & divinis honoribus dignata eſt.

3 *An Agamemnonis Iphigenia.*] Agamemnonis & Clytemneſtræ filia, occiſo à Rege in Aulide cervo, indignata Diana adverſos ventos cum dediſſet, conſulto oraculo deam Agamemnonis ſanguine placandam eſſe reſponſum eſt. Unde Ulyſſes eam abduxit prætextu nuptiarum cum Achille contrahendarum. Vide Dyctin Cretenſem, & Darem Phrygium. In Andromeda, ac Heſione exemplum non abſimile, videre eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Sed non diu me fortuna ludibrio habebit. [1] Decumanus hic fluctus, aut tempeſtatem conſummabit, aut victam navem deducet. Teſtes dii quàm libenter nunc mortem uſurpem; niſi & te vererer, Poliarche, & Seleniſſa ſuo exitu docuiſſet id etiam in ſcelera eſſe remedium. Penſare deinde ſolicitè cœpit, an operiretur adventum Poliarchi, an eum literis maturaret. Plus uno menſe erat, ex quo ille abierat, in tertii menſis finem reditu deſtinato; & cogitabat eſſe amantis (qualem Poliarchum ſciebat) prævertere potiùs diem, quàm totum expectare. Conſtituit tamen ſcribere, & recenti impetu verba ſe ultrò ingerentia ita explicuit. Quamquam abſum, Poliarche, fortè plus tamen ipſo te ſcio quid valeas. Nam ut ſis illic incolumis, certè perire hîc incipis fato meo: quod mihi de vitâ quantillum reliquerit, ex literis iſtis intelliges. Radirobanes, præter regium decus, & fas hoſpitii, turpiſſimum facinus auſus, quia ei placari non poteram, mei rapiendi conſilium iniit. Neſcio quæ ſpectacula commentus quæ ad littus præberentur, me illuc cum parente pertraxerat. Tantùm non avehebantur, cum patefacto flagitio nos in oppidum refugimus, ille in ſuam claſſem ſeceſſit. Verſus inde ad furias, auſus eſt meam famam ſcriptis ad patrem literis violare; quaſi te liberiùs quàm decet amaverim. Quippe noſtram familiaritatem Seleniſſa prodiderat; & hinc impio juveni fuit ad contumelias argumentum. Sed pater pro me ac vero ſtetit. Et Seleniſſa quidem ſponte ferro expiavit perfidiam. Ille autem malo omine, ſi dii quidem boni ſunt, in Sardiniam abiit. Eo diſceſſu fœlix eram, cùm me pater: (Timeo loqui, ne eum odiſſe incipias. Fata ſunt quæ nos urgent: his potiùs indignare, Poliarche.) Pater, inquam, me jubet amare Archombrotum.

Regi-

1 *Decumanus fluctus.*] Extrema iſta calamitas; Allegoria ducta à tempeſtate. Dicitur enim *decumanus fluctus* violentiſſimus, quaſi *decimus*, qui numerus ultimus eſt. Ovid. 2. Metamorph.

Vaſtius inſurgens decimæ ruit impetus undæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Regibus ortum dixit; mores, indolem, ſpeciem, placere; ſibi hunc denique generum fore. Ego intempeſtivâ pertinaciâ timui accendere obſtinatum. Satis fuit, prætextu alio ſpatium impetrare quo tu venire poſſis; vel ſi ceſſas, arbitrio meo liceat mori. Duo menſes probandis nuptiis dati ſunt. Intra illos armatus ſi advenis, accedam ad partes; ſin inermis, omne furtum tentabimus. Quòd ſi me deſtituis, tunc cùm nuptiæ ornabuntur, omnes cultus mihi patiar adhiberi; & [1] ubi dexteram pater poſcet quam tradat Archombroto, dicam diis manibus ſacram eſſe; ſimulque brevi ſicâ, quæ ſub veſte abdita erit, miſerrimum pectus ſolvam. Hæc ſi ita contingent, audi jam nunc Poliarche ultima vota; cogita tibi hæc dici ab Argenide in ſuo ſanguine volutata. Parenti meo ignoſce. Satis ſupplicii fuerit, quòd illicito meæ mortis ſpectaculo vultus illius funeſtos efficiam. De Archombroto quod placebit, conſtituas. At Radirobanem inultum vivere ſi ſines, [2] redibo ab inferis te admonitura officii. Exige à perfido turpiſſimi flagitii ultionem; luat pœnas prædator, quoad potuit, famæ meæ, & ex iracundiâ tuâ intelligat quantum deliquerit. Hanc vindictam, hunc laborem anxiè mando; huic te teſtamento meo damno. Ultione perfunctus, [3] jube in patrio tuo ſepulchro incidi meum nomen, & caſus utriuſque referri marmoribus, in quibus noſtram fidem poſteri probent, damnentque fortunam. Hujus autem Inſulæ comſpectum, mi Poliarche, defugias; niſi meos cine-

res

1 *Ubi dexteram pater poſcet, dicam diis manibus ſacram eſſe.*] Ubi ad conjungendas manus impellar à patre pro firmandis dudum recepto more nuptiis, dicam me & meam dexteram devotam eſſe diris.

2 *Redibo ab inferis.*] Umbras aliquando rediiſſe ex inferis maximè ad vindictam credidit antiquitas. Quomodo ipſe Homerus Achillem educit ex inferis ad mactandam Polyxenam; & Thyeſtis umbram, Ægiſthum ad vindictam Agamemnonis impellentem.

3 *Jube in patrio tuo ſepulchro incidi meum nomen.*] Eadem fides mutua apud Ovid. in Pyramo & Thiſbe, libro 3. Metamorph. & 11. in Alcione:

—— Inque ſepulchro
Si non urna, tamen junget nos littera, ſi non
Oſſibus oſſa meis, at nomen nomine tangam.

1 *Sponſæ*

res amabis, & [1] ſponſæ tuæ urnam admovere pectori voles, aut etiam (quod dii faxint) cum manibus majorum tuorum recondere. Iſta mala, ſi potes, anteverte reditu tuo, nam diſcrimen cunctationem non recipit. Si non potes, cura mandatum morientis, & ut me ames, vive.

Obſignatis litteris, diu ſecum expendit cujus fidei legationem hanc crederet. Neminem habebat cujus conſilio uteretur. Quippe Timocleam biduo antè in locum Seleniſſæ ſuffectam, in tantæ rei ſecretum admitti non maturum videbatur. Arſidam autem unum toties adhiberi his furtis non probabat; ne ille tot periculis laſſatus, Meleandrum timere inciperet: illius præterea diſceſſus ab Inſulâ ignorari non poterat. Nemo tamen commodior ſuppetebat; maximè quia omnium erat fœderum conſcius, quibus ſibi Poliarchum ipſa devinxerat. Ergo ad ſe vocatum ita alloquitur. Si timerem ne me quoque deſereres, Arſida, ingererem tuæ menti Seleniſſæ memoriam; quam proditionis ſtimulos ipſa morte graviores duxiſſe ideò arbitror, quia eam in remedium popoſcit. Scias enim (quod utcunque ego & pater celamus) illam anum, mea cum Poliarcho ſecreta ad Radirobanem detuliſſe, moxque conſcientiæ terrore afflictam, ſuo judicio manuque periiſſe, ut vidiſtis. Sed tibi fidiſſimo viro, ſi vivemus, plus à nobis præmii erit, quam huic à proditione ſupplicii. Spectat ad finem negocium. Expecta majora à nobis quàm quæ tua modeſtia poſſit concipere. Cæterùm literas habeo ſumma fide, & diligentiâ tradendas Poliarcho. Tu fidum hominem delige cui illas committamus. Sed da, ſi potes, ejuſmodi, cujus tibi in arduis fides perſpecta ſit. Haud cunctatus eſt Arſidas; & fideliorem, inquit,

1 *Sponſæ tuæ urnam admovere pectori voles.*] Priſcus iſte mos admovendi pectori urnam conſtat ex Ovid. libo 8.

—— *Cineres hauſtos ad pectora preſſant.*

Et 13.

Inque ſinu cineres ſecum tulit Hectoris hauſtos.

Et Cornelius Tacitus lib. 2. Annal. *Agrippina aſcendit claſſem cum cineribus Germanici*; & paulo poſt, *cum ferales reliquias ferret ſinu*, &c.

1 *Antium*

quit, me ipſo, Domina, neminem novi. Quid tam citò das mihi miſſionem, nondum juſtam, ac nec puto ignominioſam promerito? Exequar quicquid mandaveris; neque Poliarchus quacunque Orbis parte nunc degat, diligentiam meam fallet.

Benè læta hac pollicitatione Argenis, rogabat ecquid ficturus eſſet cauſæ navigandi ab Inſulâ. Pars eſt Italiæ, ſubjicit Arſidas, quam Latium appellant. In eo littore [1] Antium prominet, oppidum templo Fortunæ celebre, quod illic multæ religionis eſt. Fingam votum ad Deam; carebit ſuſpicione hæc pietas. Ubi autem Siciliâ exceſſero, quàm multa longioris viæ commenta ſunt? negocia, curioſus animus, alia denique vota. Jube tantùm; &, ſi potes, quò iter inſtituendum ſit mone. Si tibi certum eſt (inquit Argenis) hanc habere gratiam; moneo, mi Arſida, ut pro reliquâ tuâ ſedulitate quantum poteſt approperes. Poliarchum habebis vel in patriâ ſuâ, vel huc ad nos venientem. Plus hodie audies ex me quàm tot annis Seleniſſa. [2] In Gallia amnis eſt, quem Ararim dicunt; is alteri cui Rhodanus nomen, committitur. Utriuſque fluminis tractum quà à fontibus ad mare pertingunt, paternum Poliarchi imperium eſt; hoc parentes jam habent; hoc ipſe deinde unicus gnatus expectat. Vide quanto homini benefacias. Si igitur, ut conjicio, in patriâ eſt, ne metue errorem. Muti quoque te muri ducent ad Principem. Tu modò, quòd his literis facio, hortare ut quàm primum promiſſo ſe exolvat; redeatque non privatâ modò virtute, ſed viribus regni tutus. [3] Antianam verò Fortunam (nam per hoc littus via eſt) meo nomine ſaluta; & de tuo itinere,

1 *Antium oppidum templo Fortunæ celebre.*] Dictum *Antium* eſt, quod ante alias urbes in ipſo littore hæc urbs ſita fuerit. In ea templum fuit Fortunæ, quæ *Antiana* dicta, teſte Horat. 1. carminum:

O diva gratum quæ regis Antium.

2 *In Gallia amnis eſt.*] *Araris*, qui Arvernos. Heduoſque alluit, & Rhodanus, qui duo amnes juxta Lugdunum in unum confluunt alveum.

3 *Antianam vero fortunam.*] In oppido Italiæ, quod dicitur Antium, ubi percelebre Fortunæ templum.

1 *Oſciſ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

re, meaque expectatione conſule deam. Cæterùm gemmam hanc accipias, quam quoties in tuo digito videbis, meam & Gallici Principis ſalutem ex celeritate tuâ pendere memineris. Sub hæc verba ingentis precii annulum tradit, ſimulque ad Poliarchum codicillos. Ille auditâ Poliarchi dignitate hilarior, mirari tamen cœpit, quòd per tot ambages, tanquam impares nuptiæ procurarentur; donec admonente Argenide, lex Siciliæ in memoriam rediit, quæ vetabat potentiori ſceptro Siculos Reges nuptiis conjungi. Sat verò conſtabat, Meleandrum non modò ad patriarum legum reverentiam obſtinatum, ſed ſolitum hanc ipſam ſanctionem, inter cæteras mirè attollere. Tunc verò & Virginis ſapientiam Arſidas probavit, quæ hactenus nec Patri, nec Siculis aperuiſſet interdicta conſilia; & neceſſarium à Galliâ exercitum eſſe cognovit. qui veluti in Archombrotum comparatus, hanc legem antiquaret.

Igitur & ſuapte virtute, & Seleniſſæ defectione, ad fidem incitatus, poſterâ die iter quod dii benè verterent, exorſus eſt. Placidi venti tutum in Italiam pelagus præſtitere. Illic mutatâ navi, ne Siculis notiſque remigibus in ſecreto uteretur negocio; magnæ Græciæ littora celeriter obivit; [1] Oſciſque ſuperatis Antium venit.

CAPUT VII.

ARGUMENTUM.

Arſidas ad templum Antianum ex præſcripto Argenidis Fortunæ litaturus appellit. Sacris peractis ſacerdos inter convivandum inſinuato ſermone Arſidam docet, non aliam Fortunam Fatumque, aut eſſe, aut coli, præter providam circa inferiora numinis ſapientiam.

VETUSTISSIMÆ religionis templum in littore erat, quod Fortunæ Majores ſacraverant. Id ubi monſtrantibus accolis Arſidas conſpexit, tacitis plenus votis jam

1 *Oſciſque ſuperatis.*] Populi ſunt Campaniæ ab oris fœditate, unde *Oſcena* & *Obſcena verba.*

jam tum numen ſalutavit, procubuitque in arenam. Procedenti deinde ad limina ædis præſtò [1] Sacerdos fuit in candidâ veſte, cui limbus erat ex purpurâ. Multam caniciem ſparſerat humeris, redimito laureâ vertice, manuque baculum coronatum tenebat. Ille Arſidam, adhuc ut de viâ præcinctum, ubi vidit intra fanum pergentem, ita comiter affatus eſt: ſive exoraturus aliquid venis: hoſpes, ſive ab iis quæ timebas jam te noſtra dea explicuit, afferſque animum nova beneficia promeriturum, ſubi humaniſſimi numinis vultus; illoſque vel licito ſanguine, vel ſi mavis thure propitia. Tum Arſidas, quia iſte cultus, Pater, te Antiſtitem oſtendit; priuſquam deam ut mihi favens ſit veneror, ne quid in religione peccem, mone [2] quo ritu me ablui, & quam hoſtiam dare ſacra hæc velint; an præterea [3] in peregrino hoc habitu Fortuna ſupplices agnoſcat. Nam & deæ facere volo; & longam cunctationem navigatio opportuna non patitur. Sacerdos illicò fontem monſtravit qui in veſtibulo manabat. [4] eo ter oculos manuſque ablueret; togam ſe & coronam illi interea prom-

1 *Sacerdos fuit in candidâ veſte.*] Virg. lib. 12.

—— Puraque in veſte ſacerdos.

Et Horat. 2. lib. Sat. 2.

—— Alioſque dierum
Albatus feſtos celebret.

Vide plura apud Prudent. Hymno 1. de coronis, ubi fuſe de ritu ſacerdotis.

2 *Quo ritu me ablui & quam hoſtiam dare ſacra hæc velint.*] Lactentem vitulam fuiſſe immolatam ait inferius, deſcribitque cæteros ritus Virgil. libro 6.

Item ter ſocios pura circumtulit unda.

Et Ovid. 4.

Læta redit Juno, quam cœlum intrare parentem
Roratis luſtravit aquis Thaumantias Iris.

Idem lib. 5.

Spargit & ipſe ſuos lauro rorante capillos.

Et ſeptimo;

Ter ſe convertit, ter ſumptis flumine crinem
Irroravit aquis.

Sic Iliad. lib. 6.

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισι Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον ἅζομαι.

Manibuſque illotis Jovi libare ardens vinum pudet me. Plura habebis infra.

3 *In peregrino hoc habitu Fortuna ſupplices agnoſcat.*] Arſidas enim erat Siculus, & in Latium peregrinabatur.

4 *Eo ter oculos manuſque ablueret.*] Mos fuit apud omnes nationes, etiam Judaïcam, corpus abluendi ante ſacra maximè, ſi aliquo ſcelere ſe maculaſſent. Apud Judæos vas ingens erat ad lotionem, quod Mare dicebatur. Heſiodus voluit nulli deorum ſacra fieri, niſi prius lotis manibus.

Ter oculos, &c.
Ter numero deus impare gaudet.

1 *Victi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

promptúrum. [1] Victimas in Deæ atrio puras eſſe, quæ emptores expectarent, [2] ſeu quis majoribus facere ſeu minoribus vellet. Vade, inquit Arſidas, ô Pater & ipſe ex hoſtiis delige quas ſcis Fortunæ gratiſſimas; ſimul dexteram porrigentis nummis aureis implevit. Dumque ille utilem ſibi pietatem officioſiſſimè exequitur, [3] Arſidas hauſtis de fonte aquis, cum omnibus ſuis ablutus eſt. Valvas deinde templi, & viliora donaria quæ paſſim pendebant breviter contemplatus, hæſit in priſco marmore quod non longè à limine hos verſus ſubeuntibus templum monſtrabat.

Eſte procul ſontes, ſacroque abſiſtite templo,
Queis fixum dat corde nefas, aut vulnere diro
Livor edax varios ducit per viſcera morſus:
Aut quibus exhauſti non exſaturabile pectus
Crudeſcit vulgi ſpoliis, queis longa ſenectus
Viſa patrum, thalamive quies pulſata pudici.
Non juvat, heu cæci, non limina verrere vultu,
[4] *Non votiva tholo,* [5] *non aris ponere vittas;*
Ni primùm [6] *eluitur mens fletibus. Ite profanæ,*

Ite

1 *Victimas in Deæ atrio puras eſſe, quæ emptores expectarent.*] Vendebantur mactandæ victimæ in atrio templorum. Ut in templo Libitinæ. *Puras* dixit quæ optimæ, quæ egregiæ dicebantur, ob puritatem coloris, id eſt, ſi nullas haberent maculas. Ovid. lib. 2. Metamorph.

Victima labe carens & præſtantiſſima forma.

2 *Seu quis majoribus facere ſeu minoribus.*] Victimis ſcilicet minoribus, aut majoribus ſeu Ecatombe. Liv. lib. 1. *Senatus ab L. Æmilio Coſ. hoſtiis majoribus ſarcificari juſſit.* Idem lib. 22. *Junoni Reginæ in Aventino Junonique Sophiſtæ Lanuvii majoribus hoſtiis ſacrificaretur.*

3 *Arſidas hauſtis de fonte aquis, cum omnibus ablutus eſt.*] Ita lib. 3. Æneid. Vide ſupra:

—— Donec me flumine vivo
Abluero. —— ——

4 *Non votiva tholo.*] Vota, ut vexilla, tabellas, &c. tholis templorum appendebant, ut illa poſteris non mediocris ſtimulatio eſſet, ne degeneres ipſi tam claros triumphos turpibus factis fœdarent. Horat. lib. 4. Ode 15.

Et ſigna reſtituit Jovi
Direpta Parthorum ſuperbis
Poſtibus.

Tibul. l. 3.

Fixa docet templis multa tabella tuis.

Virg. l. 6. Æneid.

—— Caſus effinxit in auro.

5 *Non aris ponere vittas.*] Ita Virg. in Bucolicis:

Effer aquam & molli cinge hæc altaria vitta.

Et Vincentius Carteri aras laneis velatas fuiſſe faſciis refert in Hymenæo.

6 *Eluitur mens fletibus.*] Mens fœda ſceleribus non abluitur ſacrificiis, ſed lachry-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Ite preces, & [1] *dona ſuus quæ polluit author.*
[2] *Non fibris pecudum, vel parvi ſanguinis hauſtu*
Numen eget. Solo finxit Deus omnia nutu,
Aptaque cæruleis ſinuavit corpora venis,
Quæ miſtas paſcant animas. [3] *Hæc extulit alis,*
Hæc finxit graviore ſolo, quæ rura, domoſque,
Et vaſtas colerent ſylvas; auriſque carentem
Ipſe etiam vitam ſub cæcis condidit undis.
[4] *Quin & Idumæo ſudant quæ balſama cœlo,*
Cinnamaque, & [5] *ſylvis ſpirantia thura Sabæis,*
Idem author rerum, variis adoleſcere ſuccis
Juſsit, & æthereos ramis infudit odores.
Quid tua, ceu largus Superis, nunc munera jactes,
Sive boves aris, [6] *calamos ſeu ſternis Eoos?*
Aut plenâ fers æra manu? Sua thura ſuaſque
Ah veſanus opes, tanti ne vendere ſummo
Quære Jovi, [7] *& parvo culpas obtendere fumo.*

Jamque cum victimis Sacerdos proceſſerat, & [8] Arſidas coronâ redimitus, in candidâ veſte ante deæ ſignum pro-

lachrymis quas internus dolor expreſſerit. Ita Seneca, cujus epiſtolam habet Lactantius capite ultimo, & Silius Ital. ſub fin. 4. lib. de bello Punico:

Quæ porro hæc pietas delubra aſpergere tabo
— Juſta, ite precari
Thure pio cædiſque feros avertite ritus.

1 *Dona ſuus quæ polluit author.*] Recuſat Deus inquinata mente coli, ſpiritus eſt Deus, & in ſpiritu vult adorari, neque curat victimarum cruorem. Cato diſticho 1.

Si deus eſt animus nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè ſit pura mente colendus.

Nota Barclaium hic vertiſſe Pſalmum 49. ab illo verſiculo, *Deus tuus ego ſum, non accipiam de domo tua vitulos, &c.* ferè uſque ad finem Pſalmi.

2 *Non fibris pecudum Numen eget.*] Quæ adolebantur effuſo, ſeu libato ſanguine diis. Ovid. 4. Faſt.

Sectaque fumoſis exta dedere focis,

3 *Hæc extulit alis, Hæc finxit graviore ſolo.*] Belluas in triplici differentia Deus creavit, alias in altum alis extulit, alias ſub aquis recondidit, alias ſuper terras ſylveſtres atque domeſticas errare voluit.

4 *Quin & Idumæo.*] Regio inter Idumæam & Arabiam, in qua naſcitur Balzamum.

5 *Sylvis ſpirantia thura Sabæis.*] In ſola Sabæa, quæ regio eſt Arabiæ fœlicis optimum thus naſcitur. Ita Plin. Jun.

6 *Calamos ſeu ſternis Eoos?*] Primitias frugum, animaliumque diis offerebant, imo & aurum. Ita Varro.

7 *Et parvo culpas obtendere fumo.*] Incenſis victimis, vel thure deos placare.

8 *Arſidas in candida veſte.*] Perſius Satyr. 2.

Jupiter hæc illi quamvis te albata negarit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

procumbens ferebat ſua vota, quæque præterea Argenis mandaverat. [1] Lactens vitula, agnique gemelli in victimas Sacerdoti placuerant; hæc non operoſa ſecuri procubuit; illos, [2] ne capita convivio perirent, leviori fato culter confecit. [3] Exta optima eſſe clamavit Sacerdos; [4] datiſque mox ſortibus, Fortunam quæcunque Arſidas poſtulaviſſet cuncta annuere. Sibi deinde [5] quæ Numini immolaverant coxerunt; ſecundiſque ſub menſis, dum cæteri acriùs biberent, cœpit Arſidas cum Sacerdote diſputare de fatis, & ſortibus, Fortunæque in Orbem imperio; quia eſſe Philoſophum de vario ſermone cognoverat. Et ille ubi Arſidam ſapere vidit, dignumque altiori religionum commercio; ita dicere orſus eſt: Quid ſit quod Fortunæ nomine colimus (hoſpes) adeò vulgus ignorat, ut myſterii ſanctitatem propemodum contrariâ interpretatione corruperit. Fortunam appellant quicquid incertum eſt; volunt autem eſſe incertum quicquid habet eventus huma-

Apud Homer. Penelope καθαρὰ χροῒ εἵματ' ἔχουσα. Tibul. lib. 2. Eleg. 1.

Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite.

Livius lib. 5. *Delecti omni exercitu juvenes, lotis purè corporibus, candida veſte, &c.*

1 *Lactens vitula, agnique gemelli.*] Agnis, quia mites ſunt, Deos placare & conſulere, futuraque prænoſcere, mos fuit: infra ex bobus & vitulis laudatiſſimæ victimæ ad Deorum placamenta habebantur.

2 *Ne capita convivio perirent.*] Quæ comederent, ut paulo infra, *quæ numini immolaverant coxerunt.*

3 *Exta optima.*] Nullis, ut dixi ſupra, conſperſa maculis, vel puſtulis ulcerata, non extra locum amota, ſed integra, &c. dicta ſunt *exta*, quod ea diis proſecentur, quæ maximè extant.

4 *Datiſque ſortibus.*] Reſponſo à ſacerdote, & extiſpice reddito, per extiſpicium, id eſt, per victimarum exta, ſive ex oraculi effato. Ovid. lib. 5.

Protinus ereptas viventi corpore fibras
Inſpiciunt, menteſque deûm ſcrutantur in illis.

5 *Quæ Numini immolaverant, coxerunt.*] Immolatis enim veſcebantur victimis, quarum eſu, gratiores ſe Deo æſtimabant. Virg. lib. 5. Æneid.

Dona ferunt onerantque aras mactantque juvencos,
Ordine ahena locant alii, fuſique per herbam
Subjiciunt verubus prunas, & viſcera torrent.
Veſcitur Æneas, ſimul & Trojana juventus,
Perpetui tergo bovis, & luſtralibus extis.

Hoſtia immolata & myſteriis peractis, qui ſacris intererant, viſco & farre appoſito cum rotundis paniceis, quas in honorem deorum adhibebant, ſtantes veſcebantur, quibus extis niſi ritè perfecto ſacrificio veſci non licebat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

humanis mentibus incognitos. Ideò levem deam, ideò cæcam fingunt, & plus vitii numini quod colunt imputant, quam ferrent in homine; ut nec certum ſit, ſæpiùs iſta dea ab inſanis probra ferat an ſacra. Si quid peccant, ſi quid expectationem fefellit, continuò Fortuna vapulat. Exprobrant quòd malos evexerit, quòd difficilis bonis cavere videatur ne probè quid judicet. Nec miſeri vident, ejuſmodi Fortunam non divinum aliquid eſſe, ſed ſuperſtitioſi animi ludibrium, qui ſua ipſe commenta per ſuperfluas curas timet aut placat. Nam illud quod ſibi fingunt numen, omnia quæ mortalibus accidunt, & fortuita appellamus, regere, & ex orantium votis diſponere, aut poteſt, aut non poteſt. Si non poteſt; quid igitur facit? aut quò hæc inutilis dea cui in ſuo regno nullum imperium? An præſidere humanis caſibus illam dicas, quæ non eos præcipitare poſſit, non tenere, aut mutare? Niſi fortè non ſatis fluere poſſent rerum hæ vices, & veluti naturæ temeritas, abſque score ociosâ hac deâ, cui præter nomen atque invidiam, nihil relinquunt. Cur denique aras illi ſtatuimus? ſorteſque in hoc templo conſulimus, priùs nobis multo victimarum ſumptu devinctas? Infœlix ſuperſtitio eſt, ſi illic conſumitur unde nihil metuas aut expectes. Sin putas ab eâ ordinari caſus humanos, qui alioquin errarent, & ex ſupplicum pietate diſtribui, jam Fortuna certè non eſt; modò hoc nomine cum vulgo intelligas numen, quod res humanas non conſilio, ſed imprudentiâ ſinat evolvi. Ut te paucis abſolvam. Veniſti Fortunam exoraturus; illi feciſti; denique litaviſti. An res tuas exiſtimas commodiùs eſſe caſuras, quàm ſi deam neglexiſſes? Si exiſtimas; ergo Fortuna temeraria non eſt, quæ novit quibus indulgeri oporteat; nec inconſultè, ſed ex merito ſævit aut favet; id eſt, non eſt illa Fortuna quam populus facit. Sin inutilia credis hæc ſacra, cur ſupervacuo labore nihil profuturam pietatem his templis impendimus? At (inquies) non venimus eam ſortem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

mutaturi quæ noſtris rebus decreta eſt; ſed tantùm quæ ſit ea ſors accepturi oraculo. Si ſic cenſes, certè fateris, jam Fortunam ergo ſcire quid te dii mulctaturi ſint, quid etiam adjuturi. Cui conſequitur, nihil in orbe temerè, diiſque improviſum aut neglectum contingere; quod nec convenit cum populari illâ fortunâ.

Vides ut fortunam ſuſtuli, hoſpes, non illam quidem quam colo, ſed quam imperiti conſtituunt, & quæ cum ſummâ illa mente convenire non poteſt quæ omnia ſuo arbitrio conſtituit, quæ naturam condidit; quæ rebus cauſas dedit, eaſque perpetuò abditiſſimâ ratione propagat. Neque enim ſi ignorant in tempeſtate mediâ nautæ, quis finis fluctibus, quis exitus vento; ideò Jovi certum non eſt, ſolvi ratem an ſervari ſtatuerit. [1] At nec dicas, fruſtra nos igitur ſupplicare Cœlitibus; &, ſi jam olim Numini certa ſunt omnia quæ nobis eveniant, vanam fore id quod futurum eſt deprecantis orationem. Abſit hæc in deos contumelia, quos irrito aut ingrato labore nemo ſibi conciliat. Quippe Jupiter cùm Orbi initium, & Naturæ leges daret, cùm ſeriem rerum, cauſaſque & eventus inter ſe connecteret, haud neſcivit quid eſſes aliquando tuâ in eum pietate meriturus. Non ſunt illi novæ hæ preces, quas hodie fundis, ſed jam tum cognitæ, cùm de Orbe, de humano genere, de te ipſo ſtatueret. Tuâ igitur pietate, tuiſque virtutibus miteſcunt decreta; quæ tunc in te ſcripſiſſet, abſque his votis foret quorum in animo tuo religionem prævidit; eadem ratione, nec ſecura credat impietas nihil ſe ſævitiæ extorquere à diis iratis. Nam hæc tela quę facinoroſis imminent, non paraſſet ultor Deus; niſi quod nunc ſcelus patratur, jam tum futurâ turpitudine coëgiſſet ad has iras illius æquitatem.

Ea vis autem & ſcientia Jovis, quæ ventura omnia, & quic-

1 *At nec dicas, fruſtra nos ſupplicare Cœlitibus.*] Malum accidit, non quin prævidit Deus, ſed prævidet, quia futurum eſt conſecutive, non cauſaliter.

1 *Sapien-*

& quicquid ignoramus, in conſpectu liquida habet; eſt hoc quod Fortunæ nomine philoſophi colimus; quia res illæ videntur noſtræ cæcitati fortuitæ; licèt Deo in numerato ſint, ſuâ noſtraque voluntate præcognitâ. Ut igitur [1] ſapientiam Jovis Palladem dicimus; [2] ut ſerenus, aut pluvius varia nomina habet; ita rerum illarum adminiſtrationem quæ nobis arcanæ ſunt, & ſuſpenſos animos tenent, fortunam appellamus. Huic templum, huic ſignum ſtatuimus, ut nos futura edoceat, molliatque rerum eventus, & in ſalutem noſtram vota admittat. quæ ſi ritè à nobis funduntur, jam olim valuere, noſque juverunt, cùm Natura rerum omnium cauſarumque ſemina atque legem acciperet. Hanc te (hoſpes) Fortunam, venerari, huic gratias habere æquiſſimum; maximo, inquam, Jovi, qui conſiliorum exitus tibi hactenus incertos, extorum & ſortium ſignis, promiſit pulcherrimos. Nam ſi qua mihi fides eſt, litaſti egregiè. Vade ſecurus; [3] vade Fortunâ noſtrâ, id eſt, deorum ſummo, fretus.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

Arſidas è portu Antiano ſolvit. Et Hetruſco mari ſuperato, numeroſæ claſſi factus obvius, in deditionem ac fidem Ducis, Gobryas erat, accipitur. Mox data dextera iſte Arſidam de Siciliæ rebus ac ſoli genio dicere rogat: viciſſim Arſidas à Gobrya, principis, cujus claſſis erat, nomen quærit.

PROLIXAM philoſophiam bis nauta interpellaverat, Arſidam monens intempeſtive ceſſare remigia. Is itaque Sacer-

1 *Sapientiam Jovis Palladem dicimus.*] Pallas enim, cum nata credatur ex cerebro Jovis, non perperam Sapientia dicitur: vide ſupra.

2 *Uti ſerenus, aut pluvius.*] Supple, Jupiter, qui pro æthere non raro ſumitur. Ennius:

Aſpice hoc ſublime candens quem invocant omnes
Jovem. ——

3 *Vade forttunâ noſtrâ, id eſt, deorum ſummo, fictus.*] *Nempe nulla eſt fortuna, nullum fatum, præter divinam providentiam, quæ regit omnia in pondere, numero & menſura*, inquit Boëtius in Conſolatione Philoſophiæ: *Cave ergo dicas*, inquit Senec. *temerè hoc factum eſt, ſponte hoc contigit; nihil enim non præfinitum; nullum malum eventum, nec malam, dixeris horam.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Sacerdoti & operæ & ſapientiæ gratias agens, adhuc nummos prodegit, quibus victima alia emeretur, craſtino ſacrificio ſe ſuoſque Fortunæ commendatura; & deducente ad littus Antiſtite, intravit triremem. Commodis igitur ventis Latium ſuperat; mox Etruſcum ſtringit mare, cænoſis & inſalubribus vadis ad littora effuſum. [1] Ligures inde erant, quorum ſinus ſulcabatur; cùm haud pauca navigia, adhuc tanquam nubeculæ, aut extantia procul ſaxa, in conſpectum venerunt. Poſtquam propiùs acceſſere, monuit gubernator militarem ſpeciem ſibi videri; niſi fortè peiratica claſſis erat illam oram populatura. Nihil tutius quàm ad terram, quamvis ignotam, navigare. Sed prærupti in littore montes obſtabant; ad quos inter brevia non poſſet ratis accedere; neque ſi acceſſiſſes, viam quâ enitereris, per prærupta offenderes. Dum ergo dubitant nautæ, hærentque in utriuſque contemplatione periculi, jam eos emiſſæ triremes incluſerant. Non deerat Arſidæ animus ſeipſum vindicandi; ſed navigantium legem huic ſubinde timidi nautæ monſtrabant; imminere in defenſione exitium. At [2] demiſſis antemnis ſi dederent navem, mitioris exitûs ſpem offerri. Quippe ſi à legitimi exercitûs militibus capiebantur, parum damni deditos manere; ſin prædones illi erant, ſpoliis certè & facilitate eſſe placandos. Hæc Nautæ remigeſque Arſidæ memorabant, qui cùm tardiùs deditionem annueret, ipſi ſuo auſpicio antemnas deducunt; ſublatis quoque remis opperientes venientium arbitrium. Ubi autem adverſæ triremes obnoxiam ratem ſibi harpagine junxerunt, placidè cœperunt explorare, qui homines, aut unde navigarent. Omnia nautæ ſimpliciter retulerunt, ſe ex magnâ Græciâ navigare Maſſiliam, ab externo homine conductos; Arſidamque monſtrabant. At ille interrogatus cùm perplexiùs re-

ſpon-

1 *Ligures, quorum ſinus ſulcabatur.*] Nam in mari Liguſtico navigabant.

2 *Demiſſis antemnis ſi dederent navem.*] Deditionis ſignum; unde tritum adagium *Caler le voile.* Eſt antemna tranſverſum lignum, quod vela ſuſpendit.

1 *Gobryas.*]

ſponderet, ſcilicet quibus loqueretur ignarus, ſuſpicionem hoſtilis animi fecit. Captus ergo, & in aliam navim delatus eſt, juſſique qui eum vexerant, cum navigio ſuo ſequi. Nihil tamen ultrà nocebant, idipſum humaniter excuſantes, quòd eum veherent ad ſui Præfecti colloquium. Haud procul prætoria navis extra remigum operam velis tumentibus veniebat, in quam producto Arſidæ dux militum occurrit, dataque dexterâ Græcis verbis vetuit, ne quid durum expectaret? Sed ita eſt, inquit, ratio belli: excutienda ſunt omnia. Neque occupandi tantùm hoſtes, ſed plerumque etiam ex amicis ignotiſve informamus conſilia. Quòd ſi ipſe ad tuam navem iviſſem, illic habitâ quæſtione, nulla per me fuiſſet, ſi quò properas, mora. Arſidas in tantæ humanitatis ſermone confidentiam cùm ſumpſiſſet, quâ licuit cuncta profeſſus eſt: ſe Siculum eſſe; & in Galliam ad amicum ire dixit; ſperabatque ſe confeſtim dimittendum. Sed Præfectus audito Siciliæ nomine hæſit intentiùs, ſciſcitatuſque quid illi in Galliâ commercii eſſet; nolim, inquit, tibi durum videri, ſi hodie tibi cœnam, hoſpes, exhibeo. In Prætorio meo dormies, quanto omnes poterimus officio cultus. Magni Regis miniſter ſum, qui cum exercitûs robore haud procul inſequitur. Huic ego cras te ſiſtam. Nam amabit videre ex Siciliâ venientem. Et forſitan erunt quæ ex te cognoſcat. Humaniſſimum autem Principem vidiſſe, etiam in fortunæ beneficiis numerabis. Noverat Arſidas non conducere negocio ſuo, ut fruſtra repugnaret. Hinc enim & ſuſpectior eſſe poterat, & duriorem habere cuſtodiam. Ergo lubenti ſimillimus, omne jus ſui penes Præfectum eſſe reſpondit. Captum hominem, & maximè innocentem, nullius conſpectum oportere defugere.

Poſt hæc utrimque verba; per varios ſermones in hilaritatis ſpeciem vultus & animos coëgerunt: hic, ne Arſidas timeret; ille, ne videretur averſari ejuſmodi captivitatem Multa igitur audiebant invicem, rogabantque; &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

benevolentia quæ ſimulationis fuerat, paulatim ſyncerius verâ colloquendi voluptate utrumque perſtrinxit: ſic naturâ mortalium inſtitutâ ut liberalibus ingeniis ſit facilis conciliatio. Et Arſidas quidem, licèt captus, atque à ſuo curſu tardatus, tamen quod in alio feciſſet, in ſe factum haud ægrè ignoſcebat; præſertim in cuſtodiâ humaniſſimâ non ampliùs unam noctem morari propemodum rogatus; ipſe verò Præfectus homini innocenti indulgebat, ut deinde amicus poſſet dimitti. Cùm igitur ambo ſederent in puppi, & aliqua de mari, ventiſque & triremium generibus eſſent loquuti, tandem [1] Gobryas (ita Præfectus appellabatur) blandè de Siciliæ rebus, & ſoli genio Arſidam percunctatur. Ille civilia ſtrictim bella recenſuit, armatum, occiſumque Lycogenem, ſenectutem Meleandri, & quæcunque abſque Poliarchi mentione poterant dici. Nam ſolerter abſtinebat hoc nomine, ne de eo cogeretur apud ignotum loqui. Delectatus Gobryas non ignobili narratione, & æquiſſimo exitu belli; cùm deinde Arſidas rogaret nomen Regis, cujus conſpectui ſervabatur, etiam cui regioni imperaret, & quid ſibi vellet claſſis armata; paulùm in ſe cogitatione ſeductus eſt; nam & rependere hoſpiti vicem, & ſuæ etiam gentis caſus referre geſtiebat. Itaque, licèt rara ſunt, inquit, inter nos commercia, quæ nempe ſoli mercatores faciunt; de civilibus tamen malis quæ Siciliam vexavere, pleraque audiveramus. Sed mercium nulla celeriùs quàm veritas navigatione corrumpitur. Multa incerta, multa illis contraria quæ nunc à te accepi, nobis fama attulerat. Neque viciſſim dubito quin & ad vos noſtræ gentis diſcrimina, & veluti fata aliquo rumore pervenerint; ſed vel audaciâ narrantium, vel ignoratione libata. Quòd niſi te vererer longiori ſermone conficere; non hæc modò quæ rogas exequerer; ſed repetitis altiùs rebus, mei Regis cunabula,

1 *Gobryas.*] In Pædia Xenophontis fit mentio Gobryæ legati Cyri.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

nabula, dignam hiſtoriis materiam exponerem. Solicitavit Arſidam inſignis narrationis materia; & ſi Gobryæ vacaret, hæc ſe avidiſſimè accepturum reſpondit. Et Gobryas; audies ergo rem dignam veſtrorum Græcorum ingeniis. Multa enim inter nos fortium hominum facta ſunt, haud illis imparia quibus nobilitantur gentes, quæ literis ipſæ ſe celebrant. Sed ſola ſunt [1] Druidum carmina, quibus rerum fortuna noſtrarum perennet: neque illa [2] ſeu lignis ſeu ceris impreſſa ſunt. Memoriæ juventutis commendantur; & ex cantantium ore virtutes majorum agnoſcimus. Sed ne queſtibus onerem noſtros mores; præſta (hoſpes) quando ſic jubes, promiſſam narrationem nunc aggredi.

1 *Druidum.*] Pro *Druidarum.* Sacerdotes erant Gallorum, ſummæ eruditionis, de quorum moribus infra, & Cæſar Comentar. lib. 1.

2 *Seu ſignis ſeu ceris impreſſa.*] In corticibus arborum ſeu tabulis cereis pro antiquo more. Hic nota Gallos olim incubuiſſe magis faciendo, quam ſcribendo.

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

Declarat Gobryas ut imperante Britomande, qui Timandram uxorem duxerat, Commindorix inter Magnates potentiſſimus Regis vice populis leges dabat. Vt Timandra proli timens deſtinatæ prius ad mortem, quàm ingreſſa vitam eſſet, obſtetricem Matronarumque ſibi familiarium duas ambire inſtituit, ut ſi marem peperiſſet, alieno fœtu ſuppoſito, legitimum furto ſubducerent. Timandra marem enixa eſt, quem fraus Muliercularum puellâ commutavit. Infans vero colono alendus traditus eſt.

REGNABAT apud nos Britomandes, adhuc gratum gentibus noſtris nomen; bello optimus, & artibus pacis. Interfatus Arſidas loquentem; mihi Regem memoras priùs, inquit, quàm cui regioni imperaverit. Quamquam ex tuorum ſermonibus vos Gallos eſſe conjicio. Rectè mones, ſubjicit Gobryas. Maximam [1] Gallici littoris oram, quæ inter Alpes Pyrenæoſque montes mari alluitur, tene-

1 *Gallici littoris oram, quæ inter Alpes Pyrenæoſque montes mari alluitur.*] Galliam Bracchatam, ſeu Narbonenſem olim fuiſſe author eſt Plin.

tenemus: mediterranea verſus, porrecti in longum, quà Rhodanus, & ſupra hunc Araris nobiles amnes, pinguiſſimos campos interſecant, pars eſt Galliarum eximia. Lætus frugibus ager, & validiſſimo populo gravis. Obſtupuit Arſidas ad Araris & Rhodani nomina, quæ gentilia Poliarcho flumina eſſe, Argenide docente cognoverat. Sed ut illum Gobryas vidit ſuſpenſo ſupercilio hærentem; forſitan, inquit, jam quid parem intelligis, & hæc fruſtra apud ſcientem narravero. Dic enim; ecquid in Siciliâ auditum de regiæ noſtræ rebus? Tum Arſidas; imò, inquit, & plures in Galliis Reges eſſe accepimus; & ſi quid de iis affertur, inſtar auræ vel nubeculæ eſt, quæ non ægrè ignaros prælabitur. Quippe antea pauci ultro citroque mercatores commeabant; & hos ipſos noſtrarum ſeditionum atrocitas exegit. Segnitia autem noſtra eſt, quotquot Græcis ingeniis vivimus, ne diligentes vulgò ſimus in gentium factis quæ ad Septentrionem vergunt; [1] niſi quando cum exercitu finibus veſtris vos egredi fama eſt, & timetur publicæ libertati. Ne dubita igitur hoc quicquid eſt ignaro & cupido memorare. Et hæc ille dicebat; non omnino Gallicarum inſcius rerum; ſed ne Gobryas, quid is ſciret neſciretve interrogando, à narrandi tenore deflecteret. Jam enim auditis Rhodani Ararique nominibus, illam Galliarum hiſtoriam, avidiùs, & tanquam rem ſuam agens, quærebat excipere.

Tanto igitur populo (inquit Gobryas) jure paterno Britomandes imperabat; cui filius erat & ipſe Britomandes appellatus; ſed poſtquam evaſit in virum, tot morbis conflictatus, ut animi vires continuus dolor abſumeret. Duxit tamen uxorem ex cognatis fœminis unam, cui ſatis haud dixerim plus ornamenti pudor muliebris dederit, an pietas, an digna fortiori ſexu prudentia. Timandra appel-

1 *Niſi quando cum exercitu finibus veſtris vos egredi fama eſt.*] Quod à Normannis & multo ante à Gallis Galatiæ victoribus factitatum.

1 *Ad*

appellatur. Britomande patre elato, tanquam iiſdem fatis noſtra fœlicitas occubuiſſet, omnia in pejus ſublapſa ſunt. Novo in Rege nihil paternum agnoſcebamus, præter pietatem & nomen. Erat inter Proceres potentiſſimus Commindorix, nobilitate & opibus ſupra privatum; denique qualem modò narrabas fuiſſe Lycogenem. Is ſub ſene Britomande utcunque tanti Regis terrore coërcitus fuerat. Apud filium verò prudentiæ & fortitudinis opinione adeò omnia potuit, ut illius nomine ipſe regnaret; multùm Timandrâ indignante; quæ ad patrios avitoſque animos virum non ceſſabat impellere. Sed ille imbecillâ lenitate ingenii, omnia uxoris conſilia, mox ſubdolè exploranti Commindorigi credebat. Nos à proſperâ ſorte dejecti cui ſenior Britomandes regionem aſſuefecerat, [1] ad buſtum illius, tanquam Herois, conveniebamus frequentes; ſpecie pietatis; re autem, de gentis noſtræ more, illic captaturi oracula; ſi qua ſors, ſi qui dii viam monſtrarent ad Commindorigis perniciem. Hunc enim odiſſe in pietatis parte plurimis erat; maxime poſtquam regnandi cupiditate ardens natum ex Timandrâ puerum (proh facinus!) nutricis operâ dictus eſt confeciſſe. Cur non eodem exitu rapta Regina ſit, haud facilè ſcias. An venenum, atque inſidias, ſuſpicioſa diligentia ipſa vitaverit, an ille infra curam habuerit mulieris vitam. Supra omnia Deûm curâ id factum exiſtimo; qui tyrannos ſæpiſſimè excæcant, ut anxiâ & ſuperſtitioſa ſævitiâ ſecuritatem quæren-

1 *Ad buſtum illius tanquam herois, conveniebamus frequentes, captaturi oracula.*] Sic 7. Æneid. legimus Regem Latinum patrem ſuum conſulere:

At Rex ſollicitus monſtris oracula Fauni
Fatidici genitoris adit lucoſque ſub alta
Conſulit Albunea.

Et poſt 2. verſus:

Hinc Italæ gentes omniſque OEnotria tellus
In dubiis reſponſa petunt.

Eo ritu effuſa ſunt vota preceſque ab Ænea cæteriſque Trojanis ſupra tumulum Anchiſis, qui ſub forma ſerpentis apparuit & ventura fata ſubſequente nocte Æneæ prædixit lib. 5. Æneid.

Ille è concilio multis è millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.

Poſtmodum vero idem ab Numa Pompilio factitatum Egeriæ conjugis tumulum frequenter adeunte, ut quaſi leges populi Romani promulgandas ab ea acceperit.

1 *Ita*

quærentes vera & certa pericula non cognoſcant, aut timeant.

Cùm ſecundò Timandra ventrem ferret, miſeræ proli timens deſtinatæ priùs ad mortem quàm ingreſſa vitam eſſet, obſtetricem, & matronarum ſibi familiarium duas, (quarum alteram haud pridem eadem Reginâ conciliante, habebam uxorem) maturè ambire inſtituit. Ab his Regina flagitabat, ut ſi marem peperiſſet, alieno fœtu ſuppoſito, legitimum furtò ſubducerent. Illæ quandam ex agris matrem familiâs, meæ uxori notiſſimam, in concilium allegant, quæ puerum alere poſſet; Sicambre appellatur. Ea cum viro (nam & ipſius opera neceſſaria erat) diis omnibus devincta rem habere ſecretam, à meâ uxore, dum Regina pareret, in Aulam deducta eſt. Nullæ niſi ex conſciis in cubiculum admiſſæ. Et Dii faverunt. Timandra marem enixa eſt; puellamque regiis cunis fraus muliercularum impoſuit. Quem Reginæ tunc fuiſſe ſenſum exiſtimas? Pariendi anguſtiæ erant; fœtum quem tot doloribus matres emunt, pro munere ducebat eripi ſibi: & ſæpè audivi ab ipſa, nihil formidoloſius animum tetigiſſe, quàm ne infantium vagitu, aut timiditate mulierum, proderentur conſilia. Quamquam tamen & curis, & morbo ægerrima erat, Sicambrem, cui infantis inter tumultum aſportandi provincia erat, ſubmiſſa voce affata eſt: per patrios deos ſine te exorari ut mihi fidelis ſis; ne dum alios fallere ſtudeo, ipſa intervertar prole meâ. Nam quemcunque volueris, hunc me pro meo oportebit agnoſcere. Ad hæc mulier, Dii, Regina, quos invocas, effecere, ne in cujuſquam poteſtate ſit, tibi hac fraude quam times illudere. Adeò corpus infantis haud vulgari aut mutabili notâ inſigne eſt. Simul obtulit nudum; oſtenditque paulò infra cervicis exitum tanquam ſpicæ figuram ardenti purpurâ expreſſam. Eadem ſpecies in crure dextero rubebat. Et cauſam fœlicium macularum dederat ipſa mater, fortè cùm pedes in agro ſpatiaretur, ſubito timore perterrita ad tur-

turbinis ſonum, qui ingentis campi meſſem cedentibus ſpicis percurrerat. Timandra ſuaviſſimo pignori poſtquam oſculum tulit; fuge, inquit, mi pupe, regiæ paternæ periculum. Fuge, mi Aſtioriſtes ([1] ita enim de atavi nomine appellari te volo.) Dii faxint hos maturus ulciſcaris, qui non ſinunt tuam infantiam inter mea ubera eſſe ſecuram. Iterum repetito oſculo flevit; ſtatimque receptum infantem Sicambre obvolvit faſciis; & poſtico ad id antè præparato, ſe ab Aulâ proripuit. Tum verò [2] in humum collocata eſt illa, quam in regii ſanguinis fortunam adoptabant, puellula; & vocatus ad ſobolem agnoſcendam Britomandes, cum Commindorige intravit, ſuſtulitque alienam prolem in ſinum, affectu decepto; quam ubi commendavit nutricibus, ſolatuſque puerperam eſt; diis gratias habiturus ad templum diſceſſit; illis quidem majori beneficio quàm credebat obnoxius.

Sicambre, cui gnati fortunam Regina crediderat, mediocris ſortis mulier erat; quia neque apud illuſtres ſatis infans latuiſſet, neque tenerrimo corpori in egenâ familiâ ſatis potuiſſet ſperari ſubſidii. Illa conſcium maritum adduxerat (Ceroviſtus nomen eſt) cui haud procul regia tradidit ſanctiſſimum pignus, & portare molliter rogavit. Huic miſericordia, & ſpei magnitudo, ſatis alumnum commendabant. Igitur diverſus ab uxore, ne quid familia ſuſpicaretur, ad prædium ſuum ivit. Agrum enim ſatis amplum colebat ad Rhodani ripas, nulli oppido contiguam; & ſanctitatem familiæ ruſticâ ſimplicitate ſervaverat. Ubi domum pervenit, mentitus abjectum ſe infantem in ſylvæ viciniâ ſuſtuliſſe; redeunti haud multò pòſt uxori

1 *Ita enim de atavi nomine appellari te volo.*] Avorum nomen imponi ſæpe ſolitum eſt infantibus, ne ab eorum virtutibus eſſent degeneres, unde factum eſt ut tot Æneæ apud Albanos, tot Ptolomæi apud Ægyptios, tot Herodes apud Judæos, &c. tot Cæſares apud Romanos recenſerentur.

2 *In humum collocata eſt.*] Cum infans editus primam lucem hauſiſſet, Romanis erat in uſu, ut ab obſtetrice exceptus, humi ſterneretur, quaſi divinationem futuri exitus inde auſpicarentur. Varro.

1 Oi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

uxori occurrit, coramque ſuis rogat, ut miſerrimis labellis velit ubera admovere, nondum ſcilicet à filio ablactato arentia. At mulier, tanquam ignara fabulæ, cuncta anxiè rogabat, qui parentes infanti, quod miſero fatum, aut cur projectus eſſet vultu tam lepido, nihilque in eo à ratione humani corporis errante naturâ. Is nihil ſe præterea ſcire finxit, quàm quòd in bivio ſylvæ, ſolis paſtoribus, aut venatorum ſtudiis cognito, jacuerat vel inhumanâ vel miſerâ poſitus manu. Suſcepit inter hæc Sicambre vagientem; queſtuſque & lachrymas dato lacte compoſuit.

Ita cunas regius fœtus, pro claritudine quidem generis exiguas, ſed ut tempora erant, fœliciter nactus, ubi ingredi potuit atque fari, cœpit in aliam ſpeciem creſcere, quàm quæ ſolet in ejuſmodi patrumfamilias domibus videri. Vivax indoles erat, nec venuſtiſſimo corpori impar; præcipuè Ceroviſtus, & Sicambre conſcientiæ & charitatis ſtimulis cuncta in eo mirabantur; impoſitoque à Reginâ nomine, quod multorum Principum fuerat, appellabant Aſtioriſten. Sed Reginæ vix hæc tutò poterant nunciari; quam ut plurimùm ſemel in menſe Sicambre ad conjugem meam veniens furtivi colloquii lætitiâ reficiebat. Nam homines ruri aſſueti ſæpius in Regiâ cerni timebant; à conſciis quoque matronis identidem admoniti, ut quàm maximè ſuſpiciones vitarent.

CAPUT X.

ARGUMENTUM.

Septimus annus vertebatur, Timandra filii deſiderio marcebat. Gobryas quem illa ſecreti ſui conſcium fecerat, inviſit puerum, & inter coætaneos ludentem, ad majeſtatem frontis agnoſcit. Ad Reginam, quæ in prædium occultè diverterat, furtim abducit. Qui complexus! Sed ô inſtabiles Fortunæ vices! Aliquanto poſt tempore cum puerum armatorum violentia deprædaſſet, irritis ſtudiis quæſitus eſt. Attamen narrationis ſeriem Druidæ carmen interrupit.

VERTEBATUR ſeptimus annus, cùm Regina tenendi filii deſiderio victa, me, quem ſuæ domui Præfectum fecerat, his verbis compellavit; non meruiſti, Gobrya,

Gobrya, ut tuam fidem muliebri leviorem exiſtimem. Conjugem tuam diu eſt quòd ſummi arcani arbitram habeo, & ſilentio quod præſtitit meis rebus primam hanc gratiam referam, quòd conſcientiæ etiam tuæ deponam meas curas, aperiamque pulcherrimum facinus; in quo tegendo, mea, & Galliarum ſalus ſtat. Sciſne, Gobrya, quid te jam velim? Nihilne te uxor rerum noſtrarum edocuit? Ego præterquam quòd rei expectatione eram tactus, adhuc ſimpliciùs vultum fingebam, ut integram accepti ſecreti gratiam ſibi Regina habere me crederet; & præterea ut fidem uxoris commendarem; quæ utique neque rem ad me detulerat, neque tamen in totum fefellerat conjicientem aliquid magnum agi. Tunc verò Regina non liberiùs modò, ſed & ſuaviùs rem totam effata eſt; quâ auditâ, nihil tam grande ſuſpicatus contremui; & paulatim per narrationis ſeriem redeunte animo, laudavi maternam pietatem, aſtumque utilem regno, cui tyrannus imminebat. At illa; nunc tenes quo loco ſit fœlicitas mea. Tot opibus, tot honoribus culta; ſolatium quod privatæ matres habent adhuc neſcio. Servemus diis volentibus, Gobrya, hoc ſenectuti noſtræ præſidium, hanc parricidæ Commindorigi perniciem. Tantùm Superi velint, ut creſcat avo quàm patri ſimilior. Intelligo nihil auſpicatius ejus moribus eſſe. Vultum quidem aliquoties vidi; dum eum ſua alumna in templis ex compoſito producit. Quàm autem miſerum credis vix conſpectum unicæ prolis tuto poſſe uſurpare; & penitus colloquia eſſe ſublata? Tu ſodes ad domum in quâ alitur proficiſcere. Nam facilè aliquid in viæ cauſam effinxeris. Voluptatem mihi debitam tibi credo; eam ad me pro parte perveniſſe arbitratura, ſi te mandatâ ſuavitate expleveris. Mihi deinde bonâ fide referes de indole pueri quod licebit conjicere. Forte etiam cum Sicambre aliquid commíniſcêris, quo eum ſine ſuſpicione poſſim perfunctoriè ſaltem amplecti.

His à Reginâ dictis, gratias, ut oportebat, egi, quòd in tantis arcanis meâ præcipuè opera uti vellet. Sponte eram à Commindorige averſus; & hac tantæ factionis dulcedine, facilè pericula contempſi, quæ illa ſpes, & conſcientia, afferebat. Igitur poſtero mane egredior in agros, monſtratamque à ruſticis viam tenens, ad villam pervenio; cujus ambitum poſtquam intravi; in areâ, quâ ruſtica armamenta cum aratris jacebant, video puerorum aliquot chorum, inter ſe ſimplici temeritate ludentium. Propiùs ego acceſſi; ſi in illo fortè cœtu itineris mei cauſam offenderem. O hoſpes! Non authore, non indice illic opus. Tot heroum ſcilicet ſtirpem ſatis efficax natura monſtravit. Alii ruſtico vel puerili metu diffugiunt; aut timidè pectore toto averſi, me reflexis intuentur cervicibus. Reſtitit ille, nihil territus inaſſueti hominis vultu. Arcum habebat ætati & viribus parem; cui in terram ſtatuto innixus me opperiebatur. Firmus, & liberalis totius corporis geſtus. Sufflava cæſaries, & ipſa negligentiæ opinione melior. Sparſa enim non cervicibus tantùm, ſed per incenſam ludendi impetu frontem jacebat. Oculus inter jubentis mulcentiſque aciem; [1] os, ſupercilium, genæ, qualia in Cupidinis ſignis aſpicimus. Ego ſubita veneratione exhorrui, & breviter deos precatus, ut ſuis donis faverent, timui tanquam puero privatæ ſortis loqui. Sed ne ſcenam turbarem, ex equo tantùm deſilui, rogavique quid parentes agerent, aut ipſe valeret; ille patrem cum familiâ ruri opus facere reſpondit; matrem verò domi eſſe; eamque ſe, ſi juberem, provocaturum. Facies verò, inquam, ſuaviſſime puer; &, niſi moleſtum eſt, ego te quoque ad fores comitabor. Ducere ergo cœpit, rogatuſque

1 *Os, ſupercilium, genæ, qualia in Cupidinis ſignis.*]
— *Qualia namque*
Corpora nudorum tabulæ pinguntur amorum,
Talis erat.
Ovid. Metamorphoſ. lib. 10. fab. 10. Talis, inquam, erat inſculpta Cupidinis imago in numo argenteo C. Egnatii Maxumi.

1 *Sticho*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

que per jocum in quas feras ſuo arcu uteretur; prorſus innocenti ingenio; nondum, inquit, mihi lupos inſectari cum noſtro [1] Sticho & Ambirino, pater conceſſit: in annum adhuc unum diſtulit operam meam; & multum tibi debebo, quiſquis es hoſpes, ſi numerum dierum mihi referas, qui annum conſtituunt. Jam enim aliquoties ſenſi me, quia puer ſum, nec ſpatia temporum novi, ejuſmodi promiſſis eſſe fruſtratum. Riſu ego pleniſſimus; fruſtra, inquam, hoc rogas. Nam nec memoria tibi ſufficiet tanto tempori obſervando, quantum à me deſtinari efflagitas. Imò (refert) mihi dari calculos vellem numero dierum pares. Reponam in abdito; eximamque quotidie ſingulos, ut cum anno finiantur. Amplectebar animo puerilem ſolertiam: veſtigia autem ex compoſito premebam, ut diutiùs lepidiſſimâ contemplatione perfruerer. Sed Sicambre, neſcio unde admonita eſſe aliquem qui ſuo filio colloqueretur, foras exiluit; &, ut tanto depoſito timebat, vultu ſolicitudine vario ad nos delata eſt.

Ut verò me agnovit; dubia adhuc an ſcirem cujus ſtirpis puero loquerer, aut quæ omnino fortuna mihi ad ſe viam præiiſſet, me recepit ſub tecta, perplexè de cauſa itineris rogando, & quid mea conjux valeret. Sed poſtquam conſedimus, riſu inter dubia verba pendente; multum eſt, inquam, quòd de uxore meâ querar, niſi in te recipis crimen, faterìſque te magiſtrâ eam didiciſſe quàm altâ taciturnitate ſimulatio obeunda ſit. Neutri quidem, quod jam pupum iſtum novi, habeo gratiam, quæ pervicaciter ſiluiſtis; ſed ipſi Reginæ cujus juſſu vos inviſo; tecum quoque exacturus, quâ commodiſſimè ratione ipſa implere avidum pectus eodem ſolatio poſſit. Nam quòd aliquando in templis eum videt, parum eſt ad deſiderium matris. Vult amplecti, vult loqui, mentem denique ſaltem ſemel ſatiare propiori dulcedine. Sicambræ facile fuit excu-

1 *Sticho & Ambirino.*] Ita Græci optimos Moloſſos appellabant, teſte Menandro.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

excuſare ſilentium. gratulata deinde eſt, quòd Reginâ profitente ad hoc ſecretum perveniſſem. Denique haud unicam viam monſtrabat; quâ Aſtioriſtes ad matrem duceretur: ſed omnia ſuſpicioſa erant, nec placebant ipſi authori. Diu cunctati, nihil tutius habuimus, quàm ut Sicambre, utpote ſæpè apud conjugem meam viſa, in agrum qui ſub urbe mihi eſt, veniret cum puero; & Regina in campis ſpatiata, umbram quæ in prædio meo læta eſt, optare ſe diceret; moxque in ſecreto conclavi non turbatos, non ſuſpicionibus obnoxios amplexus, daret Aſtioriſtæ ſuo.

Tempore igitur cum Sicambre conſtituto quo ad prædium meum veniret, rurſus cum puero jocatus ſum, varium ſpecimen futuræ mentis eliciens: ulnis denique implicui meis tam gravi imperio (modò dei æquo faverent) debitum Regem. Secundum hæc, à villâ in proximum oppidum diſceſſi. Illic exactâ nocte redeo ad regiam. Timandræ cùm ſingula referrem, ſolum hoc grave erat, bidui adhuc moram promiſſæ fœlicitati interceſſuram eſſe. quo elapſo, cùm omnia proceſſiſſent, veniſſetque Sicambre cum alumno, adfuit & Regina tam exiguo quàm fas erat comitatu; & pauliſper in hortis ſpatiata, velle ſe in conclavi acquieſcere uxori meæ dixit. Ducitur ergo in thalamum ſecreto quod agebatur aptiſſimum, unde loquentis vox non excipi poſſet. Tum omnibus præter conſcios, tanquam Regina ſomnum peteret, dilapſis; intromittitur ex vicino cubiculo fidiſſima Sicambre, applicitumque Reginæ genibus filium tradit. Conceſſerat Regina ut adeſſem; ſed quæ vidi, quæque audivi, nullis verbis, nullâ diligentiâ, dignè retulerim. Adeò læticia, pietas, dolor, flendique, & amandi ſuavitas, omnem modum in Reginâ exceſſerat. Longo ſingultu vocem, & cæterorum affectuum impetum premens, tandem in puerum invadit; & penè ad utriuſque pectoris livorem ligat amplexibus. Nec in uno habitu durans, nunc illum pau-
liſper

liſper ſubmovebat, quò vultum, oculoſque & totius corporis ſtatum liberiori obtutu ſuſpiceret; nunc ſubitâ vi amoris repetebat brachiorum vincula, & tot bonis quæ in puero mirabatur oſculum dabat. Quaſi ſua eſſent hæc ipſa quæ cernebat in prole, jam tumidior videbatur; jam, opinor, ultorem hunc deſtinans, incipiebat Commindorigem præcipiti voto deſpicere. Rurſus amor, ipſo furto incitatus feſtinanter ſuâ felicitate fruebatur; ſimulque cogitatio receſſuri mox gaudii inſanientem cogebat in lamenta. Quid multis? Nemo noſtrûm tam altæ & miſerandæ pietatis ſpectaculo non lachrymas dedit. Sed intererat neſcire puerum quantus eſſet. Nam nec ſilentii fidem promittebat hæc ætas, & ſi illa immaturè emerſiſſent, certa erat à tyranno pernicies. Itaque inter blanditias quas gnato Timandra ingerebat, nulla verba adhibuit, quibus is ſciret, vel Reginam eam eſſe, vel matrem. Sed perculſus ſpecie exultantis gementiſque mulieris, inaſſuetis præterea oſculis fatigatus, cùm denique illachrymari omnes videret, aliquantulum flevit. & neſcius cujus in amplexibus eſſet, eam tamen veluti jubente naturâ brevibus ulnis cinxit. Sed illorum ſimplicitas annorum, longæ curæ aut prudentiæ exors, facilè ab eâ intentione ſe ſubduxit; cultuſque Reginæ, quales antè non viderat, cœpit, puerili contemplatione luſtrare. Lectuli prætereà, & ſtragula, tum quicquid ornatûs in cubiculo erat, omnia oculis illis nova, per ſingula euntem morabantur; ut nos quoque tam innocenti ludo in amorem & pietatem rapti, illius oculos atque geſtus dulciſſimâ imitatione ſequeremur.

Dum his rebus abripimur, interim hora effluxerat, neque oportebat Reginæ comitatum aliquid noſtrâ morâ ſuſpicari. At illa non avelli ſuſtinebat à filio, donec ſpe rediturae lætitiæ ſibi impoſuit, & ingenti ſuſpirio concuſſa avertit ſe à puero, eumque abduci imperavit. Spes autem ea erat. Volebat me cum comitibus aliquot, mei tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

men conſilii ignaris, ad domum Sicambres pervenire, ſeu venationis ſpecie, ſeu quid aliud videretur commodius, illicque Aſtioriſtæ indolem atque formam impenſe laudare; eum denique à parentibus palàm petere, quem domi alerem inter urbanas diſciplinas. Non enim eum agris videri aut ſolitudini natum. Oportebat deinde reluctatam aliquandiu cum viro Sicambrem conſentire. Poſt hæc puer adducendus in urbem tradenduſque conjugi meæ erat, tanquam ad miniſteria illam ætatem decentia. Sic illius moribus eramus præfuturi; & ille non tumultuario aut brevi conſpectu Reginam expleturus.

Sed illa, mi hoſpes, conſilia, atrocior fortuna pervertit. Vix enim ab eo colloquio triduum erat, cùm Ceroviſtus ille Sicambres vir intravit noſtrum limen [1] veſtibus ſciſſis, omnibuſque ſummi doloris indiciis funeſtus: utque me vidit, nihil diſſimulato planctu verberans utraque manu pectus. Dii, inquit, nos perditos, ô Gobrya, voluere. Aſtioriſtes nocturnis graſſatoribus præda, an, aut ubi vivat, incertum eſt. Abvexit hunc proximâ nocte armatorum violentia, qui [2] ſpoliatis penatibus meis ſubjecere denique ignem. Neque noſtra tantùm tecta hæc peſtis conſumpſit. Acta eſt præda ex vicino omni agro; & ego illi turbini ſuperſtes, non potui veſtigia ſervare impiorum; quia celeriter trans Rhodanum aliquot ſchaphis delati ſunt. Quid verò me facere, quove conferre, nunc author es?

Hæc narrante Gobryâ, penitus Arſidas, tanquam in cladis & jacturæ parte eſſet, expalluit; indignum fuiſſe facinus proclamans, ſubindeque interrogans, an ſic puer periiſſet. Quippe majora de eo expectabat; nec à negotiis quæ tunc curabat aliena. At Gobryas; multò, inquit, frigidior ad nuncium illud fui, quàm te nunc, hoſpes, video

1 *Veſtibus ſciſſis.*] Sciſſa veſtis & ſqualida ſignum mœroris, non minus apud Gentiles, quàm apud Judæos.

2 *Spoliatis penatibus.*] Metonym. diis præſtitibus, pro ipſa domo ſumptis.

1 *Excu-*

video eſſe. Segnem tamen eſſe non ſivit tumultuarii mali præcipitanda curatio. Itaque homini imperavi, ut inutilem gemitum pauliſper ſupprimeret, mihi quicquid contigerat prolixiùs memoraturus. Auditis omnibus, varia animo verſabam; unde prædones eſſent; conſultone incidiſſent in puerum, quâ celeritate, quâ manu perſequendi; denique an deferri ad Reginam hæc clades deberet. Sed hæc poſtea commodiùs narravero. Video enim ad cœnam tempus eſſe, quam corrumpi jam aliquoties miniſtri monuerunt. Atqui, refert Arſidas, hilarem convivam non habebis, niſi me ab hac ſolicitudine abſolvis; quo ſucceſſu dolueris, quodve Reginæ ſupplicium de prædonibus datum. Paruit Gobryas flagitanti; raptimque edocuit, nihil ſe aut Reginam ad luctum aut diligentiam reliquiſſe: quamvis & ſecretò gemebant, & prætextu alio quærebant in latrones. Cæterùm rapto puero nihil in iis fuiſſe auxilii. Nam neque repertos qui eum abvexerant, neque ſuperfuiſſe veſtigia quibus ipſe ulteriùs quæreretur. Ergo Reginam hoc quoque tunc facinus aſcripſiſſe Commindorigi; ita meritis qui per ſcelera vivunt, ut non ſuorum modò facinorum, ſed & interdum alienorum infamiâ laborent. Poſtea liquidiùs eſſe reſcitum, prædones in Allobrogum montibus, quò minore invidiâ in alieno ſolo quàm in patriâ peccarent, factâ manu Rhodanum tranſiviſſe; ſpoliis deinde onuſtos, poſtquam in ſuam ripam relati ſunt, diviſis manubiis agmen ſolviſſe, ne multitudine proderentur. Ita periit ſcitiſſimus puer, inquit; & propemodum in amiſſi deſiderio mater.

Adhuc confuſior Arſidas; videor, inquit, magni ædificii apparatum ſomnio conſpexiſſe; quod poſtquam artificum manibus crevit, marmoribus & picturis inſigne, uno hominum me à ſomno excitantium plauſu perierit. Sic poſteaquam puerum ſervaviſti; poſtquam perduxiſti ad annos quibus promitteret ſe non fruſtra ſervatum, ſubitò eximis nobis. Sub hæc verba, aſperiùs intra ſe indi-

gnatus, ridebat tacitè imprudentiam Gobryæ, qui tot verbis tantam ſcenam apparaſſet, in quâ nihil deinde ageretur. Nec Gobryam latuit hominem eſſe commotum. Itaque ut hoſpiti vultum reſtitueret; ſi hilariter, inquit, cœnas, reducam deinde puerum, matrique ſiſtam incolumem. Mutatus ad hæc verba eſt Arſidas, qui altiori ſpe, quàm Gobryas credebat, rei exitum fœlicem optaverat. Cùm verò ſe ad menſam componerent, [1] excuſavit hoſpiti Gobryas, quòd in medio lectulo accumbere juberet ex Druidis unum. Ita Gallorum religionem ferre, ut hoc hominum genus ſive in ſcenis ſive in conviviis honoratiſſima occupet. Supra hunc vatem Arſidas, infimo Gobryas loco accubuit. Cœnantibus multus ſermo de Druidis fuit; dubitante Gobryâ, utrum plus Arſidas ſcire, an narrare vates vellet. Qui ubi ſe non in Gallicis modò ſacris regnare, ſed diſceptatores litium eſſe, totamque ab ſuis præceptis juventutem pendere memoravit, magnam quoque apud ſe poëſeos, tanquam diviniſſimæ artis curam eſſe, lentis & grandibus verbis monſtravit; in eo ſermone diutiùs hærens, ut aliquid rogaretur recitare. Quod ut Arſidas ſenſit, coëgitque volentem, retulit ille verſus, à ſe non pridem, ut ajebat, conſtructos; quibus deorum æquitas celebrabatur, qui diu lædi ſe paſſi, tandem ex dignitate deſæviunt.

O ſontes animæ, quarum veſana laceſſunt
Facta diu Superos; lentum ne ſpernite Numen,
Ne miſeræ, tardoque graves examine pœnas.
[2] *Sera licet ſint tela Jovi, nec protinus omne*
Ad ſcelus armato turbet ſua ſydera nimbo;

At

1 *Excuſavit quòd in medio lectulo accumbere juberet ex Druidis unum.*] Ex illo conſtat ſummam olim fuiſſe apud Gallos de Druidis opinionem: is namque honos maximè in Gallia talibus myſtis deferebatur; præcipuuſque habitus eſt in menſa medius locus. De triplici thoro ſupra dictum eſt lib. 1.

2 *Sera licet ſint tela Jovi.*] Nemeſis cum claudis & plumbeis pedibus depingitur; connivet enim, ut certior feriat. Horat. Od. lib. 3.

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

1 *Annu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

At vigili ſtat mente memor; pœnaſque merentum
[1] *Annumerat Nemeſi juſtâ Themis ardua curâ.*
Hinc lethi innumeræ facies, & funere pejor
Mens ægra, atque altæ divulſo in pectore diræ.
Hinc nullæ fluviis ripæ; & victricibus undis
[2] *Spumeus in medias Triton venit altior urbes.*
Quid memorem verſis exutos meßibus agros,
[3] *Ventorum ſeu vulſit hyems,* [4] *ſive agmine fœdo*
Denſus aper ſtrictis effodit pabula roſtris?
Quid cùm ſæva lues circùm tabentibus auris
Inſpirat celeres per membra furentia mortes?
Aut pater armipotens mediis incendia fundit
Gentibus, & ſaturas reſtringuit ſanguine flammas?
His Superûm vindicta modis (ne tarda queramur
Supplicia, & faciles violari crimine divos)
In meritas ſævit gentes, & ſæcula cunctis
Exhaurit fatis. At nos miſerabile vulgus,
Ignari quæ tela ſonent, cur turbidus æther
Æſtuet, unde anni fragiles, & rara ſenectus,
Naturam, & caßi damnamus corporis artus,
Fortunæque vices. Nihil heu Natura, nec artes
Peccavere deûm. Sed nos cunctantia fata
Urſimus, & cæcas peccando accendimus iras.

CAPUT

1 *Annumerat Nemeſi juſtâ Themis.*] Nam Themis æquitas, & jus, ſeu fas dicitur; Nemeſis vero divina juſtitia. Judicum eſt reis aſſignare ſupplicia, quæ hic enumerantur, dicta eſt enim Nemeſis ἀπὸ τῆς διανεμήσεως, id eſt, à diſtributione quæ fit unicuique, eſtque ultrix facinorum impiorum, bonorumque præmiatrix, arbitra rerum, Regina cauſarum, quam fingebant Juſtitiæ filiam terrena omnia deſpectantem.

2 *Spumeus in medias Triton venit altior urbes.*] Nam Deûm nutu ſæpe urbes ſubmerguntur ad pianda ſcelera, teſte generali Cataclyſmo. Ovid. Metam. lib. 1.

3 *Ventorum ſeu vulſit hyems.*] Procellæ & turbines.

4 *Sive agmine fœdo Denſus aper.*] Alludit ad Aprum emiſſum à Diana in agros Caledoniæ; quia Oeneus deam in ſacris omiſerat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT XI.

ARGUMENTUM.

Reſumens Gobryas narrat, ut ardente inter Allobroges bello, tres in acie Reges fuſi ſunt; inter quos fama atque dignitate præcipuus Aneroëſtus. Hujus in tentorium dum victores prædabundi irrumpunt, miles in veſtibulo adoleſcentem conſpicatus, cætera præda neglecta, ad hunc convertitur. His obvius factus Gobryas, dum intentius in pueri contemplatione hæret, regii ſanguinis notas aperit, emptumque puerum ſtupenti præ gaudio Timandræ reponit, fruſtra reclamante Aneroëſto, qui bello civili iterum profligatur.

COENA, ut bellum & maria ferebant, eleganter exhibitâ; tempus eſt, ait Arſidas, ſcrutari omnia trans Rhodanum; & ex latebris Principem veſtrum eximere. Tum Gobryas; ſtrenuè factum à nobis; & tunc omnia fruſtra ceſſerunt. Quatuor totos annos amiſſum deflevimus. Quinto anno neceſſarium in Allobrogas bellum fuit; quòd de finibus diſceptarent, imminerentque fœlici viciniæ. Parum intereſt illius belli caſus te ſcire, præſertim quæ tumultuariis & obſcuris manibus geſſimus. Una fuit acies juſta, quâ profligati Allobroges, caſtris quoque exuti ſunt. Noſter exercitus dives prædâ, vix captivos capiebat, vix ſpolia; [1] torquibus armilliſque ex auro (ut mos Gallorum eſt) in illâ ſtrage innumeris. Tres fuerant Allobrogum Reges prælio illo fuſi: inter quos famâ & dignitate præcipuus Aneroëſtus appellabatur: cujus tentorium dum victores deſpoliant, quidam miles in illius veſtibulo adoleſcentulum egregiæ venuſtatis conſpicatus, cæterâ prædâ neglectâ, eum habere concupiit. Is majoribus quàm pro ætate ſpiritibus [2] gæſa quaſſabat, abnuebatque ſe vivum capi poſſe. Nec violare tenerum corpus miles ſuſtinuit;

1 T*orquibus armilliſque in illâ ſtrage innumeris.*] Morem fuiſſe Gallorum torquibus aureis etiam in bello utendi teſtis eſt Cn. Manlius Torquat. qui everſo immanis molis Gallo torquem avulſit; unde & ipſe cognomen habuit. Livius l. 7.

2 *Gæſa quaſſabat.*] Gallicum haſtile. Unde Geſtoriacii & Geſſi dicebantur Galli, Γέσοῦς enim mercenarios milites ſignificabat Claudianus lib. 2. de laud. Stilic.

Gallia vince ferox, evinctaque torque decoro
Binaque gæſa tenens, &c.

1 *Gallo-*

nuit; ſed ſodale advocato circuivit pugnacis pueri terga. Ita vix demum lacertis occupatis, à frendentis manibus tela excuſſa ſunt. Videbantur indignæ vinculis manus, & fraus ab liberali indole timeri vix poterat. Si itaque promitteret non fugere, pollicentur nullis ſervitutis notis aſtrictum, comiti quàm captivo ſimiliorem ſecum iturum. Is vultu tantâ clade non dejecto, haud ſe diis repugnaturum dixit, quibus ſua captivitas placuiſſet; nec ſeciùs fidem quàm antea libertatem culturum.

Non ſine numine deûm fuit, quòd tantopere militibus puer placuit. Abvexere jam volentem; & invidiam timentes, non à multis eum conſpici paſſi, jam non procul urbe regiâ aberant, cùm in me inciderunt: ſi qua fides, ſtupui in adoleſcentuli vultu; illoſque avidiſſimè percunctatus (nam nec mihi erant ignoti) unde hæc præda, & an venalis eſſet. Retulere hunc ſe inter captivos eximium, Commindorigi donum ſervare. Credo veritos ne illum mihi depoſcerem, objeciſſe Commindorigis nomen. Scis [1] Gallorum ſagula totum corpus non tegere. Itaque dum intentiùs in ejus contemplatione hæreo, & dii neſcio quid animo meo grande magis magiſque ſubjiciunt, fortè flexit ille cervicem, meque momento temporis nimio gaudio imparem propemodum confecit. Nam quid loquar fœlicitate illa dignum? Prodidit, mi hoſpes, regii ſanguinis notas, illam, inquam, naturalis purpuræ ſpicam, quam in Reginæ filio, ut antea monui, fata expreſſerant. Loqui non poteram in impetu exundantis lætitiæ. Sudor quoque & ſubita veſtigiorum infirmitas, adhuc dubia & anxia vota pulſabat. Tum præſides gentis deos tacitè veneratus, ut adeſſent ſpei tantæ; egregium mehercule munus, inquam, Commindorigi inveniſtis. Sed videte, Commilitones, num Reginæ non aptiùs tradi poſſit. Adhuc

1 *Gallorum ſagula.*] Galli in militia virgatis ſagulis utebantur cum torque aureo. Tullius Philip. 4. *Ad ſaga ire & redire ad togas.* Et Silius Italic. lib. ult.

Sagulo circumvolitare rubenti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

huc ætas eſt non turpis gynecæo; memorque aliquando per quos dominæ fuerit traditus, fortaſſe deinde vos provehet. Nam & Commindorigi hunc ſi datis, tamen ad Reginam perveniet, Commindorige hanc muneris gratiam apud illam occupante, quæ jam veſtra, ſi ſapitis, erit. Milites pauca inter ſe colloquuti, agunt gratias quòd eos conſilio juviſſem: cupere quoque ſe meâ operâ intromitti ad Reginam. At ego non id tantùm in me recipio; ſed chariſſimæ prædæ timens, avidus quoque certiora cognoſcendi ex puero, eos ad cœnam voco.

Poſtquam domum pervenimus, leniter adoleſcentulum cœpi affari, & rogare quod ei nomen eſſet. At ille, ſe Scordanem in primâ captivitate appellatum; in iſtâ ſecundâ adhuc neſcire, quod ſibi domini nomen imponerent. Tu igitur, inquam, jam antea ſemel captus? Certè; ſubjicit ille. Unde autem, mi puer? & quod tibi primum nomen? Ex ædibus patris (ait) obſcurè memini me adhuc imbecillem, armatorum violentiâ fuiſſe direptum. Nec quid ultra memini, niſi nos ruri habitaviſſe, & me Aſtioriſtem à matre nuncupatum. Sed Rex Aneroëſtus dono eorum qui me rapuerant deinde habuit, inter cujus liberos penè haud diſpari cultu, vel gratiâ, pulcherrimè aliquot annos egi. Voluit quoque in rudimentum militiæ, ut bellum hoc viderem; in quo, heu! & quid illo actum ſit neſcio, & ego jam aliâ fata, ac ut opinor viliora exorſus ſum. Sub hæc verba dolore animi turbatus eſt. Sed ego jam certus negotii, adoratis numinibus, in quæ potiùs quàm fortunam, referebam rerum ſeriem: nihil, inquam, ô puer, in te dii peccavere: neque fatis ingratus ſis, quæ te in Reginæ familiam aſſerere tot caſibus laboraverunt. Magnæ fœlicitati ſervatus es, puer.

Impotens læticiæ eram; & nocte inter maximæ ſpei, omniumque bonorum inquietas imagines ductâ, militibus ſignifico me ad Reginam ire, illis aditum impetraturum. Cultum ſolitò nitidiorem aſſumpſeram, coronam-

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

que habebam, tanquam ſacra diis facturus; vultus præterea erat inter gaudii ſenſum porrectior; quæ omnia recentis victoriæ excuſabat hilaritas. In hoc habitu cùm Reginam ſalutaſſem, paululùm fallere conſtitui, nec à principio læticiam totam dare. Igitur, Ne mirere, Domina, inquam, hanc animi inſolentem læticiam: Dii arcanâ vi ſomnii ita me impulere. Forſitan ſuperſtitioſum appellabis. Sed adeò certa fuit quæ dormientem egit imago, ut nec ſomniis illam annumerem. Ne ampliùs diſſimulem, vices tuas jam gaudeo. Ita tibi [1] fælicem hunc diem portendi monſtravit Mercurius credo, aut ſi quis eſt alius deorum nuncius, qui venturarum ſpecie rerum ſomnos mortalium erudiat. Tum Regina, quinam autem, Gobrya, hi [3] gaudii montes? aut veriùs quid inſanis? Videbam (ſubjicio) ſub auroram, cùm purioribus ſomniis tempus eſt, honeſtiſſimæ puerum frontis, his me verbis compellantem; vade ad Reginam, Gobrya. Nunciabis me ad illam adventare. Tamdiu expetitum hodie ſecuriſſimâ ratione conſpiciet. Quis tu autem es? inquam. Nam neque vultu iſto ac genio, inter te & ullam deorum prolem diſconvenit. At ille iratior; adeone Aſtioriſtem ignoras ut nomenclatore opus ſit? Non noviſti Timandræ filium, Principem tuum? Illicò loquentem agnovi, cumque vano conatu niterer ad amplexus, excitavit animi impetus membra, & per ingratiſſimam vigiliam puerum amiſi. Divinum fuiſſe præſagium, Domina, illinc intelliges, quòd tanquam cogentibus Superis, de eventu nec ambigo.

Tene-

1 *Fælicem hunc diem portendi monſtravit Mercurius.*] Mercurius & Morpheus inſomnia vera credebantur afferre, ſed ille Diis, hic hominibus. De Mercurio Virg. 4. Æneid.

Dat ſomnos adimitque & lumina morte reſignat.

Et de Morphæo Ovid. l. 11.

Morphea qui peragat Thaumantidos edita ſomnus
Eligit.

Et idem:

Excitat artificem ſimulatoremque figuræ
Morphea non illo juſſos ſolertius alter
Exprimit inceſſus, vultumque ſonumque loquendi, &c.

2 *Gaudii montes?*] Forte alludit ad illud vetus Gallorum Symbolum: *mont joye.*

1 *Quas*

Tenebis hodie Aſtioriſtem tuum. Regina his auditis demiſit in pectus anxium vultum, rurſuſque ſe erigens, adeò nihil lætum oſtendit, ut jam pœniteret me fabulæ. Quid tu me, inquit, rapis in dolorum memoriam? Aut hæc fortuiti ſoporis delira ſpecies fuit; aut ſi quid ſimplicius dii ſignificant, vitâ hodie defungar, amplectarque inter manes filii umbram. Imò, Domina, inquam, niſi mea promiſſa proceſſerint, vel multato exilio, vel quod omnium ultimum, odiſſe me velis. Ibo ad templum agamque cum Superis ut promiſſa repræſentent.

Tanta alacritate coëgi ut ſperaret; protinuſque digreſſus, pro templo ac diis, meam domum habui, unde fœlicitatem expromerem. Milites ergo cum munere ſuo in veſtibulo regiæ conſtituo; per Præfectum regiæ cuſtodiæ familiarem quidem meum, cæterùm rei quæ agebatur ignarum, paulò pòſt introducendos ad Reginam; ad quam interim redeo; teneoque ſilentium; ſi quid fortè ipſa prior inciperet. Conſtabat eſſe commotam. Nam interdum ambulabat præter ſolitam veſtigiorum menſuram; interdum reſidentem acerrimæ cogitationes figebant; in me denique ſæpiſſime intuebatur; cum ecce Prætorianorum dux ut rogatus à me erat, intravit, monuitque adoleſcentulum de prædâ venuſtiſſimum adeſſe, quem duo milites munus Reginæ adduxerant. Perturbatus Timandræ animus, nondum fata, quamquam ſeſe jam explicantia, capiebat. Nec quid majus ſuſpicata, milites juſſit admitti. At verò ubi cum munere fuerunt in conſpectu, ſuaviſſime hoſpes; ſtupore & affectu creſcente per gradus, ut correpta, ut poſſeſſa diriguit! Spes quam feceram vix paſſa eſt ut audiret ſuum munus commendantes; ſed ultrò, periculoſo & temerario impetu, inſpexit in pueri cervicem, agnitoque natalium ſigno, ut confuſam mentem tegeret, aliquamdiu pallam in vultum duxit; quaſi oculis malè eſſet. Obfirmata deinde, os retexit. Tandemque militibus poſt promiſſa, & gratias dimiſſis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

miſſis: mihi ſecretò his verbis blandita eſt: O præſtigiator! vigilans ſcilicet ſomniaveras! & quæ vera ſciebas, quò differres gaudia mea, referebas in ſoporis vanitatem? Scis quo modo te ulciſcar? Tardiora præmia erunt; quæ, fateor, debeo tibi ſumma. Referes poſtea, quâ ratione in puerum incideris. Nunc illum accipe; & tanquam ad noſtra obſequia inſtituendum ale. Diſciplinis tenerum imbuemus, quæ ſummam ſortem decent. Sine ſuſpicione interim illius aſpectu & colloquiis fruar.

Poſt arcana hæc verba, mihi publicè puerum tradit, quem Scordanem appellabamus. Ipſa, quò ſolutiùs lætaretur, in ſecretum ſecedit. Militibus autem præmia cum fide perſolvimus; regia quidem, ſed non tamen invidioſa, aut paria dono. Ecce autem in illo ſereno non temnendam vim ſubitæ tempeſtatis. Rex Aneroëſtus miſſis ad nos præconibus, nunciabat, Si quis ſuaviſſimum puerum, ſibique inter filios numeratum, reddere vellet, tantilli capitis pretium talenta centum fore. Pertimuimus ad illius importunam benignitatem. Nam quâ invidiâ aut ſuſpicione hunc Regina ſervaret, quem tam cari ſuus patronus licitabatur? Saltem barbaræ crudelitatis videretur, & hoc gaudium ſeni, & tot bona puero invidere. An ceſſaturus denique eſſet ipſe Scordanes, ſi ad vires fugiendi adoleviſſet; aut aliis centum talenta quæſiturus non ſe quoque ad furtum præbiturus? Dum hæc timemus, & nec placet cum Aneroëſto paciſci, nec honeſtè retineri puer poteſt; fortuna Aneroëſto infeſta illico nobis favit. In eum ſiquidem ſui cives inſurgunt. Subitum bellum fuit; exituque cruento in acie ceciderunt filii Aneroëſti, quos duos ſpei eximiæ habebat. Ipſum (quamquam non repertum cadaver eſt) illâ ſtrage occubuiſſe crediderim. Et tum quidem qui eum dejecerant, regnum illius tyrannico ambitu ad ſe traxere. Vix tantam Aneroëſti cladem Scordanes vivus tulit. Tanta illi pietatis, ſuæque jacturæ ſupra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

pra ætatem cognitio erat. Tamen morâ, & (quis puerum crederet?) argumentis demulſimus.

CAPUT XII.

ARGUMENTUM.

Inter artes regio nomine dignas, in Gobryæ domo creſcebat puer cum ultra bonorum patientiam ſæviente Commindorige, filium Timandra Regi ſiſtit. Is gaudio cæteriſque affectibus amens, tota mittit urbe præcones, qui populum ad concionem urgeant.

ITA redditus ſibi, nobiſque ſervatus, expectatione celeriùs, omnem ſui admiratione ordinem: omnem ætatem, in regiâ complevit. Seu equitandum, ſeu tela mittenda, ſeu ductus in pariete orbis ſagittas expectabat, ſtatim æqualibus major, tantus denique erat cui poſſent magiſtri invidere. Nec ſuperba, aut pervicax naturæ fœlicitas. Amabant omnes vinci, quia priùs neminem ullâ arte quàm humanitate & obſequio ſuperabat. Nihil in colloquendo urbanius. Cunctis cedere; ambire univerſos. fœcundiſſimus ſalibus, quos, ne læderentur cæteri, in ſe primùm experiebatur. Adoleſcebant præterea vires; [1] quas durabat luctâ, & palo; curſu quoque & venatu, domandiſque jugalibus; multâ præterea inſomniâ, parco victu; & tempeſtatibus anni totius, ipſo uſu, valetudini ſuæ conciliatis. Avi denique ſui (quod ego & Regina præcipuè apud nos gaudebamus) exhibebat non indolem tantùm, ſed vocem & geſtus.

Haud multò plus ſedecim annis vixerat, cùm animum illi ac vires maturaviſſe viſa ſunt fata, ne omnes periremus. Quippe Commindorigem ex nimiâ copiâ faſtidium ceperat noſtri obſequii. Ultra bonorum patientiam ſæviebat, ſcelere diuturno audacior, expertuſque quàm inultè Britomandes deſpici poſſet. Ad extremum nomen regium haud obſcurè optabat, clientum ſuorum vocibus

1 *Quas durabat lucta & palo.*] Palæſtra & jaculatione ad palum, qui ludi inter ſacros cenſebantur.

bus in hac ambitione frequentibus; ut dicerent, langueſcens ſub Britomande imperium, à ſtrenuo homine excitandum. Plus regnum Commindorigi debiturum, quàm Commindorigem regno, ſi id ei placeret auſpicari. Parum intereſſe Britomandis ad regia munia inepti, ac præterea virili prole carentis, quo nomine appelletur. Commindorigem non ſolùm ex primâ nobilitate, ſed præterea virum eſſe. Jamque haud procul ab exitu erant furioſa conſilia. Dicebatur tyrannus agitare quo tutiſſimè munimento Rex cum ſuâ Timandrâ teneretur; quæ ad eorum victum vectigalia relinquenda, quis utrique comitatus, quæve cuſtodia. Adeò denique deſpexerat jacentem Britomandem, ut perplexè auderet ſciſcitari, an relinquere ultro poſſet tam grave & moleſtum negociis regium nomen. Quippe ratus multùm ſibi deceſſurum invidiæ, ſi id à volente impetraviſſet. Laceſſitus indigniſſimâ voce Rex, tunc quidem tenuit iram; ſed deflere deinde apud Timandram fortunas ſuas cœpit. Illa nihil cunctandum exiſtimans, & ſi fata obſtabant, ſaltem fortiter pereundum; habeo, inquit, quo te ab impio hoſte vindicem, Chariſſime conjux. Sed timeo ne me facilitate tuâ deſtituas, detectiſque apud inimicos machinis, mecum quoque te obruas. At Rex Diis ſuperis manibuſque invocatis, confirmat ſe non tantùm ſilentio, ſed etiam auctoritate acceſſurum Timandræ conſiliis. Agnoſcere miſeram mentem quantum antè peccaverit; ſed vi injuriæ cladiſque quæ inſtabant, jam fortiorem eſſe.

Timandra his verbis lætiſſima; ſi fidem ſervas, ait, die craſtinâ vel victores dignitatem aſſeremus, vel Reges moriemur. Cæterùm nemini ipſa in illam noctem communicavit conſilium; niſi quòd fidiſſimos aliquot admonuit, ut ad ſe ſub auroram convenirent. mihi autem non tantùm adeſſe, ſed alumnum adducere præcepit, vultu adeò extra ægritudinem ficto, ut nihil inſolens aut turbulentum conjicerem. Tunc Commindorix venationi ope-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ram dabat, tertio ab urbe milliari; ante biduum profectus in regiam domum, ubi ſaltus, & feræ ſolis Principibus ſervatæ ſunt. Primâ igitur luce coimus ad regiam, ut erat imperatum. Sedecim non ampliùs eramus; quos ipſa ante Regem conſtituit, omnes ex numero Optimatum, & Commindorigi vel publicè, vel privatim inimicos. Cumque alumnum meum propiùs juſſiſſet accedere, ita ad Regem loquuta eſt. Adhuc incerta ſum, Domine, an tuo judicio crimen ſit, quod tanquam egregium facinus profeſſura advenio. Celavi te enim fœlicitatem tuam, ut ea ſecurior tibi eſſet. Nam hoſtes creſcentem ſuſtuliſſent, quæ matura nunc eoſdem pervertet. Ignoſce igitur quòd tamdiu ſilentio meo factum eſt ut neſcires quantum diis debeamus. Et, ut rem paucis aperiam, deſine iſto adoleſcente vivo, te liberis orbum credere qui patrio ritu in ſceptrum ſuccedant. Nam per deos deaſque quotquot appellari fas à me eſt; hic eſt filius tuus, hunc ignaro tibi peperi, mentita puellam ex me natam, quam paucis menſibus quibus vixit, de meo nomine Timandram appellaviſti. Simulandi cauſa fuit, ne in illum Commindorigis impietas aliquâ arte ſæviret. Cæterùm quamquam grave eſt præſentem laudare; dicam tamen quod non poteſt ſileri, aſſurrexiſſe eum in indolem dignam majoribus, & deos ſuâ curâ prolixiùs quàm optare auſa eſſem, meum conſilium aſſeruiſſe. Quippe naſcenti, [1] penates ruſtici quidem, ſed fidi, contigerunt. Ita infans deliteſcere atque ali commodiſſimè potuit. Creſcentem ſeu prædonum vis, ſeu potiùs benigniorum mens Cœlitum, deduxit ad externi Principis aulam, in quâ ſine ſuſpicione aſſuevit elementis negocioſæ & exercitæ vitæ. Hinc à diis ſpecie prædæ nobis redditus, ita conſummavit pueritiam, ita viriles annos exorſus eſt, ut utilis eſſe poſſe incipiat, nunc cùm tolerabilis Commindorix deſiit eſſe; qui premendus eſt,

1 *Penates ruſtici.*] Domus agreſtis, Meton.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

eſt, ô Rex, aut accipiendus in dominum. Quantum enim à captivitate abes? Quid aliud expectamus quàm vincula? Age potiùs, chariſſime Conjux, ulciſcere unâ horâ tot annorum audaciam. Quòd ſi te patientiæ conſuetudine deſpicis, at regnum avitum huic ſoboli tuæ ſerva; procerum etiam miſerere, quos hîc vides. Nemo enim illorum eſt, qui quoniam pro majeſtate tuâ ſtetit, non debeat aut mortem, aut eâ contumeliam graviorem, expectare à tyranno. Noli tuam dignitatem, conjugem, prolem, & tot fidiſſimorum ſalutem nunc prodere. Nec de meâ fide dubites; quaſi novandis rebus hunc falſo ſanguini regio aſcribam. En collo, en cruri extremo certiſſimas notas, tanquam fatorum ſigilla, quibus vario diſcrimine amiſſus repertuſque, me & illos qui conſcii mecum erant non fefellit. Sed præterea ejuſmodi ſunt tempora, ut etiamſi hæc commenta à me eſſent, debeas commodâ fraude uti. Interverte tuum hoſtem nullis faciliùs artibus quàm hac novitate domabilem. Partâ pace de hujus natalibus maturiùs habebis quæſtionem. Nunc ſi quod eſt eſſe non credis; at tua intereſt ut credere fingas. Verſa deinde ad filium; ô mi Aſtioriſtes, inquit, ita enim naſcentem appellavimus, liceat nunc te tandem bonâ fide amplecti. Mi gnate, tot mihi lachrymarum, tot votorum materia. Da frontem, da ora ad oſculum. Nunc primùm & te naſci, & me matrem eſſe exiſtimo.

Sic loquente Reginâ, omnes præter me obſtupuerant. Solus enim ſciebam vera eſſe quæ illa referebat. Sed nec in totum ab admiratione aberam, quòd adeò improviſo mihi conſilio rem ad Regem detuliſſet. Cæterùm ex omnium ore conſtabat quàm hoc novum mentibus eſſet. Raptâ voce, vultuumque conſtantiâ in ſe mutuò intuebantur. Deinde hi deos vocabant, alii mittebant lachrymas, aut ſublatis in altum manibus taciti mirabantur fortunæ ingenium. Ita enim Regina vixerat, ne quis fraudem ab eâ metueret. Nemo altiùs tamen ipſo Rege, &

 Aſtio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Aſtioriſte, mutatus eſt. Rex gaudio, cæteriſque affectibus amens, non loqui, non moveri. Inſpiciebat nunc in conjugem, cui longæ fidei experientiâ credebat, nunc in filium, & ipſum non minimâ perturbatione attonitum: cùm enim in illius collum Regina invaderet, non auſus negare amplexus, non offerre, incertus contremuit. Sed Regina lachrymis in conjugis vultu viſis audacior; patiaris, chariſſime conjux, inquit, hunc recipi ad genua tua, aut ſi jam te patrem ſentis, prior quoque porrige manum. At Rex, non me adeò, fidiſſima conjux, inimici dii agunt, ut hanc ſtirpem repudiem; virtutibus mehercule atque famâ, quantumcunque regio generi ingens decus allaturam. Equidem ſanctitate, & prudentiâ tuâ fretus, non dubito quin ex me ſit genitus. Quòd ſi tamen ipſa deciperis, ſi quod non eſt eſſe exiſtimas; nihil minùs hunc filium mihi volo, ut ſi non vincula naturæ intercedunt, ſaltem adoptione me faciat patrem. Simul in procumbentem toto pectore ſe dimiſit.

CAPUT XIII.

ARGUMENTUM.

Accitis ad concionem per præcones Civibus, Rex filium reſtitutum exhibet. Quam diverſæ in plebe mentes! Sub hos motus Commindorix in venatico habitu præcipitatione & iracundia calens conſcendit ad Regem. Expallere omnes uno Aſtioriſte impavido, qui Tyrannum ad Regem modeſtius ire jubet. Mox ventum ad manus. Sed percuſſus victrici Aſtioriſtis manu Commindorix debito fato ſcelerum pœnam luit.

CLARISSIMUS juvenis, & omni virtutis experimento notabilis, pridem omnium corda ſibi devinxerat. Igitur eorum qui aderant favorem nulla tantæ fœlicitatis invidia corrupit. Jam tanquam dominum intuebantur. Jam oſculum manui veſtique ferebant; etiam ſeniores revocabant ad avum Britomandem memoriam; & tum verè, tum illudente oculos pietate, plurima ex vultu illius naturam in nepotem tranſtuliſſe monſtrabant. Rex denique ab uxore quærere cœpit omnem deorum rationem quâ ſervatus filius ſibi eſſet. Sed Timandra; minùs occupatæ lætitiæ (inquit) erit illa narratio. Nunc à jugulis noſtris depel-

depellamus perniciem. Quamdiu Commindorix vivet, nec Reges eſſe nos, nec propemodum homines credam. Quo animo putas ſuperbiſſimum hominem accepturum hoc tuæ familiæ incrementum? Sed fruſtra, ſi me audis, ſævierit. Populi & militum animos, ſubitâ nec difficili arte occupa. O ſi te ſineret valetudo ad illos procedere; ſi coràm, facere tantis rebus auſpicium! At ille; poſſum ire, domina, poſſum: & niſi aliud conſulitis, placet populum in regiæ veſtibulum ad concionem vocari. Hoc erat, inquit Regina, quod optabam. Præcipitanda ſunt omnia, priuſquam aliquid admonitus Commindorix turbet.

Præcones igitur totâ urbe celeriter dimittit, qui populum ad concionem urgerent, quam Rex eſſet habiturus. Omnibus illi videbantur inſanire. Nam quis crederet Regem qui tot annis publico abſtinuerat, repente prodire ad populum, ac etiam orare? Quid inſolens, quid ſubitum contigiſſet? Monſtra hæc ſingulis erant, mutuoque ignari, ut in incertis fit, rogabant docebantque. Suſtinuere aliqui dicere, abdicaturum in ipſa concione majeſtatem hoc ultimum munus regiæ poteſtatis uſurpare. Erecta omnium ſtudia erant, fervebantque coëuntium turbæ. Prætoriani milites, & ipſi acciti, per centurias & ſigna conſtiterant. Sublimem inter hæc locum, inſtar ſcenæ, diligentiſſimè excitamus; ad quem poſtquam Britomandes Proceribus medius eſt progreſſus, & reſedit cum Timandrâ in ſuggeſtu, ſibique proximum ſtatuit Aſtioriſtem; variæ in populo voces fuerunt. Hi ad Regis conſpectum lachrymabantur; quærebant alii quid ſubitæ dignitatis apud Regem externo juveni acceſſiſſet. Sæpè denique imperato ſilentio Britomandes dicere exorſus eſt; Diis gratias haberi tam à ſe quàm populo æquum eſſe, quòd ſibi filium, regnoque heredem reddidiſſent. Hunc juvenem quem prope ſe collocatum cernerent, Reginæ partum eſſe. Sed hoſtium metu cùm natus eſt, eſſe celatum, eductumque ut privatæ ſortis infantem; deinde diverſitate fatorum amiſſum ac rece-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ptum. Se illo primùm die agnoviſſe eam ſtirpem, nec quicquam diſtuliſſe quin gaudium populo daret quod eſſe publicum oportebat. Ac ut gemina omnibus lætitia eſſet, ſe militibus quidem [1] donativum promittere; oppida verò & [2] portus triente tributorum & vectigalium levare. Fidem modò exhiberent viris dignam, adeſſentque Cœlitum cœptis, qui tam eximiè Galliæ faverant. Aſtioriſtes deinde Rege jubente, populo militibuſque loquutus eſt. Gratus antea omnibus fuerat; & tunc auſpicatiſſimæ formæ ſublimius aliquid acceſſiſſe videbatur. Is iterum donativo in craſtinum promiſſo milites ſuos fecit; Populo quem vectigalium minuendorum pollicitatio jam mulcebat (ea enim atrociter Commindorix, & ſub invidiâ Regis intenderat) adhuc [3] congiarium & epulum promiſit.

Tam novis & arduis rebus, ad trahendas vulgi mentes magno momento fuere Optimates, qui cum Rege & Aſtioriſte conſtiterant; hi firmiorum provinciarum rectores, alii Præfecti militiæ; propemodum autem clariſſimis ſtirpibus nati. Itaque multitudo cœlum acclamationibus implevit; miles armis concrepuit; facilique & ſubito impetu, ut vulgi ſunt ſtudia, univerſa concio conſenſit huic fortunæ. Soli Commindorigis clientes, tanquam in patroni exitio marcebant; aut illius freti potentiâ, tacitè minabantur hæc omnia eo abſente audentibus. Sed multitudini impares erant; quæ tunc quidem extra periculum fortis, mox ſubito terrore dejecta eſt. Quippe Commindorix ſub hos motus urbem intravit, aliquid inſolens agi per ſuorum quoſdam admonitus, qui ad eum decur-

1 *Donativum promittere.*] Donum eſt, quod duces militibus diſpenſabant: hoc Tacit. *Clavarium* vocat à Tribuno Ærario ejuſdem nominis.

2 *Portus triente.*] Tertiam partem portoriorum remiſit.

3 *Congiarium.*] Munus vel epulum populo datum ab Imperatore; nam congiarium proprie eſt menſæ genus, inquit, Paul. Juriſconſult. Tiberius congiarium populo trecentos numos viritim dedit: Caligula congiarium populo bis dedit tricenis ſeſtertiis: Nero quadragenos nummos populo diviſit. Ita Plin. in Panegyri; & Tacit. *quo primum die forum ingreſſus eſt C. Caligula congiarium plebi admodum lætæ, &c.*

1 *Sparis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

decurrerunt, ubi primùm vulgatum eſt concionem à Rege provocari. Is ut in venatico habitu erat, præcipitatione & iracundiâ calens, poſtquam vidit populum coiiſſe, & eminere in ſolio Britomandem, nondum gnarus quid ageretur, ſed tanquam ſupercilio ſatis omnia compreſſurus, conſcendit ad Regem. Nemo eunti obſtabat, diuturnâ tyrannide non in odium magis, quàm reverentiam & metum creſcente. Ergo per cuneos populi, jam muti timentiſque peccaſſe, ultrò exceptus eſt. Manu venabulum tenebat, ferrum erat ad latus. Pauci ex domeſticis, ut feſtinatio fuerat, comitabantur, noſtris [1] ſparis maximè armati. Jamque ad ſublimem contabulationem pervenerat, in quâ Regem pauci Proceres circumſtabant; illiuſque gradibus tumultuariè ſuperatis; Quæ, inquit, hæc inſolentia rerum eſt? aut quis Regi & reipublicæ, me abſente, per ſeditioſos conventus illuſit? Expalluerant omnes ipſa parendi timendique conſuetudine. Et parum videbatur in Rege opis eſſe. Solus Aſtioriſtes intrepidus ſtetit, proceſſitque mox obviam, & leviter manu repulſum, ponere tela juſſit, & ad Regem quem in ſolio conſpiciebat ire modeſtiùs. Commindorix aliquem id contra ſe auſum, acerrimâ indignatione permotus eſt. celerique conſilio ne impune hoc eſſet, contorſit in Aſtioriſtæ ora venabulum, quod ipſius declinatione vitatum, delatumque ad prætorianorum phalangem, peccavit in milite. Enſem deinde ex vaginâ uterque diripuit.

Memorabilius fortè ſpectaculum, hoſpes, noſtra ætas non edidit; quod ut te nunc etiam oblectet, finge animo rerum ſpeciem qualis hæc erat. Quicquid ſpatii circa regiam fuit, milites, populuſque (& ipſe de Gallicorum conventuum more armatus) latè ſtipaverat. Scenam illam quæ Regis ſolium ferebat, accerſiti à Timandrâ Optimates cõnſcenderant. Rex altior cum Conjuge ſedebat in ſugge-

1 *Sparis armati.*] Telum eſt ruſticum in modum pedi recurvum. Virg. l. 5. Æneid
— *Agreſtiſque manus armat ſparus.*

ſuggeſtu. Nemo tamen ubi Aſtioriſtæ & Commindorigis enſes fulſerunt, aut accendere pugnam aut prohibere ſuſtinuit. Tanquam aliquo fatali torpore omnes inhorruiſſent, undique ſilentium fuit, oculis mentibuſque in hoc unum certamen compoſitis. Ex illius enim eventu ſuam quiſque fortunam expectabat; & ceu ſuus funderetur illis enſibus ſanguis, ſic quiſque dolebant, aut vovebant. Deos etiam arbitros pugnæ plerique adeſſe cogitabant. Judicarent illi de lite, id eſt, de Aſtioriſtæ natalibus. Si non fabuloſæ vanitatis mendacio aſſerebatur in ſceptrum, non commiſſuros Cœlites, ut per tanta ſervatus prodigia in debitæ felicitatis limine caderet. Ipſa quoque pugnantium ſpecies intimos affectus ciebat, & multorum animos trahebat in partes. Nam Commindorix menſuram mortalium propè exceſſerat: validiſſimi erant artus, & proceritati non impares; trux vultus, integra adhuc ætas; virium, animorum, militariſque & [1] athleticæ artis ingens opinio. Contrà in Aſtioriſte vivida quidem, ſed tenera adhuc ætas, non altiùs quàm ad hoſtis ſui humeros ſtaturam promoverat: vultus, quamquam tunc minis aſper, qui virginis eſſe poſſet; liberale veſtigium; nec quicquam in eo timeri dignius quàm amari. Et hinc miſericordia apud bonos, quòd cum experto, & toties victore progrederetur. Cæterùm paria arma erant, enſis utrique. Nec dubitaverat Commindorix ipſo impetu juvenem proteri poſſe. Itaque ſpernenti vicinior tanquam ad facilem ruebat victoriam. Sed poſtquam adverſo mucrone depulſus eſt ictus quem altè paraverat, & Aſtioriſtæ gladium ægrè à jugulo removit; tunc verò diligentiùs in illum cæpit inſpicere, & ut in juſto diſcrimine ſe tueri. Jamque enſis utriuſque vanos in ictus bis terque ceciderat, cùm tandem Aſtioriſtes prior vulnus accepit in capite, quà in ſupremam frontem capillitium excurrit. Tum verò ſudore ac cruore

1 *Athleticæ artis.*] Palæſtræ, ſeu luctæ, cui nobiles in primis ſe exercebant, ut ad bellum expeditiores fierent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

cruore formoſior impatienter excanduit. Circuire, accedere, relinquere hoſtem, artiſque & ingenii mutatione laſſare. Urgebat nobiliſſimam mentem victoriæ decus, & præmium; gnarus illius mercedem certaminis Gallicum eſſe imperium. Sed omnium maximè pietas inſtabat; ut repertos parentes in dignitatem aſſereret. Ita hoſtem obſidenti tandem dedit ſe fortuna. Ut apud nos, [1] de veteri more, cæſim pugnatur, deſtinaverat fortè ictum in caput inimici, quem cervicis deflexio non in totum fruſtrata eſt. Incidit enim enſis in aurem, quam cum modicâ genæ parte dejecit in terram. Movit tyrannus cæſariem; horriduſque indignatione & minis infremuit. Furum pœnam ac dedecus ille caſus inflixerat. Manabat & plurimus ſanguis; adauxitque hoc ipſum inſaniam, quòd Aſtioriſtes (tanquam hoſte contempto ſatis jocis vacaret) dati vulneris dolorem cumulavit ludibrio. Recruduit itaque pugna; donec viſus eſt Aſtioriſtes indignari tanto tempore conſtare victoriam. Fœlix ictus, & Galliæ ſalutaris, qui Commindorigi lacertum eripuit; quo prolapſo inſtitit victor; recluſitque adhuc mori dubitantis vitalia.

1 *De veteri more, cæſim pugnatur.*] Id moris hactenus apud Helvetios invaluit.

CAPUT XIV.

ARGUMENTUM.

Ubi ſub paternis auſpiciis Aſtioriſtes regnare incipit, Aneroëſti manes tum Cenotaphio, tum hoſtili ſanguine placat. Deinde remotiſſimis diis votum fingit. Arcano huic itineri unus placet Gelanorus, ipſe mentito nomine, ut habitu, in Sicilia Poliarchus voluit appellari. Atque hunc ſe quærere ſtupens Arſidas profitetur.

EXULTAVIT Arſidas intellectâ victoriâ; [1] quaſi cadentem in arenâ gladiatorem ſuo plauſu ſequeretur; neque

1 *QUaſi cadentem in arenâ gladiatorem.*] Vel applaudentes, vel victo inclamanres, ut ferrum reciperet, ut Philip. 2. *Seu tandem Victori verſo pollice hunc neci deſtinantes aut vitæ erecto pollice.*

Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

— Converſo pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

que mora; videor, inquit, in Aſtioriſtem veſtrum inſpicere, Gobrya; qualis hoſte confecto, labore periculoque jam grandior, ſe parenti atque vobis exhibuit; ut lætitia, ut ſucceſſu, magnificè intumuit; quamdiu nudum ferrum, aſperumque hoſtili cruore, prætulit manu. Juvat ô Gobrya, in tam dulci cogitatione hærere. Sed quid mentis militibus populoque Commindorige cæſo fuit? Talem populum Aſtioriſtes habuit (ſubjicit Gobryas) qualem optares. Voce, plauſu, omni gratulatione efferbuit. Miles extemplo de juſſu Britomandis, [1] novo ſe juramento Principi obſtrinxit. [2] Nocte deinde feſtos ignes cives coronati, choreis cinxere. Nihil aliud audiebatur in compitis, quàm contumeliæ in tyrannum, aut Aſtioriſtæ præconia; quorum pars vulgaria erant, moxque caſura; alia quæ conſtabant numeris, quoniam canebantur, diuturniora habuimus. Noſter hic inter cæteros vates (ſimulque Druidam oculis deſignat) non abſtinuit carminibus in communi argumento; quæ, ut adhuc tanquam recenti victoriâ lætemur, ſi hoſpes jubebis, ut eſt humaniſſimus, recitabit. His auditis, Arſidas, magis ne Druidæ ingenium temnere videretur, quàm quòd amaret narrationem ejuſmodi interpolari carminibus, apertiſſimo vultu inſpexit in Poëtam. Nec multùm abnuentem exoravit, ut addito penè cantu, hos paucos verſus daret.

Nam

1 *Novo ſe juramento Principi obſtrinxit.*] Paulo Æmilio & Terentio Varrone Conſulibus, tunc primum per tribunos militum à voluntario ſacramento ad legitimum jusjurandum milites adacti ſunt, quod Imperator præſtare tenebatur primus, mox Legati, Tribuni, Centuriones, Decuriones, Præfecti, idque denuo ſingulis annis Kalend Januarii jurabant per Deos ſolemne juramentum; poſtea in acta Principum juſſu Conſulum conventuros, neque è caſtris eorum injuſſu quæſitis occaſionibus habituros, non fugæ formidiniſque cauſa extra ordinem receſſuros; niſi teli ſumendi, hoſtis feriendi, aut civis ſervandi cauſa, nec quid præter arma & victum furaturos.

2 *Nocte feſtos ignes cives coronati, choreis cinxere.*] Hactenus dimanavit ille mos accendendorum ignium & circumagitandæ choreæ in lætitiæ communis argumentum. Dicuntur Gallicè *feux de joye*, eſt & lætitiæ & triumphi ſignum capita coronis cingere, ut ſupra.

1 *Cui*

Nam quem de Superis colemus omnes?
[1] Cui plùs floribus intumeſcet ara?
Hic honos Superis ſit magis omnibus.
Non uno potuit Gallia numine
Exui vinclis meritoque fœlix
Plaudere Regi.

Divorum [2] cecidit manu tyrannus.
Hunc [3] Tirynthius, hunc [4] Diana telis,
[5] Pallas monſtrificâ perculit ægide;
Haſtis Bellipotens fulmine Juppiter.
Hunc & infeſtis petiit ſagittis
Certus Apollo.

Illi ſcilicet adfuere Divi,
Et ſuas tibi credidere vires,
[6] O Heros, miſeræ flebile vinculum
Dum rumpis patriæ, [7] Gallica Perſeum
Terra te ſenſit. Tibi liberata
Nupſerit uni.

O lux, ô bona, nec premenda nocte!
Sævum penè [8] puer Giganta ſpernis.
[9] Deſpexitque tuas ille ferox genas;
[10] Qualis tela diu tergore reppulit,
Auſus imberbem maculoſus hoſtem
Spernere Python.

Te

1 *Cui plùs floribus intumeſcet ara?*] Dictum eſt de frondibus, floribus & faſciis aras cingentibus.

2 *Cecidit manu tyrannus.*] Commindorix ſecundi gradus impatiens.

3 *Tirynthius.*] Hercules, ab Tiryntho Urbe Theſſaliæ.

4 *Diana telis.*] Quippe venatrix, ob lunæ radios.

5 *Pallas monſtrificâ perculit ægide.*] Clypeo Meduſæo: cuilibet autem Deorum propria aſſignat arma.

6 *O heros, miſeræ flebile vinculum Dum rumpis patriæ.*] O Aſtioriſtes dum patriam à ſervitute ſubtrahis.

7 *Gallica Perſeum Terra te ſenſit.*] Gallia experta eſt manum Aſtioriſtis, ut Andromeda Perſei, quem erepta cœto maritum habuit. Ovid. l. 4.

8 *Puer Giganta ſpernis.*] Tanquam alter David.

9 *Deſpexitque tuas ille ferox genas.*] Commindorix deſpexit tuam illuſtrem juventam, oriſque venuſtatem omnium amore digniſſimam.

10 *Qualis tela diu tergore repulit.*] Non ſecius quam Python ille ſerpens ex colluvie natus, qui auſus eſt inſurgere in imberbem hoſtem Apollinem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Te te delicias, ocellulumque
Naturæ juvenem! Ah pios nepotes,
Ah dona cupidis chare parentibus.
[1] *Tithonus thalamo ſeu tibi ceſſerit;*
Seu vehet curru, facietque lætum
Cynthia patrem.

Laudatis carminibus Arſidas vultum Gobryæ repetit. At ille, non te ſuperfluâ narratione conficiam, quæ Druidum, [2] quæ Equitum, decreta in Principes, [3] quot dierum ſupplicatio, quæ ad omnia fana populi turba; ut denique omnes in pacem (quæ in tantâ Commindorigis factione ſperari vix poterat) ſponte aut metu conſenſerint. Quia nox provecta eſt, hoſpes, & te dicendo fatigavimus; paucis ad hæc tempora noſtrum Aſtioriſtem perducam, qui experimentum potentiæ ſuæ cepit, non voluptatibus aut inſuetæ dignitatis ſuperbiâ, ſed liberaliſſimâ pietate. Ceroviſtum & Sicambrem, ſub quibus vixerat infans, accivit in regiam; ipſique Ceroviſto negotiis ſcilicet aſſueto quæ patres familiâs decent, ſuæ domûs præfecturam attribuit. Sicambrem tradidit matri; mox æquatam matronarum præcipuis. Cum eorum filio, qui & Ceroviſtus appellatur, puer aſſueverat luſitare, & tunc renovato commercio habuit inter familiares eximium. Adhuc illuſtrioris fuit in Regis Aneroëſti memoriam pietatis. Hujus in ſe amorem meminerat; Centum illa talenta pro puero & capti-

1 *Tithonus thalamo ſeu tibi ceſſerit.*] Sive te aurora Tithonum alterum curru avehat, ſive Cynthia, id eſt, Lucina te maritum accipiat.

2 *Quæ Equitum, decreta in Principes.*] Per equites nobiliſſimos, Regni proceres intelligit, qui Regii Conſilii fuere, ne in poſterum ad eum gradum Principes eveheret, qui Commindorigis inſtar ambirent Tyrannidem.

3 *Quot dierum ſupplicatio.*] Supplicatio honos fuit, qui ad gratias Diis referendas decernebatur Victori, cum Imperatoris nomine, circa omnia delubra & pulvinaria, ſeu lecticas, in quibus honos Diis habebatur à patriciis plebeiſque coronatis & carmen modulantibus. Primis temporibus in unum aut alterum diem ſupplicatio ægrè decernebatur; ut in Valerio & Horat. devictis Sabinis: poſtea tamen in quinquaginta decreta eſt. Ut Octaviano Mutina liberata Liv. l. 1. *Senatus revocatus in curiam ſupplicationes ob rem egregiè geſtam ab L. Æmilio Cos. in 5. dies circa omnia pulvinaria decrevit.*

1 *Hono-*

& captivo promiſſa, movebant gratiſſimum pectus; gaudebatque Timandra Regis illius caſibus palam filium ingemiſcere; conſcia ex meritis ſuis ipſa quantò magis amaretur. Itaque & [1] honorarium tumulum excitavimus Aneroëſto, bellumque tyrannis qui ejus regnum tenebant indiximus. Utilis regno hæc Aſtioriſtæ in alumnum devotio fuit. Nam domitis hoſtibus, terræ nobis & gentes ceſſerunt olim Aneroëſto regnatæ. Ipſe Aſtioriſtes bellum hoc geſſit; intraque ſex menſes validiſſimas [2] arces in Alpibus, & quicquid in illis gentibus roboris fuit, ſic quæſiit ſuo patri, ut nulla fidelior deinceps provincia nobis extiterit. Ubi tyrannos Aneroëſti ſpoliis incubantes partim in acie, partim ſuppliciis cecîdit, ad parentes inſigni triumpho revectus eſt.

In eâ fœlicitate triennium à Commindorigis morte regnavit ſub paternis auſpiciis. Ratum eſſe volebat Britomandes quicquid ille juſſiſſet. Hinc magiſtratus, hinc milites edicta accipere; ab eo provehi Optimates; aut, ſi merebantur, premi. In eo acquieſcebat Timandra, ſibique domi & foris videbatur fortunata. Ter illa omnino peperat. Primum natu Commindorix per nutrices ſuſtulerat. Aſtioriſtes ſecundo editus partu, effecerat ut ſoſpes eſſet familia. [3] Tertius labor, filia fuit, ſexennio Aſtioriſte minor. Hanc dii volunt incolumem; ſpecie ac moribus inclyta vivit. Cyrthæam appellamus. His ſe duobus liberis Timandra oblectabat; omneſque jam ceperat elapſæ calamitatis oblivio; cum mutandis ipſe rebus magno, ut exiſtimo, fato Aſtioriſtes incubuit. Cupiditate ſciendi quæ tellus quive homines extra Galliam eſſent, ſine cultu, ſine comitibus navigare inſtituit. [4] Herculem, The-

1 *Honorarium tumulum.*] Inanem tumulum, ſeu Cœnotaphium, honoris & obſervantiæ monumentum, quia evanuerat Aneroëſtus ex acie. Sueton. in Claudio, *honorarium Druſo tumulum excitavit, circa quem ſtato die decurreret miles, Galliarumque civitates publice ſupplicarent.*

2 *Arces in Alpibus.*] Montes ſunt, qui Italiam à Gallis dirimunt.

3 *Tertius labor.*] Partus.

4 *Herculem, Theſeumque referebat.*] Horum

Theſeumque referebat, & ex ultimo Oriente tot Heroas quæſiiſſe ſibi laudem ejuſmodi periculis atque vitâ. Addebat in tantâ poteſtate quâ Aulam regebat, ſe iniquis videri non tam aſſeruiſſe parentem in regnum, quàm aliâ ſervitute preſſiſſe. Sed alia, ut opinor, & ſecretiora ſuberant, quæ hanc illi peregrinationem commendarent.

Convocatis ergo Proceribus, conſiliique novitatem mirantibus; his ſe parentes dixit, regnumque tuendum pauliſper relinquere. [1] Nuncupaſſe olim vota remotiſſimis à Galliâ diis, quæ in eorum templis exolvere deberet. Ne verò hanc ipſius mentem triſtes acciperent, aut luctibus abeunti omen facerent. Rediturum enim incolumem & patriorum deorum numine, & religione eorum quos petebat. Cùm verò acriter repugnaremus; & ad preces gemitus quoque & lachrymæ paſſim accederent; ille, ut ſpe datâ mollioris ſententiæ, non adeò timidè aut enixè rogaremus, ſponte quidem viſus eſt flecti; ſed eadem ſubitò nocte ſe ab Aulâ proripuit. Tam arcano & perículoſo itineri unus omnino placuit comes, filius ille Ceroviſti & Sicambres, quem ludorum ſeriorumque conſortem diu habuerat. Quò profecti, ubi vixerint, quid illis periculi, quidve virtutis, quamquam nuper redierint, adhuc ferè incognitum. Adeò ſuos errores egregiâ fide tegunt. Tunc verò, ut timore, ut dolore ſtupuimus! Qui populi, qui Procerum vultus, poſtquam Aſtioriſtem abiiſſe compertum eſt! [2] Lymphati homines ibant, viaſque ſcrutabantur & flumina; ſi quà poſſent habere, & morari diſcedentem. Sola denique nos Timandra à deſperatione prohi-

Horum labores & peregrinationes recenſentur ab Ovid. in Metam. Et Virg. 8. Æneid. Senec. Tragœd. in Hercule furente, & Herule Oeteo. Quos conſule, ne toties recocta crambe, nauſeam provocet.

1 *Nuncupaſſe vota.*] Vide ſupra cap. 1.

2 *Lymphati homines ibant.*] Inſano furore correpti; Virg. Æneid.

Immenſam ſine more furit lymphata per urbem.

Lymphati quaſi nymphati dicuntur ab humore, vel quia creditum eſt ab antiquis (inquit Feſtus) *qui in fonte ſpeciem quandam & imaginem Nymphæ vidiſſent, furore corripi, Græci νυμφολήπτους vocant.*

1 *Coronâ*

prohibuit, poſt aliquot dies literas ab incolumi filio habere profeſſa. Neque tunc modò, ſed deinceps ſe frequentes accipere referebat, ſeu verè, ſeu neceſſario ſolatio ægras mentes refectura.

Haud multò plus anno Aſtioriſtes abfuerat, cum Britomandes morbo ſolutus eſt. Omnes de juvene querebantur, qui obſcurâ peregrinatione deſtituiſſet regnum; ut cùm Britomandes efferretur, penè regio funere lugubrius eſſet voces audire eum ad patriæ ſalutem vocantium. Sed interim capeſſenda negocia erant, & Timandra vivere filium; ac valere aſſerebat; ſibique dum ille rediret, reipublicæ ſummam eſſe tradendam. Soli illi obſtabant, quorum intererat Aſtioriſtem non vivere. Ab his vulgò mortuus jactabatur: Reginamque ajebant non ferendam, quæ virile aucuparetur imperium. Sic in partes facilè itum eſt. Plurimi cum Reginâ ſentiebant. Alios ducebat Commindorigis patruelis. Incaluerant factiones, adeò ut jam terrâ marique præſidia eſſent; Claſſis præcipuè curabatur; quia à Maſſiliâ Timandram excutere pro victoriâ hoſtes ducebant; & illa in portûs urbiſque tutelam nautas triremeſque contraxerat; cùm ecce in tempore Aſtioriſtes redit. Avidi ſtatim, noſtraque minores læticiâ, vix diis, vix fortunæ, vix oculis credebamus. Juvabat contrectare venientem, aſpectumque repetere. Omnis ætas, atque ordo, ſeſe domibus oppidiſque effuderat; non ingentis belli victorem veriora gaudia excepiſſent. Neque mora, ex ſeditionis manibus tela excuſſa ſunt. Rex ab omnibus ſalutatur. Et ne cruenta eſſent regnandi auſpicia, ſe omnibus quicquid in eum diem deliquiſſent remittere edixit. eo quoque lætiſſimus, quòd contractæ in armis copiæ eſſent. Hoc non temerè factum ajebat, aut maligno fato in Galliam; ſed auſpices deos hunc illi exercitum ad ea quæ deſtinaverat comparaviſſe. [1] Coronâ igitur patrio more

1 *Coronâ igitur patrio more ſumpta.*] Mos hactenus fuit apud Francos, ut Reges in ſua inauguratione, corona, purpura, ſcipione Regio & cæteris inſignibus

more ſumptâ Timandram tantiſper dum ipſe bellum gerit præficit rebus. Sibi enim [1] in Græciâ hoſtes eſſe. His ſe confeſtim perſequendis operam dare. Tum fortiſſimos militum imponit navibus, interimque dum à littore ſolvit, præcedere me jubet cum exiguâ parte claſſis, & ſcrutari maria, præcipuè quæ intercedunt Liguriæ atque Sardiniæ. Functus officio, omnibuſque exploratis, jam lentiùs ago remigia, certus ipſum venientem opperiri. Ex illius conſpectu atque colloquio, ſcies, hoſpes, me parcè tantum Regem laudaviſſe. Sed quando à Græcis pleraque Siciliæ incoluntur, & ille maximè Græcas urbes obivit; dic verò num ipſi de vultu aut famâ Aſtioriſtem noviſti?

Jam magis ſuæ ſpei Arſidas credens, obtutuque in terram defixus, poſtquam diu ſecum omnia exegit; Aſtioriſtem, ait, neminem novi, fortè de alio nomine; ſi præterea aliquod habet, agnoſcerem. Subitò Gobryas; & verò aliud, ut ab ipſo audivi, ſibi fecit, ut ſecurior eſſet humilioris quam fingebat fortunæ ſimulatio. Poliarchum ajebat ſe illic vocitari. Comitem quoque, qui nobis de nomine patris Ceroviſtus eſt, ſi memini, appellavit Gelanorum. Exciderunt ad hæc nomina Arſidæ vires: quem ut Gobryas attonitum, hilarique affectu divulſum vidit; cœpit quoque expectatione lætitiæ confundi; donec ille; quis Deus tam propitiæ captivitatis author tibi me tradidit? Erraſſem me hercule per littora veſtra, dum Rex interim navigat; & inutili voto, apud ignaros pro Aſtioriſte Poliarchum flagitaviſſem. Poliarchus eſt ille quem quæro; ea nunciaturus, quæ ſoſpes non poteſt ignorare.

bus ornarentur. Vide Analiſt. Imo adi celeberrimum totius Galliæ templum Sandioniſio-Benedictinum, quod non corporum modo, ſed & Regiarum veſtium Gazophylacium exiſtit ab annis mille & amplius.

1 *In Græciâ hoſtes eſſe.*] Erat inter Græciam magnam Siciliæ: neque raro in Græcos Galli bella moverunt. Teſtis Sicilia, teſtes Gallo-græci, ſeu Galatæ Gallorum coloni.

1 *O can-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

rare. Et ô vos tanto Rege fortunatos! ô candidos Galliæ dies! Quos non afflabit nominis veſtri terror! quanti ambitûs Regibus exteris ac gentibus erit in amicis aut hoſpitibus veſtris cenſeri! Idipſum me beat, quòd video vos cum exercitu navigare. Quamquam ſcio non pugnam, non aciem, ſed triumphi ſpeciem fore. Nam videre non experiri hæc arma æmuli veſtri volunt. Sed properè Rege convento mihi opus eſt; cujus privatim etiam hoſpes ſum. Gobryas his auditis profuſiùs Arſidam veneratus, haud ambiguè percunctabatur quid afferret aut à quo veniret. Sed Arſidas poſt incautum ſubiti gaudii impetum prudentius ſermonem tenens, magnopere dolebat, quòd Gobryâ ſolerter reticente in Siciliam vehi exercitum, ipſe ſe totius negotii gnarum eſſe temerè prodidiſſet. Eluſis igitur quæſtionibus, quibus eum Gobryas deinde urgebat, cœpit multùm flagitare, ut celeri navigio ad Poliarchum mitteretur. Et Gobryas; inhibebimus, inquit, noſtrarum navium curſum, hoſpes, non deductis tantum velis, ſed anchorarum jactu, ſi hæc maria ferunt. Ita haud dubie regia claſſis quam ſcio non ſegniter navigare, iſtâ nocte ad nos perveniet. Quòd ſi prima lux nobis illum non conjungit, triremem ſtatim dabo, & robuſtiſſimos remigum qui te vehant. Interim acquieſce in hac puppi, nec ſeciùs quàm inter familiares tuos impera. Poſt hæc verba ſtrato admotum reliquit, prociditque in vicino ipſe lecto. quamquam vix ſomnum læticia capiebat, & Arſidas inter cætera mirabatur, cur non monuiſſet Argenis, Poliarcho verum nomen Aſtioriſtem eſſe; quod à ſe oblivione omiſſum quoties & ipſa virgo meminerat, ut acris cupiditas facillimè turbatur, etiam erraturum Arſidam, vano metu audebat ominari.

CAPUT

1 *O candidos Galliæ dies!*] Fauſtos & dignos notari candido lapillo. Perſius Sat 3. *Hunc Macrine diem numera meliore lapillo.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT XV.

ARGUMENTUM.

Nox media vertebatur cum ventus exoritur, qui adductis nubibus cœlum eripit. Tandem in oram Siciliæ procella jactantur. Neque claſſi Poliarchi tempeſtas parcit: quare in Mauritaniam appellere cogitur. Inopino tumultu excipitur. Qui tamen deſiſtit, poſtquam amicum ſe ad Reginam venire teſtatur. Cauſa tumultus repetitæ res à Radirobane propter quas bellum indixerat.

JAMQUE non duces tantum aut milites, ſed & remigum multi quiete levabantur. Unus erat navis prætoriæ gubernator, cui ſuſpectum erat cœlum, montiumque natura quos à latere attollit Liguria; expertus ſolitos eſſe quà ſe demittunt, rurſuſque eriguntur, per anguſta diviſorum cacuminum ſpacia, procellas ſubitis flatibus in mare præcipitare. Nautas itaque vigilare hortabatur, & ad omnes ſolicitus auras, jam certiùs expectabat triſtiora. Nox media vertebatur, cùm à montibus ventus exortus eſt, qui inter navium funes erectos ad malum, primùm quidem ſibilo ludens, mox ſuſpenſum mare extulit; adductiſque nubibus abſtulit cœlum. Turbabantur ſubitâ feſtinatione nautarum officia ſimul inter ſe clamore ſublato, ſimul undis fracto ſtrepitu nondum vacuas aures repetentibus. Excitatus Gobryas erat, & ex gubernatoris vultu admonebatur non vulgare periculum. Quiſque ergo monere audebat, quiſque præcipere; ut penè tumultus ignarorum nauticæ artis non minore periculo creſceret quàm tempeſtatis fervor. Atri fluctus, aut eruto liventes ſabulo, inter noctis horrorem cerni non poterant; niſi cùm ingenti fragore alliſi velut accenſam mutuo verbere aquam inſtar ſcintillarum, mittebant in altum, rurſuſque ſorbebant. Solus ille ſpumæ attritus micabat in tenebris, qui ſæpè ominoſo impetu ſuperans objecta latera in medio fulgebat navigio. Intuta anchorarum mora erat; quia ſpatium navibus negabant quo aliquid indulgerent incumbentibus ventis. Alius deinde timor urgebat, ne, ſi vin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſi vincula deeſſent, inter ſe implicatæ triremes frangerentur. Tandem omne naturarum conſilium tempeſtas pervertit. Nam nec corrigi curſus poterat, nec ſiſti navigia. Ferri cœperunt quà ventus jubebat; aliquid ſcilicet veli relinquentes ad antemnam, quò naves per diſpares fluctus librantibus ventis ſtarent.

Nocte exactâ nihilo lætior dies fuit, triſtis imbre, & circumſtantis mortis imagine. Noctem quoque ſecundam vis eadem venti obtinuit. Ortâ deinde luce, ardor quidem tempeſtatis intepuit, ſed non plagam agnoſcebant, non maria, numeratiſque navibus paulò minùs mediâ parte abeſſe aut periiſſe querebantur. Ubi verò cura ſalutis jam propemodum aſſertæ, paſſa eſt ad alias ſolicitudines deſcendere, loqui cœpere de periculo Poliarchi. Quando enim illum haberent, aut quò quærerent, forſitan in adverſa aut ignota littora expulſum! Ubi denique ipſi eſſent, quoſve portus intrarent, affectis navibus, ſylvaque, & pice, & littore tuto egentibus? Arſidas omnium immaniſſimè fortunæ maledicebat, quòd dejectus à tantâ ſpe, neſciret undis an terra eſſent errores repetendi. Non ampliùs Galliam, non Rhodanum deſtinari; ſed vago, & quas maximè terras vellet ignaro, pererrandos omnes ſinus, quoſcunque tempeſtas potuit aperire Poliarcho. Unde illi [1] Phæacia eſſet navis, quæ ſine gubernatoris operâ in deſtinatos curſus ultro ſe flecteret? Numerare Argenidem dies; ad quam ſi vacuus rediret, quantùm abeſſet à parricida? Quanquam enim monuerat Gobryas in Siciliam Poliarcho eſſe iter; metuebat ne de tempeſtate laſſus conſideret in portu, aut ſegniùs navigaret, dum interim effluit tempus quo ſe ab Argenide expectari voluerat.

Hæc

1 *Phæacia eſſet navis.*] Quæ, quo vectores volebant, eo ſponte ferebatur. Homerus in Odyſſ. lepide deſcribit hanc navim, & quo impetu Ulyſſes ſopitus ad Regem Phæacum devectus, ibique remoratus eſt aliquandiu. Phæacia olim, nunc Corcyra dicitur in mari Ionio.

1 *Lixam.*]

Hæc volventi, & qui mos infœlicium, penè cum Gobryâ jurganti, quòd ſe in curſu ad Poliarchum tenuiſſet, nunciant nautæ inſtar nubeculæ aut caliginis procul videri; id ſe terram opinari. Quæcunque illa eſſet eò tendere Gobryas jubet. Cùm ſummâ vi remigaſſent, medio penè die quidam in exiguis lembis excepti ſunt, qui finitâ tempeſtate maria legebant, exploraturi ſi quid ad eos naufragia tuliſſent. Per hos eſt cognitum illam Africæ plagam eſſe; cæterùm arenis infidam, quas brevia huc & illuc tegebant; non procul abeſſe Numidiam. Deſertus haud longè erat portus, nec certum an ſatis hoſpitalis. Sed neceſſitas ſubigebat omnia ventis & pelago arbitrari tutiora. Ad terram igitur duces ipſi fuere qui de regione indicaverant; relictique pauci cum lembo, qui ſocios, ſi qui in proximo errabant, colligerent, magno deûm favore, omne quod à Gobryæ claſſe aberat, intra noctem receperunt. Ita, ut in malis rebus, optimè erat; omnes incolumes, nulla funditus navis perierat; incolæ præterea ſiccis piſcibus, cæteriſque quibus paupertatem ſuſtentabant alimentis exhibebant inſolitæ humanitatis officia.

Sed nec claſſi quam ducebat Poliarchus tempeſtas pepercerat. De Siciliâ, de vindictâ, de nuptiis cogitantem, haud injuſtè impleverat ſui fiducia. Quando in regio habitu erat, tot opibus, tanto exercitu ſublimis, cur generum aſpernaretur Meleander? Radirobanem, Archombrotum, & ſi qui præterea æmuli erant, ſeu privatis ſeu publicis armis decernere vellent, audebat deſpicere. Ad extremum legem Siciliæ, quæ potentiora matrimonia abnuebat, vel ſe ferro reciſurum credebat, vel interpretatione remoturum; ne Sicilia nempe Gallico ſceptro diceretur accedere; ſed legibus antiquis viveret; & ſi plures peperiſſet Argenis, eſſet ſecundæ prolis hereditas. Inter hæc ſtudia videbatur navigium non ſatis ferri ventis, aut agi remigibus. Ibat ergo per tranſtra, tonſaſque laſſabat;

cùm

cùm illa tempeſtas incubuit, & à curſu quem inſtituerant ſubmovit. Ipſe quamquam intrepido animo erat, tamen cùm aſſilientes pertinaciter undas vidit, & veluti ſuum caput voventes, matri & ſponſæ dedit, ut mori timeret. Torpentes itaque magnitudine mali, admonuit ne artem projicerent, neve ultima timerent; nobiliora ſibi fata deberi, quàm ut eâ ætate undis obrueretur. Eâ ſpe quamquam habuit ad officia ſtrenuos; parum tamen potuere in acerrimos fluctus, donec claſſe compulſa ad externæ & ignotæ regionis proſpectum, ſponte mare detumuit. Tunc verò nec remigibus vires ad novum laborem ſupererant, nec debilia navium latera, & pondere tot undarum, quæ in illas arietaverant, laxa, diutiùs navigationem ferebant. Ægerrimum id erat Poliarcho, omnes dies qui ipſi extra Siciliam lucebant, ſibi & Argenidi capitales credenti. Vicit tamen nautarum conſenſus, timorque naufragii. Nam & ſibi propter Argenidem charus eſſe incœperat. Petere igitur proximum littus jubet, ſi quam navibus ſtationem reperiebant.

Adhuc incerti erant qui homines aut quæ tellus; ſed amœnam plagam eſſe multæ arbores monſtrabant; modicique colles ad mare. Varia quoque navigia, ad piſcationem, aut merces paſſim ſtabant in anchoris. Præmiſerant igitur nautas in expedito lembo, ſciſcitaturos quæ pars terrarum eſſet. quibus mox ad Poliarchum referentibus, Mauritaniam eſſe, ipſe locorum ſpeciem à ſummo contemplatus tabulato; ô Gelanore, inquit, noſti fluvium? noſti oppidum [1] Lixam? noſti procul in hoc colle dominæ villam? Hæc illa eſt Mauritania nobis amica; illud optimæ Reginæ Hyanisbes imperium. Non nos fata in totum averſantur, quæ fractos ac neſcios impulerunt ad fœderatum littus. Sed ne ſubito claſſis adventu terreamus imprudentes; vade prior ad Reginam. qui me caſus egerint, mone;

[1] *Lixam.*] Oppidum Mauritaniæ à flumine ejuſdem nominis, quo alluitur, appellatum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

mone; ora placidum navibus meis portum. Interim adverſo remigio naves circa hos fluctus ſiſtemus. Statim rumor inter claſſiarios nautaſque vulgatus eſt, [1] hoſpitalem ſuo Regi eſſe terram quam cernerent; nihil ſeciùs quàm in patriæ ſinu tam vectoribus fore quàm ratibus. Haud tardè, quòd vehementiſſime optabant, alacres crediderunt; lætoque [2] celeuſmate rates impulſas, ubi deinde imperatum eſt, pariter à curſu obliquis ſuſtinuerunt remigiis. Nam ad portum, priuſquam indulſiſſet Regina, accedere non placebat.

At verò Gelanoro, ubi primùm in expeditâ rate ſubiit flumen, inopini tumultûs atrocitas illam prolixam ſecuritatem eripuit. Quippe undæ concitatis fervebant navigiis; multoque terrore, totas ripas tela compleverant. Cauſa ſubiti motûs fuerat, viſus procul in mari cum exercitu Poliarchus. Nam hoſtilem claſſem audiverant (nec fama fallebat) in eos navigare. Illam eſſe tunc rati, formidoloſe decurrerant ad arma. Pauci adhuc milites lecti; vix aliquæ naves armatæ; (nam haud pridem denunciatum erat venturi belli periculum.) Civium ut plurimùm iſte concurſus fuit, qui tumultu inſani circumſtetere denſis ſcaphis venientem Gelanorum; quia præconem ab hoſte jam vicino, & ſub eo nomine exploratorem, credebant. Ille quamquam perturbatus, tamen identidem repetebat, ſe amicum & fœderibus tutum, non meruiſſe aut timeri, aut diripi; denique à Poliarcho ad Reginam nuncium advenire. Fortè adfuit qui hoſpitem agnoſceret; ex eodem littore pauciſſimos antè menſes cum domino Poliarcho ſummo favore Hyaniſbes digreſſum. Mutatis igitur vulgi affectibus, cœperunt de claſſe rogare quam cernebant. Ille non exercitum Africæ inimicum, ſed Poliarchum adeſſe cum ſuis copiis confirmavit. Sic in terram egreſſus, perdu-

1 *Hoſpitalem eſſe terram.*] Ob theſauros à Polarcho Hianisbæ repoſitos.

2 *Celeuſmate.*] Vox lætantium nautarum eſt, ſe invicem ad portum vicinum cohortantium. Ut ſupra.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

perductuſque eſt ad Reginam, quam belli præſentis opinione attonitam, ita refecit, ut non tam cum militibus Poliarchum, quàm præſides Africæ deos adveniſſe arbitraretur. Protinus ex purpuratis miſſi, qui Poliarchum invitarent ad terram. Ipſa pluribus interrogare Gelanorum, quas imperio gentes obtineret Poliarchus, in quos arma deſtinaviſſet, quove conſilio ſub veſte privatâ antea ſuppreſſiſſet majeſtatem. Gelanorus quæ premenda aut referenda eſſent haud neſcius, Reginæ animum dulciſſimis allevabat ſermonibus; ut vix eum ad dominum redire pateretur de hoſpitii humanitate nunciaturum.

CAPUT XVI.

ARGUMENTUM.

Quanquam Hyanisbe duplici ſollicitudine angitur, tum inſtantis belli, tùm litterarum quas à filio Archombroto de fœderibus cum Argenide ineundis acceperat, purpuratos tamen mittit qui ad hoſpitalitios lares Poliarchum ſollicitent.

QUINTUS jam dies erat, ex quo cibum ipſa Regina vix ſumpſerat, occultis & publicis curis gravis. Namque ut Radirobanes inverecundo in Argenidem ſcelere fœdus, [1] Calarim rediit, penſato cœptorum dedecore, timuit ne leviorem ſuorum reverentiam deinde experiretur; haud dubius ita vulgi, ita militum animos eſſe, ut Principes ex ſucceſſibus æſtiment. Dari enim virtuti fœlicibus quod fortunæ eſt; & fruſtratos impetus contemptu vindicari. Ne itaque ocio ſermones ſererentur, utque præterea implacidam mentem novorum motuum guſtu reficeret, in belli conſilia rurſus incubuit, ſed in Siciliam confeſtim redire non placebat. Quia ſe illic expectari non dubius, omnia fervere paratibus augurabatur. Inveniendos potiùs eſſe in quos interim verteret impetum, dum & novi milites ad arma durarentur; & deinde ex morâ remittentibus Siculis curam, improviſus in Meleandrum invaderet. Nec defuit cupienti novi belli occaſio. Diu erat,

1 *Calarim rediit.*] Primariam Sardiniæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

erat, quod Mauritaniam invadere meditabatur. Et hæc cauſa fuerat claſſis ornandæ, quam deinde Argenidis & Siciliæ potiundæ injecta ſpes, ad juſtiora in Lycogenem bella provexerat. Tunc verò & antiquæ movendi in Mauritaniam cauſæ redibant in animum; & ad illas præterea viſæ ſunt recentes accedere. Fortè enim Mauri peiratæ, non magis externis quàm popularibus graves, ex aliquot mercatoribus Sardis prædam egerant; & ipſe ex Sicilia rediens ſpoliatorum queſtus lætus accepit. Neque mora; tanquam publico Maurorum conſilio illata hæc fuiſſet injuria, ad Hyanisbem miſit, non modò qui res repeterent, ſed juberent de noxiis dari ſibi ſupplicium. Illa, neque res ſuo raptas auſpicio, neque ſontes in ſuâ poteſtate eſſe, reſpondit, aut illos ſe pro civibus habere. Vindicarent ſe Sardi ubicunque noxios deprehenderent: ſe quoque ultioni quà poſſet acceſſuram. Radirobanes reſponſo Reginæ in deterius apud Sardos de induſtriâ vulgato, finxit acriùs iram: Sardiniam à Mauris ſperni, & ideò neglectos eſſe queſtus, quia minæ abfuerant.

Itaque tanquam ſatis violatis fœderibus, non modò ulciſci mercatores, ſed & repetere majorum ſuorum jurgia cum Mauritaniæ Reginâ conſtituit. Nam veteres Sardiniæ Reges ſibi deberi Mauritaniæ ſceptrum contenderant frequentibus bellis. Poſtea ſæpè has lites aut induciæ, aut nomen pacis ſuppreſſerat, quæ mox (ubi alterutri Regi placebat) veluti à ſomno receptæ, ſpecie æquitatis libidinem armorum tegebant. Tunc verò Radirobani viſum, ſic exercitu uti, quem à Siciliâ ferocem reduxerat. Et quòd mulier in Mauritania imperabat, facilior promittebatur victoria. Ut hæc tamen armorum & violentiæ libido, ad imaginem juris accederet; [1] adornavere illico Fecia-

1 *Adornavere Fecialem, qui auſpicaretur bellum.*] Cujus munus erat bellum indicere, emiſſo in hoſticum telo, cum iſtis noviſſimis verbis, Bellum dico facioque, &c. Vide infra & ſupra, & Q. Curt. l. 2. & Livium l. 1. Ubi fuſe de ſancta & inviolabili ſanctitate & de cæteris ritibus, longoque carmine.

1 *Repa-*

Fecialem, qui auſpicaretur bellum, dum ſubitis in Sardiniâ delectibus [1] reparantur legiones. Et ille ubi Lixam pervenit, ad Hyanisben intromiſſus, eam niſi ſceptro decederet, niſi Mauritaniam Radirobani traderet, ſtrenuè adfuturos cum exercitu Sardos, qui jus ſuum perſequerentur, audacter pro ſui muneris inviolabili ſanctitate admonuit. Regina improviſo territa malo, non tamen cunctanter reſpondit; Vile eſſe Radirobanis cœptum, quo mulierem cogitabat pervertere, fortè robur non auſus in viros experiri. Annorum plurium pacem, nihil læſum, nullo in populis motu, corrumpere, in perfidiæ viciniâ eſſe. Non poſſe falli deos; ſed nec abeſſe humana præſidia; [2] neque unam eſſe Tomyrim, quæ ſanguinem ſitientibus ſciret dare. Ab eâ digreſſus Fecialis, ubi ſtetit in littore, dexterâ haſtam tenens; quod, inquit, rem Sardorum publicam Mauri violant, nec moniti emendant contumaciam; quodque Rex & Populus Sardorum Reginæ & Populo Mauro bellum juſſit; ob eam rem ego Rexque & Populus Sardiniæ, Reginæ & Populo Mauritaniæ bellum dico facioque. His ſolemniter dictis, telum emiſit in hoſtico, & receptus in navem viam ad Radirobanem relegit.

Audebant Hyanisbem proximi amicorum incuſare, quòd abeſſe filium eſſet paſſa in quem debuerant belli curæ recumbere. Se enim ideò ad contumeliam faciliores Radirobani viſos; Venire quaſi ad vacuum regnum hoſtem; illamque aciem deſpicere in quâ virilis purpura non fulgeret. At illa fortunam plus quàm ſe peccaſſe referebat; quæ rerum placidiſſimum curſum inopinâ tempeſtate turbaſſet. Sed & filium non procul abeſſe; & impigrè rediturum,

1 *Reparantur legiones.*] Legio conſtabat ex ſexcentis equitibus & ſex millibus peditum. Plutarch. in Romulo.

2 *Neque unam eſſe Tomyrim, quæ ſanguinem ſitientibus ſciret dare.*] Tomyris Scytharum Regina, impatiens filii necis, adactum in anguſtias Cyrum cum exercitu confecit, ejuſque caput in dolium ſanguine affluens immerſit, dicens, ſatia te ſanguine quem ſitiſti. Vide Juſtin. l. 2.

turum, acceptis literis quas ad eum cogitabat. Interim milites legerentur, nec quicquam ſedulitati deeſſet, quam illa tempora quærebant. Vix biduum inde proceſſerat cùm de rebus quæ inſtabant, inter Proceres agitanti, nunciatur alterum ex filii ſervis (duos enim omnino abvexerat) perveniſſe ad Regiam. Stupuere ſcilicet omnes, videbaturque non impar fabularum vanitati fœlicitas; in ipſo temporis articulo adveniſſe, qui certò de Principis valetudine referret, moneretque unde eſſet arceſſendus. Servuli autem ad Reginam mittendi cauſa hæc fuerat. Archombrotus poſtquam ad nuptias Argenidis nihil deeſſe ſibi vidit præter authoritatem matris; ne ſibi moræ eſſet in lætiſſimis rebus, ad eam famulum dimiſit cum ejuſmodi literis quas juvenis, & amator, & inter illos impetus tamen maternæ poteſtatis haud oblitus, ſcribere poterat. Porrò mater, erat ipſa Hyanisbe. Is verò inter ſuos Hyempſal dicebatur; ſed ex matris imperio ad Græcos navigans, genuſque diſſimulans, [1] conveniens illi genti nomen aſſumpſerat. In iis literis magnopere ſuæ in matrem reverentiæ imputabat, quòd ex juſſu ipſius generis ſui fortunam fideliter tacuiſſet: cæterùm fœlicitatem offerri quæ ſuperaret omnia vota; affinitatem cum opulentiſſimo Rege, poſſeſſionem Siciliæ, Virginemque in quâ animi dotes tantæ hæreditati præſtarent. Orabat, ut Regi, cui tantopere ignotus placuiſſet, ſuorum natalium decus liceret aperire. Etiam ipſa ad filii hymenæos Optimatum præcipuos dimitteret, pecuniamque, & opes, quæ Mauritaniam commendarent Siculis in illius auſpicium tranſituris.

Reginæ non tantùm non jucunda epiſtola fuit, ſed ad illius lectionem conterrita ſic expavit, ut qui aderant nihil lætum de Principis valetudine ſuſpicati, percunctarentur à ſervo quid dignum attuliſſet eo Reginæ vultu quem

1 *Conveniens illi genti nomen aſſumpſerat.*] Nam cum in Africa vocaretur Hyempſal nomine avorum, in Sicilia dictus eſt Archombrotus.

quem cernerent. At ille Hyempſalem non modò valere, ſed & apud exteros egregiè florere confirmabat. Hyanisbe quoque non dubia, ex ſuâ conſternatione alios timuiſſe, vultum collegit; deûmque auxilio incolumem filium dixit brevi rediturum in patriam. Sed ubi ſecreta fuit cum famulo qui litteras attulerat; puto, inquit, ſatis tibi à filio imperatum, ne hîc ulli enuncies apud quam gentem verſetur. Tu ſodes diligenter fidem ſerva. Neminem enim meorum ſcire hoc volo. Oportet præterea ut ſtrenuè redeas. Primo mane abibis hinc ad illum. Fides tua effecit, ne te præmiorum admoneam, quæ utrimque te expectant. Hæc effata ſeceſſit in Gynecæi penetrale, non magis de Radirobanis injuriis quàm de filii voto ſolicita. Tantamne vim negociorum mihi ſubitò eſſe objectam? Hinc Siciliæ affinitatem timeam, illinc arma Sardiniæ? Tune, chariſſime, ut Meleandri gener fias? Ut te imprudens in eam regionem miſerim, quæ te, & nobiliſſimam virginem unâ ruinâ perdat? Avertant Cœlites quod meo errore merui. Quid heu ſemel, & Radirobanes mihi regnum, & Argenis filium tollit? Sic plena terroris [1] ſumpſit ceram, in quâ ejuſmodi verba poſuit. Quantùm cogitationes tuæ à rerum noſtrarum fortunâ abhorreant, mi gnate, hinc ſcias; quod vix ab oculis meis abſceſſerat Fecialis Sardiniæ, nobis à Radirobane denunciator belli, cùm literas tuas accepi; quæ te intempeſtivo hymenæo inſtare docuerunt. Fortunæ gratulor, & virtutibus tuis, per quas effectum eſt, ut adhuc de genere & opibus ignotum, Meleander ſuâ affinitate dignum exiſtimet. Sed maculabis tuam famam, ſi amori indulgens, matrem & patriam ſines turbulentiſſimi Radirobanis prædam eſſe. Noli Siciliam utcunque dotalem, maternæ Africæ præferre; quam incolumem vix habebis, niſi confeſtim huc properas. Scis quanto faciliùs res ſervari, quàm per-

1 *Sumpſit ceram.*] Tabulas cereas, in quibus ſuam mentem ſtilo exararet.

perditæ poſſint recipi. Poſt matrem aſſertam, poſt triumphos, & fortiſſimæ pietatis decora, ibis major ad fœdera, & dignior peti. Sed neque in Radirobanem ſolùm, aut bellum, moras retuleris quas nuptiis illis jure materno injicio. Periiſti, mi gnate, niſi priùs loqueris mihi quàm ducas Argenidem. Redi confeſtim ad chariſſimam matrem. [1] Gaudebis ædepol, & grandem pietatis mercedem eſſe intelliges, hoc ipſum quod mihi parueris. Nam ut meam mentem ſcias, adeò intereſt [2] ante conjugii ſacra, à me ipſa te moneri de rebus arcanis, quæ non literis, non nunciis credi poſſunt; ut ſi poſtvertas officio, me tibi matrem negem. Accedam ad Radirobanis partes, ne hereditate & veluti ſpoliis meis exultes quam mœrore confeceris. Jam hoc ſatis imperatum tibi puto. Indolem novi, quam non potes ullâ fortunâ aut peregrinatione exuiſſe. Cæterùm, ne me tuis pervicaciter votis putes averſam, nihil abnuo quin Siciliæ Regi indices te filium meum eſſe. Qui ſi te generum optat, ſi tibi cum filiâ Siciliam vovet, tecum idoneam mittat manum, quâ irruentibus Sardis obſtes. Faxo in Siciliam illico redeas, poſtquam te hîc filium ſenſero, & Radirobanes hoſtem. Vale. Conſcriptam in hunc ſenſum epiſtolam ſervo cùm traderet, adjecit, ut filium hortaretur nullibi moras ducere, priuſquam perveniſſet in Africam; & hæc piè curare quæ ipſa his literis mandabat. Servus omnia pollicitus ut decebat, tamen biduo ob tempeſtatis vim mari excluſus, vix denique à portu ſolverat, cùm adeſſe Poliarchum Gelanorus nunciavit.

CAPUT

1 *Gaudebis ædepol.*] Per ædem Pollucis.

2 *Ante conjugii ſacra.*] Sic Athenienſibus nulla dabatur nuptui, niſi Palladis ſacra obiiſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT XVII.

ARGUMENTUM.

Hyanisbe regio cultu Poliarchum in arena excipit, & ad Cœleſtis Deæ templum provocat. Reliquum diem belli cura abſumit.

TUNC verò Hyanisbe non ſine deûm numine adveniſſe vires amicas præfata, Poliarchum in arenâ cultu regio curat excipi. Ipſa cùm Aulam intraret obvia fuit. Et exacti memoria beneficii, & præſentis operæ quam ab eo ſperabat neceſſitas, humanitatis officia geminabat. Tanquam cum filio loquuta eſt; niſi quòd reverentia accedebat blanditiis. Nec deerat ille laudibus ſuis, tam ſubmiſſus in Reginam, tam concinnâ modeſtia ſe inferens, ut plerique ſucclamantes tanquam matrem & filium uno ad deos voto conjungerent. Diſpoſiti in littore erant qui duces illius militeſque exciperent. Publicè omnibus hoſpitium præbebatur. Maurorum una vox erat, gentem externam nullo Mauritaniæ junctam commercio, nulla ſtipendia quærentem, adeſſe, quæ ſuo ſanguine periclitantes tutaretur. Ergo amplecti venientes, & pro ſe quiſque benè hoſpitibus precari; in liminibus quoque vina coronaſque ſtatuere; ut mirum eſſet Gallis adhuc ignaris quod Afri beneficium petebant, alicubi terrarum meliùs peregrinis quàm in Galliâ ſuâ eſſe. At Regina non morata diutiùs, quàm dum à veſtibulo Poliarchum ad Aulam deduceret, ita loquuta eſt; ecce te Regem, vir fortiſſime, non nunc primùm cognoſcimus. Nuper ſub privato habitu cùm hîc eſſes, ſuſpeximus tuas dotes, quas diligenter explorantibus nulla minoris ſortis ſimulatio eripuit. Tunc quidem me mihi reddidiſti, cùm animam propè meam latrones abſtuliſſent in ciſtulâ. Jam verò ut aſſeras tuum munus, ſive tuo ſive cœlitum conſilio huc cum armis appuliſti. Quippe improvidam, & pace nimia deceptam, Rex Sardiniæ Radirobanes bello aggreditur. Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

pectamus quotidie claſſem noſtris littoribus infeſtam. Nec contrahi vires tantillo momento potuerunt. Mulier ſum. Filius abeſt. Tu patrocinium ſuſcipe; & gloriæ tuæ tribue ne Reginam, & injuriis petitam, videaris deſpexiſſe. Equidem ſummam tibi rerum permitto. Tantùm aliquos dies ad præſidium morare; ut nemo de Radirobanis furore ſine mentione tuæ virtutis loqui poſſit. Quantumcunque, & quocunque feſtines, legitima erit hæc mora.

Hæc dicentem non modò majeſtas, ſed & mœſtitia ac penè lachrymæ commendabant; pudebatque Poliarchum extremam oranti opem tardè annuere. Sed rurſus amoris ſacramentum, & quòd ſupplex etiam ac miſera erat Argenis, ſubmovebat ſtimulos præſentis pietatis; donec vehementer miratus Radirobanem ab Afris timeri, quem credebat in Siciliâ eſſe, percunctatus eſt, ubi ergo terrarum is degeret. Quem poſtquam intellexit à Siciliâ abſceſſiſſe, & vel eſſe in Sardiniâ, vel adverſus Africam navigare, acerrimo metu cohorruit, ne raptâ aut traditâ Argenide receſſiſſet in patriam. Nec diſtulit quæſtionem; & ecquid audiſtis, ait, illum Siculi Regis generum eſſe? Hyanisbe quæ ex Archombroti literis certa erat innuptam eſſe Argenidem (breviter quidem mirata, quid hoc ad Poliarchum) negavit ejuſmodi quicquam factum. At ille ignarus, quis hanc ſibi operam dediſſet; quâ depulſus ratione Radirobanes, quove authore eſſet; cogitavit, nihil tunc igitur cauſæ eſſe, ut tam præceps Siciliam cum exercitu peteret. Nam quid præter Radirobanem urgeret Argenidem? At verò apud omnes pro flagitii infamiâ fore ſi deſereret Hyanisbem, & veluti traderet hoſti. Mittendum ex fidis hominibus aliquem qui interim Argenidem ſolaretur, & negotii admoneret, quod neceſſarium fortuna objecerat. Quòd ſi non impetu hoc bellum veniret, ſed tempore traheretur; tunc ſe pace Reginæ, relicto in Mauritaniâ præſidio; cum copiarum parte diſceſſurum ex Africâ. Neque parvum manendi incitamentum erat.

Radi-

Radirobanes, velut fatalis hoſtis ubique objectus: Ulturum enim ſe, ſpecie vindicandi Hyanisbem, dolores quibus ille Argenidem cruciaverat. His pauliſper penſatis, Reginæ in hunc modum reſpondit. Quòd ſilentio meo ſuſpenſam te habui; ne crede, Regina, me ambiguâ conſultatione verſaſſe an eſſes relinquenda; id eſt, an paulò nequior ipſo Radirobane eſſe poſſem. Sed me prædonis, non nunc primùm apud me damnati ſcelus movit, rurſuſque meæ ſortis fœlicitas, quæ meos errores propitia huc advertit. Nam ſeu te, Regina, ſeu cauſam, ſeu benevolentiam in me reſpicio, tantâ verecundiâ tibi devinctus ſum, ut negare nil liceat. Quando igitur ita res tuæ ſunt, omnia mihi poſthabeo; utere regni mei viribus; ſciaſque in te colendâ nihil me tuo filio ceſſurum; neque impune, me vivo futurum Radirobani, quòd tuam veluti orbitatem provocavit.

Adeò hæc læta vox Hyanisbæ & Proceribus fuit, ut in Cœleſtis ſuæ ædem plerique decurrerent, omni ſuffitu gratias habituri de adventu Poliarchi. Nec religionem popularem averſata Hyanisbe, etiam Poliarchum provocavit ad templum. Concitata juveni erat ex maritimo periculo pietas: ut nec invitus ad numinis Afri limen accederet. Vidit ergo, & amoris ſui vota illi [1] Cœleſti commendavit; quam, ſeu Venerem, ſeu Junonem exiſtimes, virginis ſpecie factam leo vehebat, oculis in altum erectis,

1 *Cœleſti, quam, ſeu Venerem, ſeu Junonem exiſtimes, &c.*] De Cœleſti quod proprium Africæ numen fuit, multa ſtudioſe & erudite Petrus Pythœus monuit; Quis Deus vel Dea fuerit non addit: vulgo Venerem interpretantur. L. Apulejus Afer lib. 6. & 11. De aſino, obniti videtur, & Junonem eam facere, adſtipulatur Statius lib. 10. Leoni inſidens depingitur, unde D. Ambroſius adverſus Symmachum Cybelem exiſtimavit, ſemper inviſa Romanis non æquæ Carthaginis Numina. Herodianus l. 5. lunam eſſe dicit, quam Cœleſtem Afri, Mitram Perſæ, Xiphilinus Uraniam; Platonici tamen, Marſilius Ficinus, & Pauſanias in Arcadicis hanc Venerem appellant. Leo tamen, qui Deam vehebat Cybelem, videtur arguere. Ovid. lib. 10.

Dente premunt domitos Cybeleia fræna Leones.

Plura habes apud Lucian. de Dea Syria, Philoſtr. de hæreſ. c. 16. Baronium, anno Chriſti 339. De illius deſtructione vide S. Proſp. de prædict. l. 3. c. 36.

1 Cœle-

ctis, pectore quoque & primis pedibus in ſublime ita verſis, ut in cœlum eniti videretur. [1] Cœleſtem Venerem, Parcarum natu maximam, primi Aſſyrii coluere. Hinc non longè [2] ad Tyrios potuit commeare religio, & ab iis inter Carthaginis auſpicia Africæ tradi. Tunc quidem in honore præcipuo Mauris erat: & ſub ſigno iſtos verſus marmore inciderant, quibus non modò illa dea, ſed & Africa celebrabatur.

Ne cœlum, ne, diva, tuo ſubvecta Leone
Irrupiſſe velis. Magis hîc tua limina ſerva,
Limina, quæ votis meritoque implevimus auro.
Tu ſi diva faves, [3] Libycis non finibus illa
Præſtet humus, cui Sidonii de littore Ponti
Virgo tulit nomen falſo ſubvecta juvenco;
[4] Aut molles Aſiæ tractus, quà Martia multum
Frangitur, & blando laſcivit ſydere Virtus.
Aſpice quàm lætis jactat ſeſe Africa fatis.
[5] Illam ingens curvis Nereus amplectitur ulnis,
Ceu cuſtos totamque videt: [6] Ni faucibus obſtet
Una Pharos, geminumque ſolo diſcriminet æquor.
Ridet cultus ager; facili ſata credita ſurgunt
Fœnore: Magnanimi [7] celebrant deſerta Leones;

Et

1 *Cœleſtem Venerem, Parcarum natu maximam.*] Hanc & ſub Libitinæ & unius Parcæ nomine coluere.

2 *Ad Tyrios potuit commeare religio, & ab iis inter Carthaginis auſpicia.*] Nam hi à Tyriis deducunt originem, teſte Virg. l. 1. & 4. Æneid.

—— Tyrii tenuere coloni,
Carthago, &c. ——
—— Hic illius arma,
Hic currus fuit.

3 *Libycis non finibus illa Præſtet humus, &c.*] Europa eſt, quæ nomen habuit ab Europa rapta à Jove in taurum transformato. De qua Ovid. Metam. l. 3.

4 *Aut molles Aſiæ tractus, quà Martia multum Frangitur.*] Aſiatici propter ubertatem ſoli intemperantes eſſe ſolent.

5 *Illam ingens curvis Nereus amplectitur ulnis.*] Africa peninſula eſt, quæ ſolo Iſthmo Arabico continenti conjungitur circumquaque vero mari, vel mediterraneo, vel Oceano, vel ſinu Arabico cingitur, diviſa ſolo freto Gaditano ab Hiſpania. Hic commendatur Africa ab ſuis miraculis.

6 *Ni faucibus obſtet Una Pharos.*] Olim inſula Ægypti oblonga, Canopico Nili oſtio objecta, & unius diei navigatione à continente direpta, ſi Homero credimus.

7 *Celebrant deſerta Leones.*] Deſerta Lybiæ ob æſtum vehementem dant ortum Leonibus, unde dicti ſunt Marmarici. Plin. teſte.

1 Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

[1] *Et dites ſtrident ebora inter candida ſylvæ.*
[2] *Heſperidum hæc fulvos genuit terra aurea ramos;*
Heſperidumque Atlanta patrem, qui vertice magno
Arduus in miſeras cœlum deſcendere gentes
Non ſinit, aut tactis ſordeſcere ſydera terris.
[3] *Hîc tepidus lavit naſcentem Pallada Triton.*
[4] *Hîc & fatidicus mediis in Syrtibus Ammon*
Haud ſitit, & multâ velat ſuâ cornua ſylva.
Nos Pater Armipotens, [5] *nos & Junonia ſervant*
Numina, [6] *nec montes ſpernit deus ales avitos.*
[7] *Tu quoque, Cœleſtis, Genitrix tu maxima rerum,*
O adſis; Libycas & qui jam dicere dotes
Certabunt, ſeu Muſa chelym, ſeu ſumet Apollo,
Te, dea, te primam, & tecum tua munera narrent.

Nuncupatis apud Cœleſtem votis, reliquum diem belli cura abſumpſit. Quinquaginta varii generis navigia erant Poliarchum comitata. In iis ultra duodecim armatorum millia ferebantur. Pars claſſis tempeſtate debilis in arenam ſubducta, alia, pelagi fluminiſque obſervatura conſi-

1 *Et dites ſtrident Ebora inter candida ſylvæ.*] Eſſe Elephantes in eadem Libya teſtis eſt idem Plin.

2 *Heſperidum hæc fulvos genuit terra aurea ramos.*] Fabulantur Poëtæ ad radicem montis Atlantis Heſperides Viridarium coluiſſe, ubi mala aurea vigil Draco ſervabat, harumque partem Atlantem cœlum humeris ſuſtinere, ne cœleſtes orbes & ſydera in terras delaberentur.

3 *Hîc tepidus lavit naſcentem Pallada Triton.*] Pallas ſupra Tritonem Paludem Africæ primum viſa, unde Tritonia dicta eſt, ut ſupra.

4 *Hîc & fatidicus mediis in Syrtibus Ammon Haud ſitit, & multâ velat ſuâ cornua ſylva.*] Juppiter Ammon ſub ſpecie arietis colebatur in Libya, eo quod ſitienti Libero patri in Arabiæ deſertis, Jovemque patrem imploranti apparuit in forma arietis, qui terram concutiens pedibus, fontem oſtendit. quamobrem templum à ſe ædificatum Jovi Ammoni, hoc eſt, arenario conſecravit; Græci enim *ἄμμον arenam* vocant, de quo fusè Perrotus, Plin. l. 4. Fatidicus dicitur, quia reddebat oracula mediis in Syrtibus, ubi ventus montes arenoſos ſæpe circumaggreget. Additur, *velat cornua ſylva*, eo quod eſt illud templum in media ſylva; vide Q. Curtium, l. 4.

5 *Nos & Junonia ſervant Numina.*] Juno Mauritaniæ protectrix; nam,

— Hic illius arma,
Hic currus fuit. —

Æneid. lib. 1.

6 *Nec montes ſpernit Deus ales avitos.*] Mercurius Majæ Atlantidis filius amat Africam, ubi mons Atlas dictus de nomine avi Atlantis.

7 *Tu quoque, Cœleſtis.*] Vide ſupra, quæ de Cœleſti Dea.

1 *In-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

confinium, cum Mauritaniæ triremibus in ſtationes diviſa eſt. Trabes, remos, & cum funibus vela, omnia denique armamenta, ingens feſtinatio conferebat. Inter mare & urbem delectus caſtris locus; & additi Gallis Mauri vexilla in eodem fixere Principio; [1] induti more gentis ferarum ingentium pelles, & Elephantorum terga curvantes in uſum clypeorum: paucos tamen hos eſſe Poliarchus dolebat. Nam vix ad tria millia ſcripti milites erant; cives autem, caſtris inepta multitudo, intra Lixam cum armis ad mœnia aggereſque ſervandos continebantur. Neque ille dubitabat quin cum Gallicis quas advexerat copiis poſſet debellare Radirobanem. Sed ſi bello non prælio opus erat; quid faceret in Siciliam iturus? Soluſne proficiſceretur? an ſuos milites ſecum abveheret, quos Hyanisbe propemodum ſolos habebat? Huic curæ intentus, conſtituit hortari Hyanisbem, ut gentilem aciem ampliori delectu adornaret; non quaſi Radirobanis metu, ſuive diſceſſus mentione injectâ; ſed veluti transferendo in Sardiniam bello, ſi fortè timidioribus mutatus conſiliis hoſtis ceſſaret.

CAPUT XVIII.

ARGUMENTUM.

Quod exigi tributa nulla debeant, Hyanisbe Poliarchum ad ea impellentem arguit. Nam ad naturam accedit, ut quiſque opibus fruatur induſtria ſua partis: & civili rationi commodum eſt, ut quid ſuum eſt, quid alienum intelligat. At enim ære multo ad quotidianos Regiæ præſidiorumque ſumptus opus eſt. Eſto: ſunt patrimonia Regum, & portoria quæ ſufficiunt, ſi ea gratioſis non prodigunt aut non negligunt. Fit enim plerunque ut Reges innocentiſſimum vitæ genus, vivendo de ſuo vectigali omittant, aliudque inſtituant prædæ proximum.

IGITUR poſterâ luce, de belli ratione cùm ageret, ſuaſit, ut tributum in belli apparatus Mauris omnibus imperaretur; quò Regina pluribus cohortibus, atque turmis, gereret bellum; Numidas quoque qui in vicino erant, mercede

1 *Induti ferarum ingentium pelles.*] Pellibus olim uſi ſunt pro lorica & clypeo teſte Hercule, indui ſolito Næmei pelle leonis.

mercede conduceret. Utiliſſimum conſilium (retulit Hyanisbe,) & quod meæ etiam menti ſuccurrerat. Sed quis locus convocando nunc ex totâ gente concilio, cujus neceſſaria eſt tributis indicendis authoritas? Stupuit Poliarchus, liberis regnis aſſuetus. Non ergo jus regium, non regionis diſcrimina, ſatis populum cogere ad tributa; niſi ipſe per homines à ſe legatos conſentiat? Scilicet nervos imperii, id eſt ærarium, in poteſtate populi eſſe; hunc arbitrum rerum, & ſuorum Regum Regem uno hoc jure publicis omnibus cœptis, conſiliis, viribus, moderari? Certè non regnandi veras leges hoc pati; non cum ſummi imperii nomine convenire. Cœpit deinde hortari Hyanisbem ut excutere anniteretur peſſimi moris jugum, quo ſceptrorum libertatem Mauri adſtrinxerant. Et tentandi an id populus pati poſſet, tunc commodiſſimum tempus eſſe, cùm externo pavidi bello, crederent penſione quam Regina imperaſſet, ſe ſalutem redimere; videberis, inquit, non novandis quidem rebus intendere vim regiam; ſed ſub diſcriminis articulo extraordinariâ quidem, ſed neceſſariâ ratione id æris impetrare à civibus. Quod ſi ſucceſſerit; præjudicio utique erit, ut & in cæteris periculis, nihil rogato populo idem neceſſitatis terror ad tributa ſufficiat. Et, ut quamvis averſæ, aut faſtiditæ rerum ſpecies ipſo uſu nobis conciliantur, paulatim aſſueti patientur ex uno Regis ſuffragio rem pendere; magno quidem ipſius populi commodo, cui ſæpe libertatis umbra illuſit.

Scio, retulit Hyanisbe, multum mihi, prolique acceſſurum, ſi hanc nobis poteſtatem pararem. Sed nec unquam abſque diſcrimine ea novitas proferretur in populum; & nunc omnium minimè, cùm in hoſtem concitandi ſunt animi; jamque ſatis externi eſt mali, abſque civili diſcordiâ. Ædepol efficaciùs Radirobani pugnarem, quàm ille omni exercitu quem parat. Nam & Maurorum contra me ſtudia accenderem, & illi placarem. Dii præterea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

obſtant ne hunc morem violare aggrediar, quem omnino exiſtimo ſanctiſſimæ æquitatis pleniſſimum. Quem autem? ſubjicit Poliarchus. Ne, inquit Hyanisbe, inconſulto populo aut invito, ulla tributa Rex imperet. Placetne Reginæ perſonam nunc exuam; quæque ſæpè in hanc rem audivi, aut ipſa cogitavi recenſeam; vel ut mecum ſentias, vel ut errore me liberes? Placet, inquit, Poliarchus. Patrocinare illis, qui nec perdi niſi propriæ poteſtatis licentiâ poſſunt; nec ſervari niſi ad obſequii reverentiam adacti. Simul ſe ad audiendum compoſuit, juvenili animo indignatus id quod tantopere ſentiebat oppugnari; neque ratus Hyanisbem tàm ex animi ſententiâ loqui, quàm ſubductæ poteſtatis pudorem ſpecie æquitatis tegere velle; quaſi ſublevaturam ſuas anguſtias, ſi ad ſortem ad quam ipſa adigebatur, alios Reges damnaret.

At illa; Principatus conditos ſcimus, ut vi ſublatâ quæ omnia ad potentiores trahebat, ex naturæ & rationis imperio agantur res humanæ. Quid autem ad naturam magis putes accedere, quàm ut quiſque opibus induſtriâ ſuâ partis fruatur; aut rationi civili commodius, quàm ut intelligamus quid noſtrum, quidve alienum apud nos ſit? Atqui de medio utrumque tollimus, ſi quæ cives ſuâ diligentiâ peperere, vindicamus ut lubet ærario, facimuſque ne ſciant quantum ex domeſticis opibus Regi, quantum ſibi jura attribuant. Quî enim id ſciant; cùm non hoc ſuum, ac ne legis quidem arbitrium ſit, ſed Principis duntaxat unius; cumque tributo ſemel exacto, adhuc ipſi ſimpliciter ſuis bonis non gaudeant, quæ aliis ſcilicet Regis edictis poſſunt rurſus delibari? Miſtæ hereditatis atque confuſæ, quot mala ſint ſi ignoras, reſpice ferventia litibus fora. Hanc communionem, hoc chaos, non amici, non fratres diu ferunt. Ipſæ denique uxores ſcire volunt, ſuis ex bonis quid in maritum transferant, quidque ſibi recipiant. Quis igitur diuturnam & publicam pacem ſperet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ret, ſi quæ Rex adimit civibus, facit ſua; quæ relinquit, adhuc habet cum illis communia?

At verò ubi tollendi tradendique fines ſunt, ea æquitas à naturâ præſcripta cuique familiæ limites ſuos, jura, officia, deſignat. Spes deinde placendi, & aliquid utrimque vel impetrandi, mutuam neceſſitudinem inſinuat inter Regem ac populum. Quippe populus, ne Princeps commiſſum ſibi ferrum ſummo jure ſtringere amet, ne temerè ineat bella vel paces, ne imperitis aut levibus publica munia dividat, ſponte regiam gazam de ſuo implebit. Erunt hæc præmia, quibus Principis virtutes donabit; ſimulque præteritis beneficiis gratiam referet, & futura merebitur. Rexque viciſſim non committet ut cives ſævis aut externis moribus lædat, nihil quoque, ſi duriùs cum illis agetur, de ſuo conceſſuros. Hæ ſanctiſſimæ ſunt habenæ, quæ Regem populumque jungentes, utrimque ab injuriis & ſuperbiâ arcent luxuriaturam poteſtatem.

Sed opus eſt ſcilicet ære ad quotidianos Regiæ ſumptus; & ex magnificentiâ Regum de viribus & opulentiâ regionis exteri judicant. Quid præſidia? (inquies) quid claſſis? Vix ullum profundius mare quod ingeſtas opes abſorbeat. Equidem vera hæc eſſe, experimento quoque comperimus. Sed nec ullis Regibus tam anguſtè à populo legem dictam exiſtimo, quibus ad hæc regni munera atque inſignia non opes ſufficiant. Ingentia illis patrimonia, & ſi probè curentur ſatis dignitatem aſſertura. Portoria quoque non pauca, licitatoribus magno redempta; his pleraque præterea jura & in aliis gentibus aliiſque diverſa ſunt. Hæc gaza, hæ opes, Regi ad ſplendorem ſufficient, ſi regnare ſolus volet, nec prodigis animis quos inſanè aut ſerviliter amat penè in purpuræ communionem aſciſcere. Aſt ubi tàm perdendi quàm rapiendi aviditas illum invaſit; ut nec aſſuetæ & legitimæ opes, ita nec ulla tributorum acerbitas tantam voraginem explebit. Subeat imperia populus, ſuam operam ſuoſque labo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

res in ærarium conferat, at is Princeps ([1] ut de Eriſichthonis fame pueris narramus) ſemper vacuus, & erectis in futurum votis, egebit. Eo quoque profuſior quò facilius credet rediturum ſanguinem confecto ærario. An ergo miraris abſtinere populum nihil profuturo obſequio, & negare proceribus paucis qui Regem circumſident, opes ſibi & liberis paratas; quas tamen & Regi donabunt; ubi illas jam non ex prodigæ mentis morbo, ſed efflagitantibus patriæ rebus expoſcet?

Audio quoque in gentibus quæ patientiſſimæ tributorum ſunt, minùs illo obſequio Regibus agi quàm creditur: quia patrios fundos, & quicquid Regibus in domeſticâ hereditate eſt, paulatim hæc facilior popularis pecuniæ ratio atque fiducia evertit. Negligi enim patrimonia illa Regum, tanquam anguſta, aut laborioſa, aut denique ad privatorum ſortem accedentia, incipiunt; mox in gratioſos homines dividi, pignori dari, veraque aut ſimulatâ emptione excidere. Ita Reges innocentiſſimum vivendi genus omittunt, de ſuo vectigali; aliudque inſtituunt proximum prædæ; nec tamen auctis quàm mutatis opibus, tamen veluti victores ferociunt.

An denique legitima regna à ſævitiâ tyrannorum diſtinxeris; ſi utrobique res ſuas precariò cives poſſident? miſerorumque hominum tota interdum cum ſuis laribus ſupellex, de exhauſtis domibus rapta, ſub haſtâ & præconibus proſtat? Nec invidiam facio vani ſpectaculi mentione; ſi vera retulere qui in regionibus fuerunt in eam ſortem Regi obnoxiis. Quod enim viritim imperatur, ut leve ſit opulentis; at ruſticos, at colonorum tenuiores, ſæpè ſic premit, ut non penum, aut ſtratum relinquat in quo

1 *Ut de Eriſichthonis fame narramus, eo profuſior, quo credet rediturum ſanguinem confecto ærario.*] Illuſtris comparatio cum Eriſichthone, qui filiam ſuam vendebat, nunc in hanc, modo in illam formam ſe convertentem, ſperans eam ſemper in paternas manus redituram. Ingenti autem fame cruciabatur, quia Cereri ſacram arborem ceciderat.

1 *Non*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

quo ſaltem perculſi conquieſcant. Quid hoſte victore expectarent acerbius?

Tetigit Poliarchum de agricolis invidioſa narratio. Itaque non paſſus plura dicere Hyanisbem, ita orſus eſt. Nollem iſti (Regina) per quos hæc crudelium, ut memoras, tributorum fama ad te allapſa eſt, maligno compendio tradidiſſent rem obſcuram: ſed apertâ rei ſerie eſſent uſi; quæ tàm Reges, quàm ipſum vectigalium morem abſolveret. Numquam enim Regibus eſt animus hæc edi crudelitatis exempla, quæ memoras. Si verò Quæſtores ac Judices fortè interdum atrociùs quæ juſſa ſunt extorquent; aut qui viritim indicunt, quid de tributo exolvere quemque oporteat, iniqui in nonnullos extiterint; an ideò Regibus tributiſque tam ſæviter iraſcendum? etiamque ſolvendi in totum publicæ rei nervi, qui ex ejuſmodi vectigalibus conſtant? Eſto enim. Pone eos errare qui dividendis in ſingulos oneribus ſunt delecti: adde in capiendis pignoribus præter modum ſævire lictores; facias quoque ſi placet, in crimine eſſe Reges ſub quibus hi mores rigebunt; at nihilo iniquior erit ipſa poteſtas Regum; jus, inquam, de quo agimus, indicendi vectigalis. Niſi fortè juſtæ res non ſunt, aut leges, aut jura, niſi cùm iis juſtè utimur; exuuntque naturam ad virtutem eorum, aut vitium, quibus commiſſa ſunt. Quid ſi populus juſſerit tributum tibi conferri; nihil magis legitimum, inquies. Sed in eo colligendo, ſi, ut ſæpè fit, injuſtiùs duriuſve cum civium aliquot agetur. An poſt hanc injuriam legitimum eſſe deſinet, quod conſenſu populi ratum fuit? Nemo verorum Regum eſt, cui inconſulto populo belli indicendi, paciſve firmandæ non ſumma poteſtas ſit. At ſi temerè eo jure utentur, hoſtemque intempeſtivè facient, aut laceſſent; quantò id populo damnoſius erit, quàm ulla tributorum aviditas? Neque tamen, ô Regina, hanc ideo armorum poteſtatem negabis eſſe juſtiſſimam, quòd eam, ut conſtat, poſſumus iniquiſſimè uſurpare:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Ut inde intelligas ex ingenio aut ſcelere hominum non æſtimandam eſſe rectitudinem legum ipſarum.

Ajebas, daturos operam Principes modeſtiâ, cæteriſque officiis, ut in ſuarum virtutum præmium ferant ſponte à civibus tributa. Neſcis enim quibus maximè Regibus apud populum ſit veneratio. quàm ſæpè rectas artes deſpiciat; falſiſque virtutibus, aut ſplendidis vitiis decipi amet, ut denique ejus ſtudia à ſalute publicâ divertant. Imò adulandum plebeculæ erit, & ex illius libidine capeſſenda negotia, ut deſerti officii mercedem Principibus conſtituat. Frænum pretio removebit; pretio laſciviet, & peribit. Malè agitur cum rebus humanis, ſi non bonis, ſed plurimis placere Reges volent.

Salubriores fieri aquas putant, ubi ex puteis aſſiduè hauris; quæ, ſi ceſſas, aliquo veterno emoriuntur; haud diſparis fati vires & animi vulgi ſunt. Ipſa laboris aſſiduitate crudeſcunt, & ignaviam odere. Ocio corrumpuntur. Num igitur utiliſſimos neges ſtimulos eſſe qui ad diligentiam omnium virtutum fœcundiſſimam eos adigunt, & ad negligentiæ torporem non ſinunt connivere? Atqui nulli ad eam rem acriores quàm hæ Regibus penſitandæ pecuniæ. Quippe ſi ſocordiæ amore, vivere parcè, & negligere corporis cultum maluerint, quàm labore opulentiam parare; non ideò in remiſſionem ſolvi licebit: ſed à ſui curâ abeuntibus, præſtò erit hic Regibus, aut veriùs patriæ debitus labor; quo penſionem parent haud dubiè à lentis etiam aut invitis exigendam. Ita dum coguntur ad alienæ utilitatis operam, pro ſe quoque aſſueſcunt laborare. Mox illos pluſquam pro ſe aut pro Rege tenebit ipſa laboris & induſtriæ conſuetudo. Hinc artificiis cultus, hinc corporibus & animis vigor; & in pari omnium aſſiduitate, regionibus opulentia non mollis atque luxurians, ſed virilis & robuſta. Eâdem operâ rudis plebs atque incondita, ſparſique in agris ad paſcua aut aratra homines, domiti labore, ſenſuque ſortis ſuæ monentur ſe obſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

obſequio, non imperio genitos eſſe; qui, ubi non in uſu aut poteſtate Regum ſunt illa tributa ſolertiam ſolicitatura, ſæpe feroces, nec magiſtratibus tractabiles, ſtolidè aut periculoſe ſuperbiunt. Nempe ingenia quæ virtutibus non impleveris, vitiis vacant; veluti ceſſante cultu ager, quem meſſibus onerare timueris, ſe inutilibus herbis ſpontè exhauriet.

Finge tamen eſſe leges, quæ negligentiæ & ocio mulctam dicant, ſuoque ſatis ingenio vulgus acui ad laborem. Demus præterea populum judicio non carere, & Principe juſtam utique opem petente ſuas impigrè opes collaturum in publicum. Quid verò ſi occurrunt quæ & ſubito peragi debent, & niſi publicis ſumptibus non poſſunt expediri? Dum monetur populus, dum delecti vocantur, aliquot menſium labor eſt, & religioſum hunc ordinem non expectant negotia; effluitque inter moras rei gerendæ occaſio; aut ingruit malum, quod præſentibus repuliſſes ſtipendiis. Quid dubitas, Regina, vel ex ſtatu præſenti agnoſcere quàm juſtè de moribus illis querar? Inſtat hoſtis externus: Bella non auro minùs, quàm ferro geri ſolent. Quia tamen citiùs aderit hoſtis, quàm populus conveniat, deerunt tibi publicæ opes, quibus alas exercitum, & ex vicinis gentibus auxilia contrahas.

At nec ſubita modò Regibus occurrunt; ſed ſæpè ſecreta, quæ & intereſt non vulgari; & inter hanc tamen quærendæ pecuniæ rationem tegi vix poſſunt. Voles invadere in hoſtem imparatum, aut quæ olim tua rapuit inopinatò recipere. Intereſt ne ille, aut omnino vicinia conſilium intelligat; In hanc rem igitur dum neceſſarias opes quæris à populo, indiciſque concilium, an proferes in publicum tuæ mentis arcana? at ſimul tuorum conatuum velut animum in ventum effuderis. Sin verò (ut oportet) habebis hanc molitionem tibi ſecretam; quid cauſæ ad populum afferes rogandi tributi? quid ſi lentus eſt, impellendi? An præterea æmulas circùm gentes, aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

illos omnino quorum intereſt te eſſe quietum, incurioſos fore vel ſegnes exiſtimas? Quos utcunque fefelliſſes, conſuetâ, nec ſtrepitu publiciſque rumoribus notatâ, poteſtate exigendi tributi, hos ipſa conventûs celebritas, quem ex omnibus provinciis cogis, quique ignorari non poteſt, ad ſuſpiciones, & ſui curam, erexerit.

Si verò (quod ſæpè fit) non civibus cum Rege conveniet; ſi contemptu vel odio eum lædere amabunt, illiuſque conſilia quamquam recta deſpicient; quid rebus tandem fiet? Ut ſi qui imperiti, dum hoſtem ferire ſtatuunt, ſeipſos obverſo telo tranſverberent; ita populus ſuo & patriæ jugulo imprimet vulnera Regi inviſo deſtinata; negatis ſtipendiis, quæ Reipublicæ tempus efflagitat.

Quid denique regiam poteſtatem, quam omnium potiſſimam vel ipſi fatentur qui nolunt experiri, eâ debiliorem ſtatuimus, quâ alicubi Optimates potiuntur? Certè enim in gentibus in quibus Senatui ſumma poteſtas eſt, non conſuli, [1] non rogari populus ſolet, velitne ac jubeat rempublicam ſuo ære eſſe adjutam. Decernunt ipſi Patres, ſanciunt, imperant; & populum nolunt ad tantæ poteſtatis guſtum attolli; quæ, ſi rectè ſentimus, propè ſumma in civilium rerum momentis eſt. Cur autem id illis juris ſit, & ad Reges non pertingat? Si, inquam, legum condendarum Regibus jus eſt, non minùs quàm in ejuſmodi republicâ Optimatum Concilio; ſi non in cives anguſtius mortis ac vitæ arbitrium: ſi par denunciandi belli, aut fœderum iciendorum authoritas (quæ apud homines graviſſima cenſentur) cur tantùm una hæc impar indicendi tributi poteſtas ſit? Quæ leges? quis populus ita juſſit? unde origo diſcriminis? aut cur Reges agnoſcant populi faſces, quos Optimates premunt?

Poterunt tamen avidi aut negligentes æris Principes peccare

1 *Non rogari populus ſolet, velitne ac jubeat.*] Alludit ad Romanos ritus in ferendis legibus, hoc pacto, Velitis, jubeatis ne, &c. Poliarchus hoc diſcurſu Reginam ad ſuam authoritatem revocat, uti modo dixi.

1 *Se-*

peccare in populum. Certè enim, & in cæteris etiam rebus, quas non ideò juri eorum detrahimus. Ubi candidus ille, ubi innocens enſis, quem in immeritum vulnus non poſſit geſtantis temeritas urgere? At regionem exhaurient contracto undique auro. Rara hæc (ſi continget) & brevis injuria; cùm ſub Regibus ſolis ſit qui in ærario extruere inutiles cumulos amant; adeoque à Principum genio id vitium diſſentiat, ut vix duos ſerie junctos adhuc infecerit. Sub his verò qui ſunt in exigendo largiendoque immodici, quamquam iniquiſſimâ libidine plurimos lædunt, hoc ſaltem publicarum injuriarum lenimen eſt, quòd, ut Oceanus exceptas fluminum aquas, nebulis imbribuſque reddit terræ; ita illi per Proceres, quibus indulgent, ſubinde remittunt in vulgus quicquid exſuxerant. Quamquam porrò ad publicam pacem eſt, ne civium in ſe fidem Princeps immodicis vectigalibus laceſſat; tamen, ſi calculum ponis, rariùs gentes ſeditionibus arſiſſe reperies, quibus ad tributa ferenda ſatis eſt Regum nutus, quàm quæ ſe ipſas ad illam patientiam non comparaverunt. Adeò ſæpiùs in publicam peccat pacem vulgi ſagina, & quædam imago nimiæ libertatis, quàm vel duriorum Principum læva ſeveritas.

Pudebat Hyanisbem fateri ſe tam ſubitò eſſe mutatam. Quippe haud ægrè perſuaſerat Poliarchus jura illa Regibus deberi. Ergo molliori ſermone, & perfunctoriè quæ audiverat refutando, paulatim in eandem ſententiam conceſſit; & hortante Poliarcho ſtatim occultam iniit viam parandæ poteſtatis. Præcipuos ſuæ Lixæ Magiſtratus juſſit acciri, breviterque memorato bellorum quæ inſtabant diſcrimine, petiit ut ſibi confeſtim talenta centum magna, ex civium ære conficerent. Illicò paruere; ſatis periculi imagine ad omne obſequium compulſi; & fœliciſſimæ celeritatis fuit, quod intra biduum comportata pecunia tanto exemplo reliqua oppida impulit ad ejuſdem officii curam. Liberalitatis etiam & munerum cauſa ob

natalem Hyanisbes geminabatur, qui opportunè tunc incidit. Is dies, quanquam tanto in motu, omni remiſſione cultus fuit quâ pacis ocia celebramus. Commeſſabundi in urbe & caſtris, [1] ſeque & pocula coronaverant, adeò ut ſub noctem Gelanorus, cui credita erant caſtra, Poliarcho nunciaret, eam licentiam ſiſti non poſſe. Ille ad vallum properavit, haud ignarus in bellis nullum fortunæ tempus dandum quo ipſa ſubitis caſibus utique gaudens, poſſit improvidos merenteſque percellere. Sed pleriſque jam domitis mero ſomnus irrepſerat. Jacebant inter vina; aut accipiendo inepti imperio cantabant; nec Mauri quidem tantùm, ſed & Gallorum vulgus. Poliarchus Gelanoro, cæteriſque qui compotes ſui erant, caſtra atque vigilias, & ebriorum hanc turbam impenſe commendavit; utque erat feſtiſſimi ingenii, cùm in urbem rediiſſet libens verſus aſpexit, quibus unus ſuorum Druidarum in temulentos ſic luſit.

Venit iô numen; feſto Deus ecce tumultu,
Ecce Deus. [2] *Læti Bacchum advexere furores*
[3] *Pampineo inſignem curru,* [4] *quem Tigride multâ*
Axis agit, [5] *cœli ſpoliis armatus Eöi.*
[6] *Æra ſonent campis,* [7] *omnique à fronte Corymbus*
Nutet, & attonitam rumpant cava tympana noctem.

Venit

1 *Seque & pocula coronaverant.*] Coronas conviviorum non ſolum è floribus foliiſque, ſed etiam ex auro fuiſſe conſtat ex Tacit. Annal. l. 2. *Coronæ aureæ magno pondere Cæſari & Agrippinæ, leves Piſoni & cæteris offeruntur.* Ex Capitolino; In Ælio Vero: *Data convivis aurea & argentea pocula & gemmata; coronas quinetiam datas Lemniſcis aureis interpoſitis & alieni temporis floribus.*

2 *Læti Bacchum advexere furores.*] Bacchantes Bacchum ex India victorem comitatas eſſe author eſt Ovid. Metam. lib. 4.

3 *Pampineo.*] Pampinus inſigne eſt Bacchi; unde navis illa Nazonica pampino & hedera veſtiri ſtatim viſa eſt. Ovid. Metam. l. 4.

4 *Quem Tygride multâ axis agit.*] Currui Bacchi Tygres, & Lynces, & Pantheræ addicuntur, quia ſunt vini amantes, & ferocitatis Bacchicæ.

5 *Cœli ſpoliis armatus Eöi.*] Victor ex India, quæ eſt in Orientali plaga.

6 *Æra ſonent.*] Bacchantum tympana, quæ in Orgiis Bacchi pulſabantur. Vide ſupra l. 1.

7 *Omnique à fronte corymbus.*] Hedera cingat tempora; eſt enim corymbus uva & granum hederæ, qua Bacchus coronabatur.

1 *Hic*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Venit iô numen. Nimius quatit omnia Bacchus.
Hîc trepidi poſtes pulſataque tecta recedunt.
[1] *Hîc hederæ, hîc picto ſaliunt* [2] *monſtra ebria cœlo,*
[3] *Et quicquid timidis Mineidas induit alis.*
Non magis [4] *Odryſias cùm nox Trieterica matres*
Impulit, aut [5] *Tyriam ſtimularunt Orgia Dircem,*
Arva fremunt, ſpumat multo cratere vocatum
Numen, & imbelles ardent [6] *concurrere thyrſi.*
Non tamen hîc cædes, [7] *fata aut Pentheïa Bacchus*
Attulit, erranti [8] *truncum vel falce Lycurgum;*
Sed trepidos greſſus, [9] *blandóque papavera ſomno.*
Forſitan & timidas ignota audacia mentes
Implet, & expulſæ mirantur cedere curæ.
Ecce jacent nullo perfuſæ ſanguine turbæ,
Victoremque ſuum perflant; ſecura malorum
Fortunæque cohors. O captis numen amicum
Gentibus, & tanto fœlix inſania lucro,
Ni brevis, & primos expiratura ſub ortus!

CAPUT

1 *Hic hederæ.*] In eadem fabula telas ſuas Mineides in hederas converſas eſſe obſtupeſcunt.

2 *Monſtra ebria cœlo.*] Ebriis videntur omnia ſuſque deque ruere, cœlum, aſtra, domus, &c.

3 *Et quidquid tumidis Mineidas induit alis.*] Aërem intellige, quem alis complectantur Minei filiæ, factæ veſpertiliones, ex quo Bacchi Orgia contempſere, ut affingit Ovidius libro 4. Metamorph.

4 *Odryſias cum nox Trieterica matres.*] Bacchantes ex Thracia, quæ tertio quoque anno ferino ritu Orgia ſeu ſacra Bacchi celebrabant. Vide ſupra l. 1.

5 *Tyriam ſtimularunt Orgia Dircen.*] Celebrarunt Orgia circa fontem dictum à Dirce Lyci conjuge, equis olim raptata, ſed Deorum miſeratione in fontem mutata.

6 *Concurrere thyrſi.*] Haſtilia ſunt obducta hederis, quibus Euantes in Orgiis utebantur & obvium quemque feriebant. Tacit. Annalium l. 11. *Ipſa C. Meſſalina, crine fluxo, Thyrſum quatiens, juxtaque filius hedera vinctus.*

7 *Fata aut Pentheia Bacchus Attulit.*] Pentheus à matre & ſororibus Bacchantibus laceratus eſt, quod Bacchi numen contemneret. Ovid. Metam. 4.

8 *Truncum, vel falce Lycurgum.*] Is vites amputans crura ſibi falce abſcidit; hujus meminit Plutarch. in opuſculo, quod de utilitate Poetarum ſcripſit. Plaut. Cap. Scen. 4. 5. Virg. 3. Æneid.

9 *Blandoque papavera ſomno.*] Hæc planta ſomnum conciliat.

CAPUT XIX.

ARGUMENTUM.

Ob natalem Reginæ omnibus in urbe & caſtris comeſſabundis, aut vino ſomnoque obrutis Radirobanes cum numeroſa claſſe ſupervenit, oppreſſiſque cuſtodibus caſtris potitur. Obnititur Gelanorus. Poſtera luce Poliarchus inſidens equo ſpe vincendi ordines implet. Ubi ſigna canunt acerrimè acies coëunt. Radirobanes abreptus equo inter turmas hoſtiles, inimicæ civitatis mœnia intrat, mox abjectis faſciis immenſum lacum trajicit, ſuiſque anxiis redditur.

SED nec remiges, militeſque totâ claſſe minor lætitia, ac deinde ſopor invaſerat; adeò ut ægrè deinde proprio periculo, & penè vulneribus, ponerent ſomnum. Ipſa enim illâ nocte adventans Radirobanes, ferociter à mari in capacem fluvium egit navigia, ſtrenueque oppreſſis qui pauci ad cuſtodiam vigilabant, totum littus ripamque obtinuit. Præſidiarii relictis navibus ad caſtra confugiunt, aut amentes terrore, ad portas civitatis tam tunc ſibi quàm hoſtibus clauſas: Alii triremes in altum impulere, quâ hoſtem abeſſe ſilentium monſtrabat. Radirobanes ſuorum plurimis confeſtim expoſitis, imparem quoque dato terrori civitatem fore exiſtimans, milites diſtribuit, qui in littore conſiſterent, quique ſcalis niterentur per mœnia. At non Gallis, & Afris, qui in terrâ conſederant, formido eadem, aut fortuna, quæ claſſiariis fuit. Gelanorus audito tumultu in littore, jubet paſſim excitari dormientes. Multis ſomnus mentem reddiderat, aliiſque periculum. Ipſe diſpoſitis per vallum cuſtodiis, & Micipſæ commendatis (dux ille Maurorum militum erat,) cum parte ſuorum, hoſtem jam veluti victoriâ ſecurum aggreſſus eſt. Radirobanes poſteaquam intellexit adhuc eſſe qui ſua defenderent, haud neſcius locorum iniquitatem ignaris & advenis intempeſtâ nocte timendam; revocari ſuos juſſit; ſatis egiſſe viſus quòd æquore victor, ſtatuere primo impetu poſſet in arenam tentoria. Facilem quoque in craſtinum victoriam augurabatur, ignarus

rus cum Poliarcho decernendum, & Gallicis turmis. Contentus etiam Gelanorus, à caſtris & urbe prohibuiſſe hoſtem, non perrupit ad eorum ſtationes; prælioque nocturno, præſertim abſente & inconſulto Rege, abſtinuit.

Primâ deinde luce Poliarchus, qui apud ſe non erat ex cladis nocturnæ dedecore, ſuos, ac Mauros, ad concionem vocat. Ibi queſtus militare flagitium eſſe admiſſum ab iis qui ſervaverant maria, adeſſe exermes juſſit quotquot ex Gallis à claſſe aufugerant, eoſque in fortuitam ſeriem digeſtos [1] decimi cujuſque expiari ſupplicio. Eadem Reginæ ſeveritas in ſuos Mauros erat. Sed cùm jam numerati ducerentur ad pœnam; illa pro Gallis, ipſe pro Mauris, oravit. Ita leviori infamiâ, & in delictis militum aſſuetâ (nam inultum facinus non eſſe intererat) quibuſdam aliquid ſanguinis de lacerto miſſum eſt, foſſam alii ſeminudi ducere juſſi; alii pari cultu ſtare in foro, ſui ſpectaculum civibus præbituri. Et quamquam id tempus egebat militibus, relicti ſunt tamen eo die ad dedecus, ut cæteros animadverſionis timor acueret.

Jamque ipſe Poliarchus [2] coccineâ inſignis chlamyde eminebat in Numidâ equo, [3] nudumque verticem huc illuc oſtentans, ſui reverentiâ & ſpe vincendi omnes ordines implebat. Relictis deinde qui regiam, qui mœnia, qui clauſtra portarum tuerentur, ad caſtra cum cæteris proceſſit; militibus ex imperio Gelanori jam in ordines paſſim euntibus. Quippe & leviter armati juſtæ pugnæ initia utrimque libaverant, & Radirobanes totam aciem inſtrue-

1 *Decimi cujuſque expiari ſupplicio.*] Fuit hæc una ex graviſſimis animadverſionibus militaribus decimum quemque ſorte ductum ad ſupplicium petere. Livius lib. 2. *Cætera multitudo ſorte quiſque ad ſupplicium lecti.* Vide Sueton. in Auguſt. & Calig. *Decumanum quemque ignominioſæ cohortis ſorte ductos necat.*

2 *Coccineâ inſignis chlamyde.*] Coripp. l. 2. num. 4.
Cæſareos humeros ardenti murice texit
Circunfuſa chlamys.

3 *Nudum verticem oſtentans.*] Ita Cornelius Tacit. *Spectatus eſt ſacrovir intecto capite pugnam pro Romanis ciens oſtentandæ virtutis, &c.* Idem video feciſſe Cyrum in pugna extrema.

1 *Pau-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

inſtruebat; longè animo vultuque commotior, ex quo à captivis audiverat illic unum ex Gallicis Regibus eſſe; & Poliarchum appellari. (Nam eo nomine ille cenſeri volebat quo apud exteros ſe celebraverat in tenuiori fortunâ.) Statim Radirobani occurrit, ita juvenem vocari cujus amore capta Argenis ſua fœdera deſpexerat. Sed an is ipſe eſſet haud immeritò ambigebat; quia & multis idem nomen poterat convenire, nec de eo Seleniſſa ut de Rege meminerat. Ac ut maximè Rex eſſet; unde tunc ille in Africa? quis deus hoc æmulorum par compoſuiſſet ad certamen? aut quod rixarum ingenium, ut idem occupato Argenidis animo intervertiſſet ſuas ſpes in Siciliâ, & nunc veluti ex compacto adverſaturus conſiliis ſuis in Mauritaniam veniſſet?

Sed imminens prœlium dilatam tot cogitationum ſeriem vertit in iram. Planicies modica erat à loco quem caſtris Radirobanes inſederat, ad vallum Poliarchi. Hæc ad pugnam deſtinata, armis undique & ſignis fulgebat. Uterque Rex ad dexterum cornu ſuorum tuebatur. Lævum Sardorum regebat Virtiganes; & honori Maurorum Poliarchus dederat, ut in lævo ſenex Micipſa, magni in illâ gente nominis imperaret; huic tamen additus Gelanorus; ut vigore ætatis ſufficeret ad ea quæ ætas in Micipſa detraxerat. Annotatum eſt ad victoriæ ingentem fiduciam, Gallorum Maurorumque [1] pauciſſimos in procinctu nuncupaſſe teſtamentum. Adeò non vincere modò, ſed & frui victoriâ ſperabant. Ubi ſigna cecinere, initium pugnæ à ſagittariis fuit. Sed fervidiùs quàm ex Imperatorum præceptis campo decurſo, totæ acies ad pugnam coiêrunt. Sic ademptum ſpacium ſagittis fundiſque eſt. Vix locus ad haſtas phalangibus; vix ſatis vertebantur equi in turmis. Ita omnibus primo ardore concitatis,

1 *Pauciſſimos in procinctu nuncupaſſe teſtamentum.*] Tertium teſtamenti genus *procinctum* vocabant, cum milites ituri in prælium nulla legum ſolennitate, tribus aut quatuor adhibitis raptim apud commilitones teſtabantur. Varro, &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tatis, nemo tamen aut vires Poliarchi aut animum æquabat; quamvis & Radirobanes æmulatione terribilis memorabilem pugnam ederet, & multi ſuis ducibus digni laudarentur vel ſuâ vel hoſtium morte. Luebant plerique inſontes paucorum inſaniam, & quod triſtiſſimum bellorum nefas eſt, non ex offenſa, vel odio, ſed partitione fortunæ habebant quibus vitam eriperent.

Jam ſanguinis multum erat; cùm fatis adhuc plurium necem properantibus viſi ſunt dii intercedere. Quippe ea nubium caligo condidit diem, ut veluti ad intempeſtivam noctem plerique horreſcerent. Fulminum deinde ſtrepitus, & decurrentium fulgurum minæ, ad religionem metumque furorem in alternis cædibus bacchantium convertit. Sed adhuc implicitos, dubitanteſque diis parêre, [1] acti in veſaniam Elephanti diviſerunt; quos Hyanisbe juſſerat cum frontalibus, criſtiſque & turribus promoveri in aciem. Plerique eorum nuper in venatione capti, & adhuc propemodum rudes, nondum libertatis & ferociæ erant obliti. Adhuc verò Europæ incognita erat hæc ſpecies. Immenſum & informe animal; penè omnibus membris unâ mole confuſis. Merſum caput inter humeros, nec à globo multum diſpar, niſi quà proboſcis in terram deſcendit, fœdè promiſſa à naribus, & ſi color abſit inſtar longi & tumidi anguis, nervorum circulis ita articulatim nexa, ut contrahi, laxarique, flecti etiam poſſit, & eſſe pro manu. Patulæ aures utrumque tempus tegunt. Oculi exiguo orbe ſub tumidâ fronte reconditi. Ebur, quo pretioſiſſimi ſunt, longè ex ore eminet, penè inſtar lituorum, niſi quod debiliori parte inflectitur.

Ad hanc formam non obſtupuerant modò Sardi in quos beſtiæ agebantur; ſed & Galli ſua illa auxilia haud intrepidi videbant. Poſtquam verò ſubitis tenebris cœlum inhorruit, Elephanti tam pavere faciles quàm iraſci, tumul-

1 *Acti in veſaniam Elephanti.*] Hos primum vidit Italia Pyrrhi Regis bello: ſunt autem frequentes in Africa, teſte Plin. & aliis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tumultuque inſolito qui edebatur in nubibus attoniti, jam cœperant difficiliores eſſe regentibus; cum ingens, & penè in oculos fulgur impactum adeò eorum valentiſſimum turbavit, ut repentè verteretur in rabiem, immemorque diſciplinæ, ſeſe in curſum quà impetus erat effunderet. Prorumpunt & cæteri disjectis rectoribus, eumque ſequuntur. Mox acriùs conceptâ amentiâ, omiſſoque gubernatorum imperio, jam non alteri modò parti, ſed omnibus hoſtes eſſe videbantur; decurrebantque per aciem inter arma & tumultum ferventes rabie; & quia exitum per tot cuneos non videbant, tanquam maculis induti quærebant libertatem. Plerique Gallorum ordines laxavere; neque Sardis militia conſtantior fuit; utique poſtquam obvii furentium beſtiarum oppreſſi veſtigiis jacuere; quidam etiam proboſcidum nexu ligati, projectique ſublimes in aërem. Moles illarum, & novitas, & horribile virium experimentum turbatis militibus mentem eripuit. Adveniſſe deûm iram, vel facta tunc primùm ad dirimendam aciem monſtra, audebant conjicere. Multis vidiſſe furentes belluas ſatis erat ad fugam. Longius remotos terror ſociorum in veſaniam abſtulit. Equi maximè conſternati, nec ferentes odoris inſolentiam, dominos plerumque indignantes per loca præcipitiis intuta aut hoſtibus egerunt.

Tantam aciem à tredecim belluis (nam omnino tot erant) fuſam eſſe, fortunæ ludibrium fuit; quo probatum eſt non plus corporum vires in præliis valere, quàm affectus animorum; nec multitudinem magis ferro quàm timore eſſe domabilem. Timebat Poliarchus inſidias, ſuoſque palantes, ſi qua ingruiſſet nova vis, tardè coituros videbat. Idem Sardi timuere. Ergo ducum, tribunorumque admonitu paſſim ſecerni cœperunt quos è diverſa acie unus terror miſcuerat. Multos enim in adverſa agmina tam altè ſive ſua, ſive equorum fuga provexerat, ut redeuntibus periculum eſſet, ne deprehenſi cæderentur ab

hoſti-

hoſtibus. Sed ut plebeiorum memoria fatorum perierit; in paucis Radirobanis fortuna memorabilis fuit. Equo ille vehebatur, cætera quidem ad bellum aptiſſimo, ſed indocili ad conceptos pavores, quos ut raros ita habebat furori ſimillimos. Tunc verò cùm Elephanti debellatas timore copias fuderunt, totius agminis equis uno metu frementibus, exarſit in amentiæ ſpeciem; nec quà jubebat dominus, ſed tenax, lupatiſque quibus regebatur frænis potentior, ſeſe altè penetravit in hoſtium turmas. Interim recedebant verſus urbem alæ equitum admonente Poliarcho, ut illuc potiſſimùm iter intenderent. Elapſi inter tumultum à Radirobane erant, quotquot ex ſuis circa ipſum pugnaverant; credebantque in eâ mentium caligine eum unà rediiſſe. Solus igitur & longè à Sardis diviſus, ferociam animi conſternatione acerrimâ mutavit. An fugere incaſſum conaretur tot telis circumſeptus? an potius captivitate redimeret vitam; aut quia capto luitionis ſpes vix erat, ſpiritum temerariâ & impari pugnâ projiceret? Reſpiciebat ad ſuorum vexilla; procul illa receſſerant. Retrò viam paulatim capeſſeret? at obſtabant à tergo conferti. Dum dubitat, dum furioſis votis fortunæ maledicit, interim periculum creverat, jamque ad portas civitatis erat agmen in quo latebat, & ſolum reſtabat ad ſalutem, ut ſe unum ſimularet de Poliarchi militibus eſſe. Multùm ad fraudem juvit, quòd initio prælii ut impuniùs ducem & militem agere poſſet, omiſerat regia inſignia, purpureum ſagulum, caſſidemque vittatam, & ea cuidam Megaloſtheni tradiderat. Ita cum trecentis Poliarchi equitibus intravit inimicæ civitatis munimenta, hactenus quidem fraude idoneâ: ſed quò deinde ſuccederet? Militibus omnibus hoſpitia aut tentoria ſua erant. Si alicui manipulo ſe adderet, non lateret in paucis, qui plures, & armis occultus, fefellerat. Sin omnium conſortia fugiebat, quid erat aliud quàm ſolitudine ſuſpicioſa ſe prodere?

Quamdiu igitur paucæ hæ turmæ circa forum ſtete-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

runt (illuc enim convenerant, accepturæ ducum imperia) haud ægrè multitudinis beneficio tutus fuit. Sed non multò pòſt à Poliarcho nuncius venit qui juberet illa equitum agmina quæ urbem intraverant, ad hoſpitia ſua divertere, & Reginæ intra urbem eâ nocte præſidio eſſe. Hanc vocem Radirobanes penè exanimis accepit. Sparſim enim equites turmas laxabant. quiſque occupabat notas domos. Hoſpites, caloneſque, expediebant officia. Ipſe, tanquam domum quæreret, unus circuibat omnes vicos, neſcius quos potiſſimùm fugeret, niſi quòd obvii quique formidoloſiſſimi erant. Omnibus inviſus, & ſi caperetur ſolo redemptionis ſuæ pretio fortè ſervandus, magis magiſque auctam cum irâ formidinem vix tenebat aliquoties impetu ſumpto ut hoſtem confeſſus, & aut moriturus ſtrenuè, aut ſalutem in præmium audaciæ laturus, prorumperet per portæ cuſtodiam. Una quippe tantùm erat in illo tumultu, quæ curribus & equis pateret, magnis quoque copiis obſervata. Nemo in viâ accedebat propiùs frænum, aut intuebatur in euntem, quem non tanquam in ſe intentum novo horrore refugeret.

Cùm pererratâ urbe non modicum tempus conſumpſiſſet in illo timendi ſupplicio, nec differri ampliùs poſſet aliquod conſilium; occurrerunt agaſones cum equis dominorum, quos ad aquam ducebant. Eos Radirobanes ſequi inſtituit, ſi quâ eorum ductu poſſet ad flumen pervenire. Urbis autem ſitus hic erat. Altero à munimentis ſtadio fluebat amnis, eâ parte quâ itur ad mare; quâ & hoſtes caſtra locaverant. At quo latere urbs erat Sardis maximè averſa, ad ipſa mœnia pertingebat lacus ingens, ſex ut minimùm ſtadia latus, duodecim in longum protenſus. Nec erat præter hunc lacum quo equi lavarentur aut biberent. Illic autem nullum ab hoſte periculum; civitate per tot aquas, niſi navigiis non perviâ. Exiguam ergo portam, quæ ad crepidinem lacûs petebat, aliquot militum ſtatione firmaverant, aperiebantque bis de die, animalibus

bus adaquandis, & ad cæteros civium uſus. Ad illam tunc calones proceſſere; quibus Radirobanes miſtus poſtquam ſpatia undarum vidit tam ingenti campo porrecta, vix ſpem enatandi eſſe ratus, tamen veluti ultimo horrore vires collegit, & ſic per vota (ut deinde ſuis narravit) Neptunum affatus eſt. O potentiſſime illorum deorum qui eadem cum hominibus elementa incolunt, [1] cujus dona ſunt fluvii, fontes, lacuſque, has undas, quas ſalutis incertus nunc ineo, mitiga, ô bone. Ferant me; & in deſtinatas ripas placidè agant. Iſti præterea equo (nam & illi generi præes, [2] equumque excuſſiſti à verberatâ humo) iſti inquam qui mihi deſtituto pro cymba & vectore eſt, ſuffice vires, ut quem impetu ſuo hoſtibus tradidit, eodem eripiat. Tum ego de Afrorum manubiis expreſſam in ære tui beneficii, meique periculi memoriam, [3] in Calaritano littore conſtituam; quà tibi fanum & nemus mei Patres ſacraverunt. His votis tacitè obligatus, primùm libavit aquas, in vadi commoditatem leniter deſidentes; equum deinde potu refectum paulò egit ulteriùs, fruſtra admonentibus qui cum eo erant in lacu, vaſtam in proximo altitudinem latêre. Ille autem contemplatus ad quam breviſſimè ripam ſinus undarum ferrent, utrimque calcaribus impulit equum, qui jubâ ferociter concuſſa, dedit ſe protinus in undas, ſoloque eminens vertice incumbentem dominum ferre cœpit quà juſſus eſt. Exclamant ex crepidine, & primis undis Mauri, errorem aut caſum arbitrati, & monent quâ commodius parte habenas reflectat. Sed paulatim procedebat in altum, omnibus qui id videbant, ut in miro & ſubito caſu, diverſa de eo jactantibus, nec dubitantibus quin periret. Jamque illum non vivere, ſed

1 *Cujus dona ſunt fluvii, fontes.*] Sapiente teſte, ad locum, unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant.

2 *Equum excuſſiſti.*] In lite Neptuni cum Pallade: hæc oleam, ille equum bellatorem humo eduxit.

3 *In Calaritano littore tibi fanum.*] Hic antiquum fuiſſe Neptuni delubrum, Plinius author eſt. Dicitur à Calari principe Urbe, quæ littori proxima eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſed cadaver deferri fluctibus credebant; utique poſtquam longè receſſerat, & tantùm ex colore adhuc aliquid ſupra aquam eminere noſcitabatur.

At Radirobani, ut timorem latè circumſtans periculum, ita ſpem dabat validiſſimus equus, quem voce, motiſque interdum habenis revocabat ad virium memoriam. Præſtabant & facilem curſum aquæ in neutram partem obnoxiæ; nam nec aliquò fluebant, & tunc ſolito placidiores erant, ceſſantibus ventis. Cœpit tamen ægriùs equus emoliri aquas ſpiritu, videbaturque deficere; cùm in mediis fluctibus arena ſublimis, neque cedens veſtigio, natandi neceſſitatem opportunè intermiſit. Stetit ergo difflandis feſſus aquis, totoque pectore altior, tanquam laborem miraretur, ſe anhelitu levabat. Sed Rex veritus ne exerciti nimio motu nervi poſt quietem rigerent, breves inducias ad reſpirandum fecit; adhucque calidas ſuffragines motis calcaribus egit in lacum. Suffecit animoſo equo concitum corpus, undiſque & intentione natandi differentibus mortem, ad ſupremam ripam vexit. Tunc liquente ſpiritu vix moratus dum dominus ſine lapſu deſcenderet, ſe in arenâ explicuit. At Radirobanes ad exhauſti magnitudinem periculi horrens; quòd in civitatem hoſtium intraſſet, quòd per immenſum inde lacum, & penè graviora ipſa morte pericula, effugiſſet captivitatem; novo metu excitabatur; timebatque aut terrâ aut lacû venturos, qui vincula, vel ſi recuſaret, mortem darent. Longè enim ab eâ lacûs ripâ, ſuorum caſtra erant. Sed ſolatio fuit quòd prima nox ingruebat, ſemper ad latebras fugamque ſecurior.

CAPUT XX.

ARGUMENTUM.

Redditus ſuis Radirobanes ad nova prælia animos comparat. Vtrimque timor ad cruenta ſacra adigit: hinc Hyanisbe puerum Saturno mactandum profert: inde Sitalces pro exercitu ſe devovet. Sed utrimque hæc religio barbara hinc à ſervo Sitalcis, inde à Poliarcho arcetur.

INTERIM Poliarchus diviſis militibus qui in urbe pernoctarent, aut eſſent intra vallum, ipſe breviter Hyanisbæ colloquutus, non manſit in Regiâ; ſed in caſtris ſibi prætorium juſſit ſtatui, ad omnes fortunæ articulos intentus, ſi qui commodè in hoſtem ſe præberent. Nec ceſſaſſet inter tenebras, niſi illum Sardorum conſternatio Regem quærentium retraxiſſet ad cavendi ambigendique conſilia; quia incertum erat, quæ cauſa tot in illorum caſtris voces attolleret, tot faces immenſis circùm campis accenderet. Namque Sardorum duces ad Regis tentorium collecti, cùm mutuò interrogaſſent, num rediſſet, num divertiſſet in caſtrorum aliam partem; quis denique pugnanti adfuiſſet, quis texiſſet recedentem ab acie; poſtquam quiſque diverſa dicebat, omnes uno impetu ad triſtiora converſi ſunt. Cæſum captumve crediderunt. Nec aberant à rixâ: quos cum Rege fuiſſe, quos ſervaſſe, quos ſaltem vera de eo poſſe renunciare oporteret. Sed maximè militum vulgus, ſive curâ, & amiſſi Principis deſiderio, ſive inſaniâ correpti, non expectato ducum imperio, quorum reverentia ex Rege pendebat, ſolverunt diſciplinam. Hi avios petivere campos, ſi princeps erraſſet, compellatum reducturi; plures accenſis facibus cruentum prælio campum ſcrutabantur, in cadaverum ora proni, illicque timentes quod quærebant invenire. Ita Sardorum vocibus, igne, procurſu, undique arva fervebant. Speculabatur omnia de caſtrorum aggere Poliarchus; &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſeu nocturna hæc [1] bacchantium militum religio eſſet, ſeu ullius alterius dei furor, aut ars denique militaris in ſe parata; in omnia ſolertiam, excubias, vota compoſuit.

Cæterùm in illo officio atque tumultu occupatis ſubitò nunciatur, Radirobanem in tentorium rediiſſe. Quippe ille ad ultimam lacûs ripam expoſitus, antequam noctis caligo uſum oculorum eripuiſſet, ſtrenuè ſpeculatus eſt quo itinere pervenire poſſet ad ſuos. Tum paluſtrem ripam ſequutus eſt, ut ſi qui inſtarent fugienti, inter arundines lateret. Ita lacum circumivit, & deinde extra viarum frequentiam, per foſſas, aut mœnitos ſepibus campos, ad ſuum vallum contendit. Hoc ipſum formidoloſum ei fuit, quòd ſparſi cum lampadibus milites clamoribus cœlum impleverant; neſciuſque ſe diligentiâ illâ quæri, omnium anxiè faces & vultus fugiebat. Tandem in tentorium pervênit; monitæque cohortes omittere ominoſam, jamque ſuperfluam de ipſo quæſtionem, pari licentiâ in læticiam effuſæ, omnes ad Regis fores venerunt; quo viſo cùm diu plauſiſſent, ad ſtationes, aut contubernia, ægrè receſſum eſt. Interim Virtiganes, Sardorumque præcipui, ad Radirobanis genua accidentes, cum fletu rogabant, quæ fortuna, quodve conſilium, eum à ſuis tam diu avertiſſet. Ille prolixè diſcrimen memorabat, ſtupentibus cunctis, timoremque ambitioſe promentibus. Dumque certatim omnes, aut gratias diis agunt, aut Regi tanquam fortunæ fatorumque victori adulantur; quidam Poëta Virtigani familiaris, extemplo in eum caſum verſibus ſic luſit, ut diceret Radirobanem ſuis Sardis eſſe pro Sole; qui ab eo abſente emarcuiſſent, & ex reſtituti ſpiritu vultuque penderent.

Ergo auſæ fœdare diem, noſtrumque tenebris
Sic nubes miſcere polum? Quæſivimus omni

Æthere

1 *Bacchantium religio.*] Ad morem Mænadum Orgia celebrantium, quæ phanatico ſpiritu agebantur, & ad Ceritarum furorem alludit. de quibus ſupra.

1 *Hunc*

Æthere pallentis nutantia lumina Solis:
Ille aberat; proh fata deûm! ſeu texit opaco
[1] *Hunc ſoror occurſu; cœli ſeu calle latenti*
[2] *Fatidicas pronus Cyrrhæ deſcendit ad umbras.*
Tunc verò quantis arſerunt pectora curis?
Excidimus miſeri nobis. Ah cedite gentes
[3] *Parrhaſiis natæ fœta inter robora ſylvis.*
Scilicet exangui fugientem horrore ſequuti
Titanem, [4] *Occiduas propiùs pulſavimus oras*
Planctibus æternis ceu gens damnata tenebris.
Ni redis, ô hominum præſes, [5] *jam fræna remittat*
Juſtus honos legum, peccentque impune tenebræ.
Quid ſine te gens tota hominum? quo funere damnas
Diſceſſu nos Phœbe tuo? Reſolubilis aër
Obruet informem ſpiſſatis nubibus orbem:
Et ſeſe in gelidas ſolvet natura pruinas.
Parcite Mortales lachrymis, nec perdite planctus,
Purpureum redit ecce jubar, capitiſque coruſci
Fulget apex. Cernis radios, aſſuetaque ſceptro
Brachia, & igniferas pharetrâ lucente ſagittas?
Salve cura deûm, & noſtros ne deſere cœtus.
Nec facies. [6] *Sint noctivagæ nemora alta Sororis;*
At tu urbes homineſque habeas. Tibi cura benignum
Ferre diem, & cunctas ſolio componere terras.

Poſterâ

1 *Hunc ſoror occurſu.*] Seu Luna ſoror Solis Radirobanis fratrem obtexit, & Eclipſim pati coëgit; fit enim Solis Eclipſis per interpoſitionem Lunæ.

2 *Fatidicas pronus Cyrrhæ deſcendit ad umbras.*] Cyrrha oppidum Phocidis ad radicem montis Parnaſſi, in quo Apollo religiosè cultus.

3 *Parrhaſiis.*] Arcadicis, à Parrhaſio monte. Credebantur Arcades ex arboribus natæ gentes inter robora, inquit Barclajus. Virg. l. 8.
Genſq; virûm truncis & duro robore nata.

4 *Occiduas pulſavimus oras.*] Planctu noſtro occidentem implevimus.

5 *Jam fræna remittat Juſtus honos legum.*] Niſi lucem reddideris, peribunt omnia. Plato in Thæteto de aurea Homeri catena loquens, quia quouſque ſolis circuitus perſeverat, omnia tam Deorum quam hominum ſunt atque ſervantur: ſin autem hic quaſi ligatus ſtaret, confeſtim omnia diſſolverentur eveniretque quod dicitur, ſurſum deorſum omnia.

6 *Sint noctivagæ nemora alta Sororis.*] Sive quod exiſtiment aliqui nemora eſſe in Luna, ſive quod illa dicatur recumbere in Sylvis, tanquam ſibi dicatis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Poſterâ luce invicem adverſariorum vires expertis lentiora fuere conſilia, uno Poliarcho adhuc prælium cogitante; huic enim arma placebant, Radirobanis odio, & deſiderio petendæ Siciliæ. Sed Reginæ precibus dedit, ne eo die quietum hoſtem laceſſeret. Mirum fuit de exitu belli tam acriter Hyanisbem cœpiſſe diffidere; & ipſam Radirobanis temeritatem ſolicitudine fuiſſe mutatam. Quippe animus utriuſque ex immanitate ſacrorum ad quæ confugerunt emicuit. Nam Regina deligi ingenuum [1] puerum juſſit, qui Saturno immolaretur. Piaculi conſuetudo à Tyriis erat orta; qui crudelitatem moris infandi in Africâ Carthaginenſibus ſuis colonis tradiderant. Externamque & barbaram devotionem in deos territa Hyanisbe uſurpabat; quia miſeri aut anxii mortales terribilia & incognita remedia arcanam vim habere exiſtimant. Apparabatur funeſti ſacri ratio, [2] infulaſque victima accipiebat: nec Sacerdos deerat ſceleratæ pietati. Cùm hoc verò Poliarcho nunciatum eſt; ſtatim turbatus exiliit; & ad Hyanisbem properans; ſi hoc, inquit, fœdæ ſævitiæ auxilium, Regina, in hoſtes tibi placet, patiaris me abire. Nunquam enim vires meas illi ſuperſtitioni miſcebo; nec committam ut mei milites numinis fortitudinem videantur induiſſe, quodcunque eſt quod tam turpiter placari amat. Nolo, inquam, extorquere à diis pudendo pretio victoriam; qui non de illis ſunt quos debemus colere, vel averſantur hanc deceptæ mortalitatis infamiam. Proinde aut hunc ex vinculis puerum, aut me ex finibus tuis mitte. Quamquam Hyanisbe verebatur Saturnum, erat tamen

men

1 *Puerum, qui Saturno immolaretur.*] Saturno fieri ſolita ſacra humanis hoſtiis, teſtis eſt Plato in Minoë, ritumque uſque ad Herculis tempora perductum, unde à Saturando dictus eſt Saturnus, qui propriis ſe filiis ſaturavit. Dionyſius, λέγουσι δὲ καὶ τὰς θυσίας ἐπιτελεῖν τῷ Χρόνῳ τοὺς παλαιοὺς ὥσπερ ἐν Καρχηδόνι, &c. Nam ut ait Plutarch. in libello de ſuperſtitione, *Carthaginienſes ſponte liberos huic Deo mactabant; qui liberos non haberent, emebant immolandos.*

2 *Infulaſque victima accipiebat.*] Sinon apud Virg. Æneid. l. 2.

Et ſalſæ fruges & circum tempora vittæ.

Et infra,

—— *Vittæque Deûm quas hoſtia geſſi.*

1 *Sital-*

men præſentior Poliarchus. Ademptæ ſunt puerò vittæ; juvitque hoc ipſum populi mentes, quòd Poliarchus non ſolicitabat extrema remedia. Num enim tantus dux belli incerta ignoraret; aut niſi in proclivi ſentiret eſſe victoriam, hanc unius pueri ſanguine dedignaretur à fatis comparare?

Eodem tempore, quaſi ſuperſtitionibus conveniſſet utraque caſtra corrumpere, quidam ſenex inter Sardos illuſtris (Sitalces appellabatur) olim ſtrenuus manu, tunc conſilio ſpectabilis, venit ad Radirobanem, qui fortè cum ſuorum delectis varia ſuper bello agitabat; obtulitque ſuum caput, quo à diis manibus paciſceretur victoriam. Nec intereſt, inquit, quòd privatus ſum. Satis erit ſi me rex meus devovebis, ut ſalutem publicam ſuſtineam, procuremque. Poſtquam ero legitimo ritu morti ſacratus, laceſſam hodie cum modicâ turmâ bellum, in quo terrorem ac diras mecum in hoſtem ferens, cædar à neſcientibus me in exitium ſuum perire. Nonnihil cunctatus Radirobanes ad læticiam oblatæ, ut ſperabat, victoriæ; gnaruſque hanc ſui capitis devovendi vim ab Italicis vatibus efficacem cenſeri, effuſe Sitalcem laudavit; & quoniam, ait, nobis tuo interitu victoriam trades, nec poteris ſentire præmia quæ mereris, at ſcias tuæ ſtirpi apud me immotam gratiam manere; ut nemo Sardorum vivere malit, quàm familiam ſuam ad gloriam evehere quam in tuâ mirabitur. Age ſtrenuè; & breviſſimi fati curſu redime famam, quam nulla mors extinguat. Vocavere ergo Pontificem, qui devotionis ſacramentum more Hetruſco perageret: ſubitoque Sitalces prætextâ indutus,

1 *Sitalces prætextâ indutus, velato capite, &c.*] Hic Hetruſco Romanoquè ritu pro ſuo Rege totoque exercitu, quemadmodum ſupra dicti ambo Decii, Curtius, & Codrus Athenienſis ſe devovere diris omnibus, hoſtilibus copiis prius devotis. Unde infra ait, hanc ſui capitis devovendi vim ab Italicis vatibus efficacem cenſeri. De Decio Mure, qui ſe pro exercitu R. in bello Latino devovit, ita T. Livius lib. 8. cap. 9. *In hac trepidatione Decius Coſ. Marcum Valerium magna voce inclamat: Deorum, inquit, ope, Valeri, opus eſt. Agedum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tus, [1] velato capite, ſuper abjectum conſtitit telum, tangenſque ſubjectâ manu mentum, [2] ſequutus eſt omnia verba Pontificis, quibus adverſas Gallorum Maurorumque legiones, ſecum diis manibus, & Telluri devoveret. His patratis, tempus eſt, inquit, adhuc recenti religione, ut terrorem, fugam, interitum, in hoſtes devolvam. Date levis armaturæ aliquos, qui excurſionis ſpecie mecum tendant ad hoſtium vallum. Exciemus ad prælium vel eos ſaltem qui pro cuſtodiâ caſtrorum ſtabunt; noſtriſque per fraudem refugientibus, ego pertinaciâ extorquebo mortem ab hoſtibus. Et meo ſanguine damnabuntur funeribus; poteriſque execratos cùm lubebit ad ſatietatem debellare.

Pleriſque Sardorum quàm mira tàm certa videbatur Sitalcis oratio. Statim ſagittariorum aliquot turmæ homini datæ, per quos hoſtem provocaret ad certamen. Sed Sitalci ſervus erat, diu liberaliter habitus, & charitate domini plus quàm patriæ flagrans. Is herum inſanire in tam

dum pontifex publicus Populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus devoveam. Pontifex eum togam prætextam ſumere juſſit, & velato capite manu ſubter togam ad mentum exerta: ſuper telum ſubjectum pedibus ſtantem ſic dicere: Jane, Jupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, Divi Novenſiles, Dii indigetes, Divi quorum eſt poteſtas noſtrorum hoſtiumque; Diique Manes, vos precor, veneror, veniam peto feroque: uti populo Rom. Quiritium vim victoriamque proſperetis, hoſteſque populi R. Quiritium terrore, formidine morteque afficiatis. Sic ut verbis nuncupavi, ita pro repub. Quiritum exercitu, legionibus, auxiliis populi R. Quiritium, legiones auxiliaque hoſtium mecum Diis Manibus Tellurique devoveo. Hæc ita precatus, lictores ire ad T. Manlium jubet, matureque collegæ ſe devotum pro exercitu nunciare. Ipſe incinctu Gabino, armatus in equum inſiluit ac ſe in medios hoſtes immiſit. Conſpectus ab utraque acie aliquanto auguſtior humano viſu; ſicut cœlo miſſus piaculum omnis Deorum iræ, qui peſtem ab ſuis averſam in hoſtes ferret. Idem Livius l. x. *Luendis periculis piacula ſimus. Jam ego mecum legiones hoſtium mactandas Telluri ac Diis Manibus dabo, hæc locutus M. Livium Pontificem præire juſſit verba, quibus ſe legioneſque hoſtium pro exercitu populi R. Quintium devoverat & poſt* 2. *precationem hæc execratus in ſe hoſteſque qua confertiſſimam cernebat Gallorum aciem concitat equum, &c.* Plut. cap. 37. Paral. Cic. Tuſc. Quæſt. l. 1.

1 *Velato capite.*] Vittis redimito, more hoſtiæ immolandæ, de quo ſuperius.

2 *Sequutus eſt omnia verba pontificis.*] Livius: *Agedum pontifex, præi verba quibus me pro legionibus devoveam.* Idem: *Votum in hæc verba præeunte P. Licinio pontifice maximo, præfante carmen, devoviſſe ſe eos pro patria, Quiritibuſque Romanis.* Ibidem: *ſunt qui Marco Fabio Pontifice maximo præfante carmen devoviſſe eos ſe pro patria Quiritibuſque Rom. tradant.*

1 *Terro-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tam properæ mortis voto exiſtimans, poſtquam diſſuadere non potuit, clàm ad Poliarchi caſtra converſus eſt, deductuſque ad illum; venio, inquit, patriæ meæ proditor; & ab illâ ſalutem, à te autem tuiſque perniciem averſurus. Nec grandius præmium efflagito, quàm ut illius vitam ſervetis, cujus mors vobis in exitium deſtinata eſt. Raptim deinde expoſuit furiale Sitalcis conſilium: Quo audito, Poliarchus non tam exhorruit ad Religionis infernæ vim (neque enim credebat ex unius deſperati, aut furentis, voluntariâ morte totas acies profligari) quàm [1] terrorem præverti concupiit in ſuis facilè illapſurum ſuperſtitionis ingenio. Itaque indicem, ſi vera afferret, ſperare præmia imperavit; & indutum Gallicis armis, vinculiſque tamen cohibitum, ſagittariis addidit, qui in procinctu intra caſtra conſtiterunt, ut ſi, quod ſervus monuerat, levis armatura à Sardorum vallo procederet, ingruentes refellerent. Iis autem præceptum eſt, ut terrore miniſque pluſquam vulneribus certarent, ne in Sitalcem, quem inviolatum præſtari volebat, temerè peccaretur. Servo autem ſua & domini libertas decreta eſt, ſi maturè pugnantem commonſtraret. Vix ea Poliarchus edixerat, cùm velitatio à Sardis coorta eſt Sitalcem ducentibus. Illicò erupere à Poliarcho præparati; & ex adverſo Sardi haud multùm cunctati miſſilibus; ſimulatione fugæ deſerunt Sitalcem, avidum perire, & mortis ſpe majora humanis viribus audentem. Sed ſervus inclamabat illum eſſe quem ſervari Poliarchus præceperat. Ergo in medium turmæ furentem excipiunt; & armis contecti perferunt ictus, exarmantque circumventum. Inde abnuentem ſe dedere, & ſolicitantem contumeliis iram hoſtium, tamen trahunt ad caſtra: quo conſpecto, Poliarchus, meliùs, inquit, apud nos quàm apud deos manes cœnaveris. Nec ingere maledicta; quaſi crudeles ſimus qui

1 *Terrorem præverti concupiit.*] Cavendum ne dubitantem aut formidantem exercitum ad pugnam publicam aliquando ducas. Veget. l. 3.

1 *Cui*

qui coëgimus te vivere. Ubi enim de hujus belli exitu diſceptaverint fata; in nobis mora non erit ſi tunc quoque perſequi mortem volueris. Sed nolo apud Umbras glorieris, quaſi in tui mercedem noſtra omnium fata dii prodegerint.

Uno deinde captivorum accito, eâ lege illum ad ſuos dimiſit, ut Radirobani nunciaret, benè habere in Gallicis caſtris Sitalcem: igitur curam de amici valetudine omitteret; victurum hunc ſaltem ad exitum belli. Nam & Tellurem, & inferos deos, recuſaſſe victoriæ precium quam dare non poterant. His à captivo nunciatis, accendit Radirobanem cœpti infœlicitas, ſimulque inſultatio exprobrantis ſuperſtitionem Poliarchi. Necdum certus an Poliarchus ille eſſet quem amabat Argenis, animi tamen odiique augurio ſuſpicionem fovente, verum exprimere ſtatuit perplexâ epiſtolâ, quam Poliarchus ut vanam obſcuramque negligeret, ſi fortè cum Argenide nulla fœdera iniverat; ſin autem erat ille quem Seleniſſa prodiderat, ſtatim hiſtoriam agnoſceret, daturus haud dubia iracundiæ & æmulationis indicia. Neque mora, & uni viciſſim ex Gallis quos habebat captivos, literas ad Poliarchum tradit; quas detulit ille ignarus conviciorum quibus contumelioſiſſima cera legentis oculos implevit. Non enim Argenidi, non Hyanisbæ Radirobanes pepercerat. Ajebatque ſe mirari, quòd Theocrine poſt contubernium juvenculæ Principis hæreret Hyanisbæ. Ut puellam fefelliſſet, ſic ab anu juſto Cupidinis telo eſſe deceptam. Sed ſe vindicem adeſſe Siciliæ, [1] cui reciſam ſimulatæ Palladis cervicem vovebat. Irâ turgidus Poliarchus, nec jam magis Hyanisbæ quàm ſibi geſturus hoc in Radirobanem bellum, codicillos quidem preſſit, cæterùm tam commoto eâ veſperâ vultu fuit, ut conſtaret nihil parvum agitari. Præter conviciorum fœditatem, adhuc animus turbabatur

1 *Cui reciſam ſimulatæ Palladis cervicem vovebat.*] Nempe Theocrines, quæ ſub Palladis nomine culta fuerat.

tur ad nomina Theocrines & Palladis, quærebatque apud ſe quis hæc Radirobani ſecreta retexiſſet; donec memor Argenidem ultimo quod inter eos fuerat colloquio eſſe queſtam de perfidia Seleniſſæ; ipſe rem omnem inde emanaſſe conjiciens, cœpit frendens, unâque iracundiâ Radirobanem atque anum complexus, ſibi de utroque ſupplicium deſtinare.

CAPUT XXI.

ARGUMENTUM.

Repetito certamine alter in alterum ſe quærentem toto impetu convertitur, Suorum tamen pietate dividuntur. Iuſſus miles Regibus arenam reſtituit. Tum Poliarchus directo in jugulum Radirobanis ferro, ſincere victor exiſtit.

UT verò illuxit, ferro non verbis refutaturus injurias, exercitum in ordines juſſit ire; præmonitâ Hyanisbe ne cui inter pugnam portæ urbis paterent. Nec ſe quidem de victoriâ dubitare; ſed ſi qui ſuorum fugiſſent ex acie, nolle ſe intra munimenta hos recipi. Nunquam alacrior militibus viſus convenientibus verbis unumquemque affatus eſt. Gallis, adjutæ Hyanisbes quæ ipſos decora manerent referebat. Mauros tyranni odio ſacra patria everſuri agebat in iram. Utriſque ſpolia oſtendebat, & in vicino eſſe Sardiniam; quam, inquit, ſi in iſto quem videtis campo vicerimus, obnoxiam nobis eo modo habebimus, quo Radirobanes Africam vellet. Omnes quidem illa verba, ſed plùs vultus dicentis permoverant. Nec ſegnior acuendis militibus Radirobanes multos ſibi in eâ victoriâ triumphos fingebat. Nam Poliarchum Argenidis ſponſum eſſe inde crediderat, quòd tam ſubito imminebat certamine quaſi pridianas literas vindicaturus. Si hunc ergo occideret, illo ipſo vulnere cogitabat, & ſe ſummum de Argenide ſupplicium eſſe ſumpturum, & à regno dejecturum Hyanisben; quâ ſubactâ ipſe Mauritaniæ ſceptro auctus trajiceret in Siciliam,

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

non habituris ex hoſtibus qui victoris ora ferre, aut ipſius impoſterum imperiis intercedere auderet.

Hac immani ſpe ferox, inſtructos ordines admovit venienti Poliarcho. Nemo erat, qui non de fortunâ partium decreturum illum diem conjiceret. Intentior itaque cura ſpem civium variis terroribus miſcebat. Prohiberi à muris civitatis non ſenes poterant, non flebilior turba oneratæ liberis matres, quos innoxios paſſim diis oſtendebant, veneratæ ne teneris corporibus hoſtis illuderet.

Balearici, qui in Radirobanis acie erant, Numidas inchoandæ pugnæ præmiſſos ſuis fundis turbavere. Sed Poliarchus equites Gallos procurrere juſſit, ſpatiumque funditoribus adimere quo ſaxa librabant. Numidia autem monuit, ut relictâ prælii fronte leviter obirent hoſtium latera, & quamplurimos à pugnæ recto ordine in ſe diſtraherent. Contrà Radirobanes ſatis agebat; aliquot turmis equitum circuire hoſtium cornua imperans, & à tergo incautos adoriri; ſimul Gallicæ Africanæque linguæ peritos miſerat, qui tanquam Poliarcho jubente proclamarent inclinare ad Sardos victoriam, profugerent Galli Maurique. Lixam ad receptum patere. Ea vox non paucos initio perculit, riſu deinde excepta eſt; & pari vociferatione à multis relatum eſt, ut fugerent Sardi. Nihil medii inter utramque aciem erat, obſtabant corporibus corpora; telum telo frangebatur. In tam arctis ordinibus, aut cadere aut vincere unicuique ſupererat. Hortantium quoque clamor, queſtibus ſauciorum, & fragore armorum permixtus, terribili ſono in urbem ferebatur. Galli præſtabant equitibus. Sardi & Ligures, phalange non cedebant. Sed Ducum præcipuum opus fuit. Hinc Poliarchus præter ingenium ſævus, non planctus, non vota audiebat deprecantium mortem; ſive aures belli ardor occluſerat, ſive in Radirobanem ira; qui ex aliâ parte perruptos vi ordines ſolus ſæpiſſimè intrabat tanquam oblitus erroris quo inter hoſtes provectus ingratiis

tiis Lixam pervenerat. Ita Sardi ſub Poliarcho laborabant, cedebantque circa Radirobanem Galli ac Numidæ. Sed grandior ira Poliarchum torquebat, nec vulgari ſanguine reſtinguenda. Unum erat Radirobanis pectus quod maledicti in Argenidem & Hyanisbem conſcium ſuo vulnere expleret ſævientem. Per ſuos igitur hoſtiumque manipulos, quærere hoſtem cœpit dignitati & iræ ſuæ parem, multùm quoque inclamitans, ut ſi auderet, ſi vir eſſet, proprio diſcrimine totius belli fortunam provocatus exciperet. Vicit acrem & confuſum præliantium cadentumque tumultum vox ſæpè repetita aliiſque mandata; & ad Radirobanem haud quietiora cogitantem allapſa eſt; quem hoc unum puduit, quòd prior non vocaſſet. Ocyùs cætera reliquit certamina, omnibuſque ſubmotis properavit in æmulum. [1] Non leones Africa illa, non ſerpentes tanto furore incitatos aſpexerat. Brevi tamen colloquio ſuſtinuerunt avidas manus; priorque Poliarchus; Ades, inquit, ô latro; da pœnas turpiſſimæ noxæ. Non mihi hodie elabêris, [2] non ſi pleniùs quàm Achillem inviolabili Styge tua mater te intinxit. Tibi, Domina, ſacrum hoc fero; ſi tam turpem hoſtiam fortè accipies. Et Radirobanes, prodis tandem de Gynecæo molliſſime amator? Sed præteritæ vitæ probra mors inter arma celaverit. Ne dubita, tanquam vir eſſes, jugulum dare.

Neutri vacavit alternis contumeliis prolixiùs reſpondere. Ira quæ addere vires ſolet, jam nimia, impotenſque, penè debilitaverat manus. Coierunt tamen pectoribus, equis, telis; non molliùs quàm ſi alliſas rupibus rupes turbo conferret. Sed ictibus fortuna tunc abfuit; & equi,

1 *Non Leones Africa illa.*] In qua frequentes ſunt. Teſtis eſt Sil. ſeptimo:

Jam cernes Lybicum huic vallo aſſultare Leonem.

2 *Non ſi plenius quàm Achillem inviolabili Styge tua mater te intinxit.*] Thetis ut filium ſuum Achillem invulnerabilem redderet, adhuc infantem mater Stygis undis immerſit, præterquam ea pedis parte qua comprehenſus ab ipſa fuerat dum ablueretur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

equi, quamquam illo concurſu læſi, ad cæteram pugnam non fuerunt inutiles. Circumactis ergo habenis, uterque jaculum altè amento quaſſatum vibravit; quod invicem parmâ excuſſum eſt. Supererat unicuique miſſile alterum: id ne fruſtra periret, diu armorum aditus oculis manibuſque metiti ſunt. Tandem Radirobani nihil certius viſum quàm equum hoſtilem confodere. quod ne impune eſſet, equum illius viciſſim Poliarchus ferit in capite. mox ambo veriti lapſum, aut beſtiarum jam in morte inſanientium fugam, velut pari conſenſu in terram deſiliunt, raptiſque bipennibus, quæ pendebant ex equis, ad certamen præcipitant. Sed ſuorum pietate diviſi ſunt. Quippe media Gallorum agmina atque Sardorum, intervenere furentibus. Hæc verò auxilia cùm uterque averſaretur, ægrè tandem, nec antea quàm ſæpiùs juſſus, receſſit è medio miles, Regibuſque arenam reſtituit; qui adhuc integri, omiſſis bipennibus, lævâ clypeum tenuere, dexterâ haſtam; quam ab hoſte venientem Poliarchus eludens, certiori ictu Radirobanem tetigit, vulnuſque haud modicum fecit in latere. Strinxere inde ferrum; ſæpe ita conſerti, ut ſolo capulo ora aut pectora liceret verberare. Nulla pars corporis, nulli armorum nexus intentati ſupererant. Horror omnes, & deinde miſericordia permovit, tantorum ſpirituum Principes incolumi exercitu perire. Rurſus igitur agmina coierunt, diviſeruntque pugnaces. quod uterque in dedecus ſuum accipiens, proximos cum irâ & imperio rogavit, ecquid victum ſe crederent, quem ſic tegere, ſic à pugnâ properarent eripere?

Sic militibus, ducibuſque diſcuſſis, redeunt ambo ad poſtremum diſcrimen; animis quidem invictis; ſed multi ſanguinis jactura vires abſtulerat; anheliſque corporibus jam nec certi nec validi erant ictus. Plus animi tamen & ſanguinis Poliarcho reſtabat. Memor deinde cauſæ quæ odium fecerat; nec dubius niſi vinceret perituram

ram dolore Argenidem; altiùs ſuſtulit ferrum, eoque [1] in Radirobanis jugulum oblique intravit, inter galeæ loricæque commiſſuram. Ille ſe mori intelligens, feſtinanſque ad vindictam, curſum in Poliarchum præcipitat, affligitque ſui corporis mole incautum; ſic ut in terram ambo deciderent. Statim militum ululatu cœlum inhorruit, his unum, his alium occidiſſe, pleriſque utrumque expiraſſe credentibus. Et quia ſub premente Radirobane Poliarchus ceciderat, pejori omine mens Gallorum, Maurorumque vertebatur; ut nec defuerint qui ad Hyanisbem decurrerent triſtia de eo nunciaturi. Inundavere in campum confertiſſima turba Gallorum atque Sardorum. Nulla Præfectis reverentia, nihil vexilla ordineſque tunc poterant. Suum cuique videbatur ad Reges decurrere, eoſque ſeu occidiſſent, ſeu viverent, ab arenâ eripere. Adeò ut tumultuoſa auxilia Poliarchum penè obruerint. Sed jam ille paulatim ſe expedierat ab hoſtis complexibus; & ultimo ſingultu explicitum ferro adhuc tentabat. Hunc verò ut vivere, & erigi, Galli ſimul Maurique conſpiciunt, ingenti feroces gaudio provehuntur in Sardorum promptiores Radirobanis cadaver tegentium, ipſumque Poliarchum infeſtantium telis. Sed diſcrimen breviſſimum fuit. Nam & victoriæ lætitia Poliarchum refecerat, & Galli impigram opem ferebant. Senſim igitur Sardi ceſſerunt; aliquid quoque ſuæ virtuti imputantes quòd tantâ in clade à fugâ temperabant. Illis igitur latè ſubmotis, hoſtili potitus corpore, ſpoliiſque opimis, Poliarchus ſyncere victor fuit.

JOAN-

1 *In Radirobanis jugulum.*] Num ultimum Luſitaniæ Regem arguit, qui cum expeditionem ſuſcepiſſet in Mauritaniam à Mauris cæſus eſt?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

JOANNIS BARCLAII
ARGENIS.
LIBER QUINTUS.
CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Vbi Legatis corpus Radirobanis repetentibus redditum, Poliarchus vulneribus æger abſcedit in thalamum. Sed hunc Themiſon Afer priſtinæ tandem ſaluti reponit.

EO modo intra pauciſſimos dies profligatum eſt bellum, longiori mole attriturum mutuas opes, niſi in cupidos Principes incidiſſet, & qui privati ſui fati rem omnium publicam fecerunt. Cedentibus Sardis minùs infeſtus in caſtra reditus fuit, quòd nec effuſe fugerunt, & conſcius vulnerum Poliarchus properavit in urbem redire. Interim tamen, dum medici ſubito remedio ſanguinem ſiſtunt, de proximâ arbore [1] exſcindi ramum jubet, quem aptatum trophæo; armiſque Radirobanis indutum, reclinavit in humerum ſuum. Sic ornatus conſcendit in currum, quem equi candidi trahebant; pulcherrimoque ſpectaculo, circumfuſus militibus, opima ſpolia geſtans, ad Martis delubrum provectus eſt. Nulla enim in Africâ erat Feretrii Jovis religio.

1 E*Xſcindi ramum jubet.*] De trophæis vide ſupra arborem armis Lycogenis ornatam l. 3.

2 *Nullâ erat Feretrii Jovis Religio.*] Feretrius Jupiter dictus eſt à ferenda ope, vel ferendis ſpoliis. Nam Romulus devictis Ceninenſibus, hoſtilia ſpolia ferculo in Capitolium detulit, in quercu ſuſpenſa conſecravit, condens templum Feretrio Jovi, authorque poſteris fuit, ut rapta ab hoſte ſpolia eo deferrent. Ita Livius l. 1. *Jupiter Feretri,*

ligio. Populus omnes vias impleverat, ut per ſubitam pompam licuit ornatus, frondibuſque quaſcunque ſors obtulerat nunc onerans manus, nunc vias quà triumphus pergeret ſternens. Tunc in victorem laudes, tunc mutua de Africæ ſalute gratatio. Hyanisbe in veſtibulo templi opperiebatur Poliarchum; cui de curru deſcendenti in hunc modum locuta eſt; priuſquam hæc ſpolia propitio Marti ſiſtis, Magne Rex, ſine me ea tibi dicere quæ tu mox diis. Tuâ virtute ſoſpites ſumus. Reddidiſti liberos cœli hauſtus; unicuique de populo ſuos agros, neceſſitudines, lares; mihi verò purpuram, mihi abſentem filium aſſeruiſti. Exige à nobis quicquid voles, beneficio tuo minus erit. O fata! quid quòd video vulneratum; & audio non ſine diſcrimine viciſſe? Victima ipſe fuiſti, cujus ſanguis mihi propitiaret victoriam. En igitur Radirobanem modò formidoloſum Africæ, jam ingeſtum humeris tuis armorum ſuorum ſpecie; & quo propius diſcrimen fuimus, nunc gratiori horrore noſtros oculos perfundentem. Veni ad Deorum templa, Heros, quos olim augebis: & ſive [1] his ſpoliis ad noſtros tholos affixis tuam virtutem luminibus Afrorum conſecras; ſive tantum monimentum diis Gallicis in patriam tranſmittis; ſcias nihil obſtare [2] quo minùs aras tibi ſtatuam, diemque, & [3] flaminem,

tri, hæc tibi victor Romulus Rex regia arma fero, templumque iis regionibus, quas mòdo animo metatus ſum, dedico ſedem opimis ſpoliis, quæ Regibus hoſtiumque ducibus caſis me authorem ſequentes poſteri ferent. De Jove Feretrio extat Elegia Propert. quam ſic concludit:

—— cauſa Feretrî
Omine quod certo dux fuit ante ducem.
Seu quia victa ſuis humeris hæc arma ferebant.

1 *His ſpoliis ad noſtros tholos affixis.*]
—— figamque ſuperbis
Arma tholis. ——
Horat. l. 1. Epiſt. 18. (*fixit.*
Sub duce, qui templis Parthorum ſigna re-

2 *Quo minus aras tibi ſtatuam, diem, & Flaminem.*] Ut Auguſto apud Tacit. & Suetonium. Hæc fuit conſentiens obſervatio præcipuè apud Lacones, ut eximios præclaroſque viros, qui obviam eundo periculis Rempublicam auxiſſent, ob egregia facinora civibus & patriæ exhibita, conſecrarent illis divinos honores & humano faſtigio ampliora voverent, templa ſcilicet; diem ſolemnem, Flamines, ſodales, pulvinar, & aras immòrtalitatis argumenta. Ovid. l. 14. de Æneæ Apotheoſi:

Nuncupat indigetem temploque ariſque recepit.

3 *Flaminem.*] Dicti ſunt Flamines, quaſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

nem, niſi quòd te inter mortales agere quàm diutiſſimè exopto. Hæc oratio ingenti populi plauſu excepta eſt; inter quem Poliarchus; cùm quæ ſuam modeſtiam decebant Reginæ reſpondiſſet, [1] ad Gradivi fores venit. Adhuc [2] cruentum de prælio religio erat ad aram accedere, de ove libare. Satis fuit ſacerdoti trophæum tradidiſſe, numenque compellare à limine, acciperet libens, & paria ſæpè munera ſibi dari annueret. Dum ſic orat, ſenſim vulneribus cœpit vinci. Jam pleraque enim frigebant & dilatâ curatione tumuerant. Adhuc tamen, ne Reginam & milites terreret, in diſſimulatione duravit; nihil aliud profatus, quàm aliquantulum quietis feſſa labore membra repoſcere.

Ibat ergo ad Regiam, comitante Hyanisbe; & militum multis in eo adhuc quo pugnaverant habitu latus utriuſque ſtipantibus. Sed nondum veſtibulum ſubibant, cùm à Sardis adeſſe legatos nunciatum eſt. Quippe Sardi nec vivum à ſe Regem eſſe protectum, nec mortuo ſaltem habitum honorem, ut in majorum tumulis condi poſſet, impatienter dolebant. Timor inde inter illos vulgatus eſt, ne captivo cadaveri hoſtis illuderet. Igitur in ipſo tumultu, quatuor Optimates magis ſuo quàm communi conſi-

Filamines, à filo, quo velabatur caput, cum per æſtum pileum ferre non poſſent. Tres apud Romanos fuere præcipuè Flamines, Dialis, Quirinalis & Martialis. Ita Livius lib. 1. Dio. Halicarn. lib. 2. τοῖς καλεμβίοις. Aſtipulatur & Plutarch. in Numa, quamquam à Livio diſſentiat: denique Varro, Scaliger, Virgil. lib. 3. & 12. Lucan. lib. 1.

1 *Ad Gradivi fores.*] Mars dicitur à gradiendo, quod gradatim & per ordines in acie inceditur, aut certe à vibratione haſtæ, quod Græci κραδεύειν.

2 *Cruentum de prælio religio erat ad aram accedere.*] Mos erat ut aqua abluerentur qui cædem hominum vel animalium commiſiſſent, ad commiſſi piaculi luſtrationem. Virg. l. 2. in fine:

Me bello è tanto digreſſum & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Homer. l. 6. Iliad.

Χερσὶ δ' ἀνίπτοισι Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἅζομαι· οὐδέ πῃ ἔστι κελαινεφέϊ Κρονίωνι
Αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.

Sic dicebat Hector rediens à pugna, manibuſque illotis Jovi libare ardens vinum pudet me, neque aliquo modo licet Nubicogæ Saturnio ſanguine & pulvere pollutum præceps fundere.

1 *The-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

conſilio, re tamen cum præcipuorum aliquot breviter penſatâ, ſumpſere legationis infulas, & omnium Sardorum nomine Lixam venerunt. Hos verò, Reginâ annuente, Poliarchus venire, & dicere ſtatim juſſit in ipſo regiæ veſtibulo; quaſi contemnendam legationem non ſeriò, aut per ocium, & in cultu dignitatis; ſed tumultuariè in viâ auditurus. Unus erat legatorum cui cæteri communem orationem mandaverant. Is convenientiſſimo ſermone Poliarchum monebat, ut clementer fortunâ uteretur; neu contemneret tanquam victos Sardiniæ deos; aut etiam ſuos, duriori in hoſtem occiſum lege offenderet. Veniſſe ſe repetituros Regis corpus. Ignobilia etiam eſſe odia quæ ultra mortem procedunt; nec diſparis laudis fore & vitam extorſiſſe pugnanti, & jam victo indulgere. Meminiſſet Radirobanem regii ordinis reverentiâ ſaltem à tumulo non arcendum. Si [1] Theſeum imitaretur, ne inſepultos hoſtis [2] manes pateretur errare. [3] Sin eſſet Achilles, contrà auro vile non fore genti Sardorum Principis ſui corpus. Ad extremum addidit preces, & inter viriles gemitus peroravit. Poliarchus contemptim ad eorum monita reſpondit, ſe eundem genium, deoſque eoſdem in conſilio habiturum ad regendam victoriam, quos ad comparandam habuiſſet. Cæterùm iis qui mori ſcelere meruiſſent, ne quietam quidem mortem eſſe debere. Niſi fortè & dii, quos illi toties appellabant, defunctorum umbris parcunt. Horrere omnium memoriam ad Radi-

1 *Theſeum imitaretur.*] Is Thebanarum matrum querelis motus Creontem Thebanorum Regem propinquos prohibentem funeris officio, indicto bello vita exuit: unde infra, *Nullas hic eſſe Thebas.* Stat. in Thebaide.

2 *Manes pateretur errare.*] Per centum annos ſupra ripam Stygis quod naulo carerent. Teſte Virg. 6. Æneid.

Hæc omnis quam cernis inops inhumataque turba eſt.

3 *Sin eſſet Achilles contra auro vile, &c.*] Priamus audita Hectoris nece, ejus corpus auro multo redemit. Virg. 2. Æneid. & Horat. 4. Carm.

Hectora Priamidem animoſum atque inter Achillem.

Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare prius, quam ſedibus oſſa quierunt,
Centum errant annos volitantque hæc litora circum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Radirobanis flagitium, [1] qui captato tempore ſanctiſſima cum Hyanisbe fœdera violaviſſet. Denique (inquit) ſcitote mei juris non eſſe quod petitis. Reginæ arbitrium eſt, ſævire an miſereri malit. Huic enim pugnavimus; hujus cum ceterâ victoriâ Radirobanes veſter eſt. His auditis, Legati, jam cœpto diffidentes, vertebantur ad Reginam. At illa abnuebat uſurpare licentiam quam Poliarchus ſuo ſanguine fecerat. Diu ergo altercati uter ferret ſententiam, ſeipſos & legatos ſuſpenderunt. Sed in Poliarcho vulnerum dolor moram non ferebat; ſciebatque præterea præſentibus maximè nec diu libratis beneficiis candidæ liberalitatis genium ineſſe. Itaque urgenti Reginæ, ut ipſe aut abſolveret legatos, aut in alium diem differret; intelligo, inquit, ô Domina, quid ſenſus tibi ſit. Nam ſi pro acceptis injuriis ulciſci cadaver velles, ipſa palàm imputares hanc ſeveritatem tibi. Nunc præterquam quòd es miſericors, vis liberalitatis authorem me videri quam promis in Sardos. Tollant ſanè, ſi ſic jubes, inutile cadaver impii Regis, flammiſque non ſenſurum imponant, quæ viventem meliùs excepiſſent. Certè, inquit Hyanisbe; & intelligant [2] nullas hîc eſſe Thebas, & Poliarchum viciſſe, non Creontem: cùm autem ſepulto epigramma facient, meminerint inter illius victorias, hanc civitatem [3] bis ab ipſo intratam.

Hæc modico riſu locuta à legatis avertitur; quibus ex Poliarchi imperio redditum corpus eſt, ut erat, armaturâ ſpolia-

1 *Qui ſanctiſſima cum Hyanisbe fœdera violaviſſet.*] Sive ſermo ſit de privato hoſpitii fœdere, quod porrecta teſſera fiebat. Quod ſi de ſolemni, liceat hic raptim delibare ineundi fœderis ritus. Fecialis porca exhibita ſceptrum tenens pro ſimulachro Jovis, filo lanæ caput velatus & verbena, Jovem, Martem cæteroſque Deos obteſtabatur, & dira precabatur obſecratione, ut ſi quis fœdera violaſſet, ita illum Jupiter feriret, quemadmodum ipſe porcam, quam lapide percutiebat, immolabatque primo diluculo aqua & igne in ſacris adhibitis. Hanc fidem ſocialem & ſanctiſſimum fœdus arbitrati ſunt, quo nullum ſanctius firmiuſque fuit.

2 *Nullas eſſe Thebas.*] Nullum Creontem, qui ſepulturam arceat. Vide ſupra.

3 *Bis ab ipſo intratam.*] Semel abreptam equo inter turmas hoſtiles: iterumque mortuum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſpoliatum. Ipſe tandem perfunctus publicis curis, nec ampliùs ingredi valens, inter ſuorum manus pervenit in thalamum: vixque moratus dum lorica laxaretur in ſtratum ſe conjecit. Quamquam medicos ſecum advexerat, memor tamen in Hyanisbæ aulâ celebres eſſe, ſibique, cùm à peiratis læſus illic ægrotaviſſet, perſpectos, voluit eos quoque advocari. Admoniti igitur duo Galli totidemque ex Mauris, expectatione profundiùs læſum, mutuo inter ſe terrore muſſabant. Præcipui periculi vulnus erat in latus deſidens, & explorantibus dubium an receptum in vitalia eſſet. Sub hæc percunctanti Reginæ quid ſentirent; clàm referunt, eſſe in incerto Regis ſalutem. Illa prudenti diſſimulatione rem tegi mandavit, ne qui motus in ſuis aut hoſtium caſtris exiſterent. Tum ampliſſimâ pollicitatione medicos adhortata, ne quid fidei aut artis omitterent, ipſa dum nudantur, dum explorantur vulnera, adeſſe ac videre ſuſtinuit. Multum cruoris effluxerat (nam & ſtatim ac in thorum procubuit, ex omnibus vulneribus proruperat vis ſanguinis) lentoque nec æquali venarum pulſu, manus ſæpè tentata peritos terrebat. Medicis itaque operam certatim promentibus, unus illorum, [1] Afer, Themiſon nomine, oris propemodum temnendi, ſtaturæque breviſſimæ; cæterum arte ſuâ, & eventu conſiliorum conſpicuus; nihil agimus, inquit. Aliam mortem Regi timeo, quàm quæ iſtis vulnerum meatibus ſeſe inſinuet. Neque enim putemus quicquid ſanguinis ferro tactum eſt, & loco dimotum, ab corpore effluxiſſe. Sed & omnis cruor in venis nimio motu extra temperiem cum ſuâ fæce efferbuit: Coibit igitur adhuc calidus, turbatuſque, in opacam ſaniem, & occupatis coſtis ſpirandi libertatem, & mox vitam, ni cavemus, eripiet. Quid, inquies, remedii? Non aliud quàm ut regiam in lacerto

1 *Afer Themiſon.*] Talis apud Herodotum & Corn. Celſum medicum mani nominis eſt Aſclepiadis diſcipulus. Juvenal. *Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno.* Et Apul. I. Apolog. *Themiſon ſervus noſter medicinæ non ignarus.*

lacerto venam ſolvamus. Ita laxato ſanguini turbatio adimetur quæ in tabem ſe cogeret. Omnes ad hanc vocem horrebant. Nam quâ manu, quave audaciâ, exhauſto corpori, vitæque vix in tantillo ſanguine hærenti, adhuc aliquid eriperent? Vicit tamen medici aſſeveratio, eum non aliter vivere poſſe. Delibavere itaque venam, triſtiſſimâ expectatione multorum. Singula deinde vulnera propriis remediis foverunt; quietique relictum vetuere ullo tumultu ullove negocio in eam noctem ſolicitari. Neque tamen Hyanisbæ perſuaſum eſt ut abiret. Haud procul à thoro in hemicyclo acquieſcens, accedebat identidem ad jacentem, nunc verita ne is defeciſſet, & anxiè legens anhelitum; nunc ſervorum ſedulitatem prævertens; & omnia officia exhibens vix ſcienti à quo tam prolixè juvaretur.

Vix demum Hyanisbe, urgentibus ſuis, & deficiente jam nocte, ſeceſſit in thalamum ſuum. Nec multum ſomni ceperat, cum Principum concurſu excitatur, ſimul geſtantium gratulari, ſimul quid in re novâ fieri ipſa vellet quærentium. Quippe cùm in Sardorum caſtris totâ nocte aliquid tumultûs auditum eſſet, primo mane nec eorum viſebantur in flumine naves, nec quicquam circa vallum aut cuſtodiæ erat, aut omnino frequentiæ. Miſſi deinde à Micipſa qui ſolitudinem explorarent, retulerunt Sardos abiiſſe; & pretioſiora contentos avehere, non pauca reliquiſſe victoribus. Liquidiori ſimul luce extrema profugientium claſſis conſpecta eſt. Amiſſo enim Rege, expers conſilii cum cæteris purpuratis Virtiganes, non deſperaverat modo victoriam (nam cui vincerent, vel cujus auſpicio; nihil unum aut velle, aut timere jam adacti?) Sed & ferociam hoſtium illo aggere ſiſti poſſe diffiderat. Præterea civilibus malis exercenda Sardinia armatos revocabat. Duo enim poſt Radirobanem erant qui ſceptrum depoſcerent, ex duobus Radirobanis patruis geniti: quorum unus Harſicora, ex juniori natus, ſed ſenior,

nior, ſuæ ætatis rationem volebat haberi: alter Cornius dicebatur; nec ſuum naſcendi ordinem, ſed parentis referebat. Tot malorum præſagia, cùm præterea militem ſpes, & alacritas defeciſſet, ducibus perſuaſerunt, ut ſine claſſico ſpargi per caſtra imperium juberent colligendi ſubitò vaſa, & Afris inſciis ſolvendi ex littore.

Hanc fœlicitatem nunciaturi Reginæ, plurimi Optimatum convenerant; quâ auditâ; utinam, inquit, hæc læticiâ frui poſſit, qui eam nobis peperit. Utinam, Poliarche, non ſim de te impenſiùs dolitura, quàm de hoſtium clade nunc gaudeo. Simul intra Poliarchi limen proceſſit, pauciſſimis matronarum & Procerum comitata. Languebat ille, vigiliæ & ſopori medius, inter omnes ægritudinis ſummæ notas. Gemitum tamen, queſtuumve ſolatium nulli dolores expreſſerant. Eadem majeſtatis conſtantia quæ valenti adfuerat, penè pereuntem comitabatur. Vox quidem debilior erat; nec quæ accipi, niſi à proximis, poſſet; cumque Reginam vidit; Numquid, Domina, ab hoſte turbatum eſt; ſive ſoſpitem dii me facient, brevi ulciſcar contumaces; ſive umbra tantùm ero, adhuc terrorem injiciam. Interim permitte rem tuo Micipſæ, & ſi placet, Gelanoro. Hæc verba, quamquam tenuiſſimo ſono exilia, eo affectu urgebat, ut in vultu videretur vividioris coloris aliquid arſiſſe. At Hyanisbe; nihil opus, inquit, ô Rex, aliis armis. Nam quis tuæ victoriæ ſuccedere dignus ſit? Tu rem heri conſummaſti, omnium viribus in uno Radirobane exciſis. Aufugerunt perduelles turpi noctis auxilio, ſociis inſepultis, caſtrorum integro aggere, & prædâ quam avehere celeritas vetuit diripientibus relictâ. Poliarchus ad has voces erectior videbatur, percurrente totum corpus ſenſu ſucceſſus. Ergo lætitiam vulgi inhiberi non voluit, ad templa, ad littora, ad convivia properantis; quamquam adhuc de ipſo timeretur, juberetque Hyanisbe differri publicam læticiam, donec illam ſua valetudine auxiſſet. Totam Lixam vana

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ambitio exhauſit caſtra hoſtilia intrandi; & de ſummo littore devovendi abeuntes. De ſpoliis deinde rixari, ut vix diis Regibuſque ſervarentur primitiæ.

Cùm verò attrectanda fuerunt vulnera Poliarchi, novandaque remedia; Principes amicorum, circumſtetere lectum, à medicorum vultu miſerrimè pendentes. Aderat medicus qui pridie ſanguinem mitti juſſerat. Is faſciam quæ circa graviſſimum vulnerum erat reſolvit. [1] Nondum enim medicina trifariam erat ſecta. ſed iidem de morbo ſententiam dicebant, diluebantque remedia, & manus ægris membris, aut ſauciis admovebant. Tunc verò viſum inſtar prodigii, jam ſaniem in pusematuruiſſe. O deorum munus! exclamat Themiſon; reddite quicquid debetis cœlo, ſi qui pro ſalute Regis voviſtis. Nunquam ego ad hunc diem tam certa ac ſubita ſalutis indicia vidi. Abeſt febris; non modò vulnera non ardent, ſed tanquam in mitigatis tempore plagis pars ſyncera quicquid emortuum eſt ſegregat, reſolvitque. Omnes, [2] tanquam ex adyto oraculum eſſet, illas voces acceperunt. Amentes gaudio hi lachrymas mittebant, hi proximos amplectebantur. Deciderunt & in pavimentum multi, [3] Apollini, & Æſculapio, & [4] Hygiæ, commendantes inceptum beneficium. Nemo tamen Reginæ animum æquabat. [5] Cœleſti Punicæ [6] hecatombem vovit, & ludos, cœpitque bonâ fide tunc primùm percipere victoriæ voluptatem. Publicè quoque tridui vacationem hilarior pietas fecit. Poëma Nicopompi quod [7] Soteria dixit, quamquam

1 *Nondum medicina trifariam erat ſecta.*] Scilicet in Prognoſticam, Pharmaticam, & Chirurgicam, ut noſtra ætate.

2 *Tanquam ex adyto.*] Tanquam certiſſimas, quales ex tripode, vel cortina ſortes redderentur.

3 *Apollini, Æſculapio.*] Medicinæ inventoribus.

4 *Hygiæ.*] Ὑγίεια *ſalus* Latinè dicitur, fingiturque Æſculapii filia, quia medicina parit ſalutem. Ejus imago Corinthi ſervabatur, teſte Vincentio Cartari in Æſculapio. Ædes quoque ſaluti ſtructa Nerone regnante.

5 *Cœleſti Punicæ.*] Deæ cœleſti. De qua ſupra.

6 *Hecatombem.*] Ἑκατὸν βοῶν, Sacrificium centum boum. Hoc ſacrificium non fiebat ab exiguæ fortunæ viris, ſed à principibus.

7 *Soteria.*] Carmen eſt gratulantium poſt ſalutem reparatam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

quam multò pòſt conditum (quippe rem ſerò in Siciliâ abſens reſcivit) tamen operæ precium hîc referri; quia, tanquam adfuiſſet, ſubitam celebrat præſentemque lætitiam.

Vivet iô. Quid ſe, velut acceptura merentem,
Anguſto vacui ſtipant jam limite cœli
Aſtra; vel Elyſii ſperant hæc gaudia manes?
Vivet, & humanas multùm dignabitur oras
Sceptrigerûm egregius Regum, qui cæde tyranni,
[1] Gallica Sardois celebravit robora faſtis.

Quà Stygiis limes niveis diſcriminat arvis
Inſontes animas, nullique adeunda vireſcunt
Supplicio nemorum late convexa piorum,
Belligeri errabant manes, quos inclyta virtus
Exemit pœnis, & tuta [2] ad flumina Lethes
Rixarum oblitos ſerò concordia junxit.
Dumque per adverſi regnum illætabile Ditis
Pœnarum infandas ſpecies, igneſque, [3] rotaſque,
Securi aſpiciunt, motoque è vertice Diras
Impia terrifico quatientes ſibila nutu:
Ecce recens Stygias turba adventabat ad oras
Sanguineo informis cultu, nondumque remiſſis
Enſibus, & ſævæ crudelis imagine pugnæ.
Mirantur ſummo Elyſiæ de margine ſylvæ
Magnanimi Heroës numerumque habitumque virorum,
Telaque & ereptis immania vulnera membris;
Qualia non rubris [4] Simois lavat horridus undis,
Dum Phrygias acies, adverſaque [5] ſigna Pelaſgûm

Hinc

1 *Gallica Sardois celebravit robora faſtis.*] In Sardoum calendario ſeu annalibus, Gallorum virtutem commendavit. Senec. cap. 14. de conſolat. ad Polyb. *Ad faſtos & annales te perducam publicos.* Et Suet. in Tiber. cap. 5. *Te in faſtos actaque publica referam.*

2 *Ad flumina Lethes rixarum oblitos.*] Qui de hoc bibiſſet, præterita obliviſcebatur. Silius l. 1.
Infernæ poculis referens oblivia Lethes.

3 *Rotaſque.*] Ixionis. Ita Georg. 3.
Atque Ixionei vento rota conſtitit orbis.

4 *Simois horridus undis.*] Fluvio Troadis: qui non longe aberat ab caſtris Græcorum, in eoque vulnera, quæ prælio acceperant, abluebant.

5 *Signa Pelaſgûm.*] Græcorum à Pelaſgis

[1] Hinc ferus Æacides, majorque hinc ſubmovet Hector.
Tunc ita muſſantes; Quod vaſta in vulnera ferrum,
Quæ tantæ valuere manus? Non ſæcula noſtra
Has tulerant vires. Sic ô mortalia creſcant
Robora; nec ſummo timeat Deus omnis Olympo!
Talibus intentos dictis, mox grandior umbra
In ſeſe advertit, Stygiis quam [2] cymba laborans
Vix dederat ripis; necdum caligine torvos
Mutarat vultus [3] functi novus incola mundi.
Quin etiam amiſſi ſuperant inſignia regni,
Murice picta chlamys, [4] nec adhuc direpta comarum
Vincula; & erecto fulgebat dextera ferro.
Sed multo informes ſqualent in ſanguine vultus,
Pectoraque; & ſciſſas fallunt ſpiramina fauces.
Haud mora correptum, qua ſtat fera [5] judicis urna,
Nil veritus traxit lictor. Ceſſere reorum
Vulgares animæ; vertitque huc ardua Minos
Lumina. Terrificos ſequitur reverentia vultus;
Et quanquam aſſuetas movit formidine ſedes.
Ille autem juſſus (nec detrectare poteſtas)
Pandere quæ vitæ ſeries, quo funere raptus,
Quid meritos portet ſuprema ad Tartara manes,
Incepit nondum dejectus, & improba movit
Ora memor regni. Triſtes ſiluere cavernæ,
Atque audituras voluit Styx mollius undas.
Si qua Radirobanis nomen fortuna ſub umbras
Attulerat (certè hoſtiles huc ſæpè catervas

Egi,

Pelaſgis populis vetuſtiſſimis, qui ab Arcadibus originem traxerunt. Strab. l. 5. & Plin. l. 4. cap. 5.

1 *Hinc Æacides.*] Achilles filius Æaci. patronymicum. Vide hanc pugnam apud Homerum, lib. 21. Iliados.

2 *Cymba laborans.*] Charontis inferorum portitoris pari modo cymba eadem fingitur laborare ſub Ænea ſubeunte inferos.

3 *Functi novus incola mundi.*] Radirobanes.

4 *Nec adhuc direpta comarum Vincula.*] Diadema caput vinciebat adhuc.

5 *Judicis urna.*] Minois, vel Rhadamanthi, vel Æaci. ut Horat.

Omne capax movet urna nomen.

Et Virg. 6. Æneid.

Quæſitor Minos urnam movet.

1 *Laſſavi*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Egi, & rumpentes [1] *laſſavi ſtamina Parcas)*
Ille ego Sardoâ modò formidabilis Aulâ
Advenio. Me gens certis Balearica fundis,
Me Ligures timuere. Sed ô quid inutile jactem
Robur, & armatis inſignia caſtra maniplis,
Si nulla extincto ſupereſt reverentia ſceptro,
Et virtus hîc ſola valet? Quid me [2] *urget Enyo?*
Horrentes differ ſtimulos. En ſponte profabor.
Heu nimium fiſus regnis, meque inter amicæ
Fortunæ obſequia, & primævi ſanguinis annos,
Mortalem oblitus, non fas, aut jura colebam,
Non Superos. Deus ipſe mihi, frangique voluntas
Neſcia: tum meritæ nuſquam mens conſcia famæ;
Nec fidi comites, viliſque ad ſingula plauſus.
Quid memorem Siculo meditatos littore raptus,
Quid Libycas acies; & nullo in limite vota?
Cùm ſubitò mihi ſæva dies, inimicaque fata,
Ultoreſque dei. Simul his ſuſpiria duxit:
Et ſiluit. Sed plura ferox tunc poſcere Minos,
Quæ ſævæ fortuna necis (proh triſte ſuperbis
Supplicium!) & quantis victor ſe tollat in armis.
Ille, inquit, quo ſe jactavit Gallia Rege;
Cui non fama prior, cui non certaverit ætas
Ulla Patrum; non me ille tamen non mortis inultæ
Dejecit fatis. Senſit quoque mutua ferro
Vulnera, & hi raptum tardè emiſere lacerti.
Nunc jacet exanguis victor, lucemque ſupremo
(Sic reor) obtutu quærit. Proh numen! & iſta
Num prior antra ſubit? Dixit, liventia circum
Ora ferens, cæſi manes ceu quæreret hoſtis.
Finis erat; juſtiſque ratæ ſortitibus urnæ

Tan-

1 *Laſſavi ſtamina Parcas.*] Vitæ multorum filum mea virtute ferroque reſcindens. Trium Parcarum tria munera hæc ſunt:

Clotho colum geſtat, Lacheſis net, Atropos occat.

2 *Urget Enyo.*] Pro furiis ſumitur.

1 Tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

[1] *Tantaleum ad laticem, & refugi mala pabula rami*
Damnatum, [2] *anguicomæ raptim abvexere Sorores.*
Spargitur Elyſiis velox tunc rumor in arvis,
Te Poliarche mori. Torvus ſic dixerat hoſtis;
Sic metuunt, ſperantque pii; comitemque ducemque
Te cupiunt, ſpondentque ſolo meliora relicto.
Quis prior alloquio; quis inanem tangere dextram;
[3] *Quis monſtrare vias, lucoſque, animaſque potentum*
Heroum, cupidas verſat gravis ambitus Umbras.
Hæc dabit herba thoros; iſtâ ſua tempora lauro
Cinget, & hic feſſos melius fons abluet artus.
Sic fremit [4] *(Hyblæis ſi Regem abvexerit error*
Vallibus, & reducem præmiſſis nunciet alis
Turba minor) lætum per cerea limina vulgus;
Auguſtantque fores, parvaſque citantia vires
Agmina, ſtridenti properant ſe credere cœlo.
Ecce autem cæci rediens per nubila mundi
Caſtor adeſt. Tunc fortè poli ſtatione relictâ
[5] *Mutabat cum fratre vices. Et lucidus aſtro*
Se fundebat apex, & habebant tempora flammas:
Purpuraque ex humeris, & vultu Martis imago.
Haud mora decepti ſic te deſcendere Manes,
Sic Poliarche putant; longè ſimul obvia pandunt
Agmina; [6] *Ledæi propior cùm Numinis arſit*
Vultus, & errantes ſe collegere catervæ.

Miran-

1 *Tantaleum ad laticem.*] Ejuſdem ſupplicii participem qui ſacrilegii fuit: Nam Tantalus cum filium Pelopem Diis appoſuiſſet comedendum, ad inferos detruſus eſt, ubi perpetua fame ſitique torquetur, pomis & aquis circumfluentibus illuſus. Horat.

Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Flumina.

2 *Anguicomæ ſorores.*] Furiæ.

3 *Quis monſtrare vias, lucoſque, animaſque potentum.*] More Anchiſis. Virg. 6. Æneid.

4 *Hyblæis vallibus.*] Siculis: Ubi frequentes apes, quæ Hybla paſcuntur. Martial.

Cum dederis Siculis, mediis de collibus
Hybla.

5 *Mutabat cum fratre vices.*] Polluce, quo oriente occidit Caſtor. Virg. 6.

Si fratrem Pollux alterna nocte redemit
Itque reditque vias toties.

6 *Ledæi Numinis.*] Caſtoris filii Ledæ, quam Jupiter compreſſit ſub imagine cygni. Dixit enim in poëmatis fine, *finierat Caſtor.*

1 *Cylla-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Mirantem cinxere tamen, miſtiſque rogarunt
Vocibus (interea preſſis ſuſpenſus habenis
Conſtitit, atque omnes reſpexit [1] *Cyllarus umbras.)*
Dic age (nam Superis vidiſti hæc prælia campis)
Quo regis ſtant fata loco, quem Gallia nobis
Mæſta dabit, noſtroſque ſubit quo limite campos?
Subſtitit incertus primùm; mox ſydere toto
Riſit, ut irato ſi pelleret æquore Caſtor
Nubila & in lætas deſcenderet igne carinas.
Audite, ô Manes, veſtriſque haud debita lucis
Gaudia fruſtrato faciles nunc ponite voto;
Ponite. Nec diſpar Superos ſpes nempe fefellit.
Vidi ego pugnantis vultuſque, animoſque, piumque
Robur, & extremo nutantem in ſanguine vitam.
Vidi ego quærentes Superos, quâ parte juberet
Ætheris hanc puris animam concreſcere flammis
Juppiter; [2] *Eoo mallet, cœlove cadenti*
Credere, perpetuæ nitidam vel jungeret Urſæ.
Cùm pater omnipotens; Non hoc ſub tempore, dixit.
Hunc noſtro egregium juvenem dare munus Olympo
Decretum eſt. Reſtant terris quæ maxima victor
Bella gerat. Nondum hunc omnis locus, omnis Enyo,
Omnia luſtrandi ſenſere piacula mundi.
Aſpice quæ ſpecies membris, ut Martia fortis
Bella decet, [3] *placidæque tamen non aſper olivæ eſt.*
O decus! O proles nulli! aſpernanda deorum;
Atque utinam conceſſa mihi! Placata dediſſes
Tu mihi tu veniam conjux, [4] *huicque ubera parvo;*

Can-

1 *Cyllarus.*] Equus Pollucis. Vide ſupra lib. 3. Virgil. lib. 3. Georgicorum:
Talis Amiclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus.

2 *Eoo mallet cœlove cadenti, &c.*] In Orientali plaga. vel in Occidentali, vel Meridionali, ſub zona torrida, vel in Septentrionali juxta Urſam.

3 *Placidæ non aſper olivæ.*] Pacis amans, cujus oliva Hieroglyph.

4 *Huicque ubera parvo.*] Lac Junonis dormientis Hercules admotus ſugebat, at expergefacta Juno eum repulit & lac effudit. Inde facta via lactea, & in terra lilium.

I Pæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Candida nec ſparſo micuiſſet ſemita lacte.
Non hæc non uni debentur gaudia ſæclo,
Ille diu florens juveniſque; diuque ſeneſcet.
Longius indulgent parcæ: dabit ille nepotes,
Æternam terris ſobolem, quæ limite fœlix
Inſurget patrio, ſeniumque his exuat aſtris.
I, gnate, accelera læto cui germina ſucco,
[1] *Pæoniæque artes, morbique & vulnera parent,*
I precor: arcanos plagis infunde liquores,
Qui ſuperant mortem, qui ſaucia numina curant,
[2] *Sive meus Mavors,* [3] *Phrygio ſeu pulvere læſa*
It Venus, & ſtrictum [4] *Tydeidæ exhorret ad enſem.*
[5] *Quin & Pergameo paulùm ſe tollat ab angue*
Filius, ac Mauros tecum illuſtrare penates
Approperet ſolers. [6] *Timeat nec fulmina rurſus,*
Invidiamque meam: nunc ô nunc annuo vinci
Fata libens, tanto quocunque immitia Regi.
Sic fatus genitor, Regiſque ante ora jacentis
Jam ſtabat medico circum præcinctus amictu
Phœbus, & occultâ purgarat vulnera lymphâ.
Nunc parcente manu plagarum anguſtat hiatus,
[7] *Nunc ſociat gnato plantaſque, arteſque, manuſque,*

Et

1 *Pæoniæque artes.*] Medicina: nam Pæon medicinæ peritiſſimus, quem Homer. l. 5. Iliad. *In calce ſcribit curaſſe Martem ab Deomede vulneratum.*

2 *Sive meus Mavors.*] Diomedes vulnus fecerat Marti in bello Trojano, Martem autem ſanavit Pæon jubente Jove.

3 *Phrygio ſeu pulvere læſa It Venus.*] Venus bello Trojano ſuccurrens gnato Æneæ in manu læſa eſt à Diomede, inquit Homer. in eadem Iliad.

4 *Tydeidæ exhorret ad enſem.*] Diomedis filii Tydei. Patronymicum.

5 *Quin & Pergameo paulùm ſe tollat ab angue Filius.*] Æſculapius adſit; Romanis Epidaurum profectis tempore peſtilentiæ, ut Æſculapium Romam deportarent, grandis ſerpens navim ingreſſus eſt, quem illi Deum Æſculapium eſſe rati ſecum abvexerunt. Ovid. l. 15. & Martial. l. 9. Epiſt. 17. de Earini coma:

Conſilium formæ, ſpeculum dulceſque capillos,
Pergamea poſuit dona ſacrata Deo.

Id eſt, Æſculapio.

6 *Timeat nec fulmina rurſus.*] Æſculapium fulmine percuſſerat Jupiter, quia in vitam reduxerat mortuos ab inferis. At vero ait ſe velle ut Æſculapius tuto exerceat artem & aſſerat Poliarcho ſalutem.

7 *Nunc ſociat gnato plantaſque.*] Æſculapio filio Apollinis & Coronidis Nymphæ.

1. *Abſen-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Et multum ambroſiæ venis ceſſantibus addit.
Protinus exhauſto redeunt in pectore vires.
Pallor abit. Senſit Superos nova vita faventes.
Quare agite, ô Sancti manes, celebrate Camœnis
[1] *Abſentem Elyſiis. Teneat ſeu ſydera virtus,*
Sive habeat terras, ſeu veſtris incolat umbris,
Semper chara piis, plauſuſque, & vota meretur.
Finierat Caſtor. læto fremuere tumultu
Securæ umbrarum ſedes; unoque favore
Et maria, & tellus, & ovans reſpondit Olympus.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

Arſidas & Gobryas collatis conſiliis ab invicem diſtrahuntur, ille Africæ oram legit, hic in Siciliam deſcendit. Interim Archombrotus acceptis Reginæ Mauritaniæ codicillis, quibus remetiri iter in patriam jubetur, ancipiti inquietæ mentis æſtu jactatur. Tandem Regis amicitia fretus ac fœderis propediem ineundi certior, navim armamentis inſtrui imperat.

IN hunc modum proceſſerunt aliquot dies, nullius tempeſtatis novitate notabiles (nam & Poliarchus expectatione celeriùs vires recipiebat) donec literæ quas Arſidæ commiſerat Argenis, rurſus turbulentæ fortunæ ludos inſtauraverunt.

Nam ut Gobryas, Arſidaſque, exegere in inopi littore noctem, quò poſt tempeſtatem ſucceſſerant, cœperunt collatis ſententiis penſare quò ire, aut quid facere, præſtaret. Claſſem, militeſque habebant, hanc quaſſatam, egentemque auxilii; integros illos, & deſiderio ſui Regis flagrantes. Materies illis locis deerat, vaſto ſolo, nec arborum patienti. Utcunque tamen refectis ratibus, aquam ex fonte, qui, rarum in Africâ decus, haud inde procul fluebat, comportant. Sparti quoque copia erat ſterilibus in terris, magno ad armamenta auxilio. Jamque adverſi venti ciciderant. Sed quas terras aut quæ maria peterent,

1 *Abſentem Elyſiis.*] Poliarchum redditum ſaluti atque ſuperſtitem.

rent, ignari quo tempeſtas egiſſet Poliarchum? Incertos animos explicuit tandem Arſidas, qui Gobryam his verbis ſecretò compellavit. Nimia ſilentii fides nunc criminis inſtar eſſet, ô Gobrya; ſi aut tu Regis tui conſilia ſic apud me taceres, aut ego legationis meæ ſummam à te averterem, ut communi conſilio non poſſemus nobis ipſis, dominiſque conſulere. Quid autem intereſt, quod jam invicem ſcimus ſuperſtitioſo inanique ſilentio diſſimulare? Age, Gobrya, nonne in Siciliam navigat iſta claſſis? Tum Gobryas illâ libertate erectus; tu verò, Arſida, inquit, nonne ab Argenide ad Poliarchum venis? Utroque fatente, arctoque complexu ſanciente novam fidem, ſimpliciùs inter ſe ad reliquæ conſultationis ordinem ſeceſſerunt. Monebat Gobryas pauciſſimos ex ducibus eſſe, quibus Poliarchus hoc petendæ Siciliæ prodidiſſet conſilium; cæteros falli longioris expeditionis ſpecie. Cæterùm ſibi maximè uni, omnia Regem familiariſſimè monſtraviſſe; promiſſas Argenidis nuptias hoc exercitu vindicandas, tam adverſus neſcio quas Siciliæ leges Gallicam affinitatem prohibentes, quàm in Regem Sardiniæ, intempeſtivum & gravem Virgini procum. Tunc Arſidas, diſceſſiſſe ex Siciliâ quidem Sardos, ſed atrociori fluctu inundare ſalutem Poliarchi atque Argenidis. Eſſe enim neſcio quem Archombrotum, cui filiam Meleander deſpondiſſet. Solis Gallorum armis poſſe hoc nefas prævertì. Properet in Siciliam Gobryas cum copiis illis. Id ſolatium Argenidi fore, ut ſecurior majora expectet auxilia, aut ſi neceſſitas non patietur moram, cum eadem claſſe profugiat. Sed & Poliarchum anticipatâ diligentiâ, aut illic jam eſſe, aut ſtatim adfuturum. Quòd ſi, inquit, aderis prior, finges curſum deſtinatum in Græciam; miſſoque præcone, flagitabis à Meleandro, ut in anchoris liceat ſtare, donec ſocios quos tempeſtas divulſit in unam claſſem exceperis. Dabo autem ad Argenidem literas; ſed quas ipſe ſcilicet reddas. Colloquendi rationem res locuſque,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

que, & tua induſtria aperiet. Huic ſi obſequêris, ſcis quanto apud Regem tibi honori futurum ſit. Hîc Gobryas; amplector tuam fidem, ſolertiamque, mi Arſida. Sed cur nobis in patriam te comitem non præbes? Poſſes utcunque meum adventum conciliare Meleandro; & hercule me ad Argenidem duceres. Imo, inquit Arſidas, ſi tibi videbitur, mihi triremem relinques. Hac ego pererrabo Africæ littora, ut ſi quà Rex veſter tempeſtate ejectus eſt, literæ mihi commiſſæ non pereant; & ipſe præterea me referente intelligat quo loco in Siciliâ res ejus reliquerim.

Poſtquam ita convênit, Arſidas accepta triremi, quæ velox, & maris oras legentibus commoda erat, deſtinatam navigationem exorſus eſt. Gobryas autem cum navigiis quindecim, in quibus præter nautas, claſſiarii bis mille & ducenti merebant, in Siciliam curſum inſtituit. Nec diſtulerunt operam venti; non quidem à puppe propitii, ſed ita diſpenſati ab Occidente, ut & ab Africâ Siciliam, & ab Siciliâ Africam petentium obliqua vela impellerent. Quippe eodem tempore Archombrotum fata vehere properabant in Africam, cum egregiâ hominum manu, navibuſque omni ad bellum commeatu quantum ſivit feſtinatio, inſtructis. Is enim literas matris per ſervum maturè acceperat, quibus illa monebat in exitium Africæ Radirobanem armari, nuptiaſque jure materno differebat, donec in Africam tranſmiſiſſet, conſociaſſetque cum ipſa conſilia. Quamquam gemino motu penè mens Archombroto ſubmota eſt, indignatione in Sardos, & dilatarum nuptiarum dolore; tamen tota Africa amori cedebat, ardentiuſque agitabat cur matri placeret tamdiu ſe torqueri, quàm quibus auxiliis hoſtem à patriâ arceret. Quid Meleander deinde cogitaret, quidve Argenis? quoties ingrata mora res perdidit, & indignata eſt non ſtatim admitti fœlicitas? Sic turgens, duramque ſæpiùs matrem tacitis intra ſe queſtibus accuſans, breve mitigando animo

tempus ſumpſit. Inde primâ dolendi furendique nube conſumptâ, conatus in Radirobanem vertere quidquid ira ſuggeſſerat, ad Meleandrum ivit; illique his verbis locutus eſt. Utinam meum genus (Rex) profeſſus antè eſſem, cùm me Siciliæ gravem & incommodum eſſe aliena injuria non cogebat. Nunc ſimul & indicium generis mei facio, & aſſerendæ dignitati efflagito veſtra auxilia. Hyanisbe Mauritaniæ Regina mater mea eſt. Ea literis ſignificavit imminere formidoloſum ſibi & Mauritaniæ hoſtem. Quamquam in regni diſcrimine moveri debeo, plùs tamen abominor ipſum matris periculum. Iram præterea geminat mali author. Ille ſcilicet Radirobanes, ille latro, quem in tuum & Argenidis caput graſſantem hinc fata depulerunt, rurſus muliebrem prædam petit. Nec ab eo timerem Mauritaniæ meæ, niſi quòd imparatam aggreditur. Ibo igitur; &, ſi in generum placeo, ſuccinctus tuis viribus; addamque Radirobanem Lycogenis fatis. Et Sardinia Mauritaniæ ſerviet, Mauritania verò Siciliæ. Nam cur ante hoc bellum nuptias faciamus, in quibus inſtantia arma, & incerti eventus, ſyncera gaudia eſſe non ſiverint? Si vincemus, pulcher erit hymenæus pompâ triumphi: ſin aliter fata ſtatuunt, nolo paucorum dierum maritum Argenidi eſſe.

His auditis, non pauciora quàm quæ Archombrotum agitaverant moverunt Meleandrum: ſimul audire quòd Archombrotus erat Hyanisbes filius; ſimul in Radirobanem peti auxilium; ſimul nuptiis filiæ quas tantopere urgebat, injici moram. Tot cogitationum velut agmine plenus, in gaudium mœroremque anceps erat. Archombrotum tamen imprimis amplexus eſt, audito Mauritaniæ nomine chariorem. Dives regio, & olim hoſpita Meleandro, commendabat tantarum opum juvenem, jam antea indolis virtute chariſſimum. Deinde in inſignem pietatem referebat, quòd ille aſſerendæ parenti nuptias poſthaberet; ignarus hanc in fervido juvene, & adacto

matris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

matris imperiis, non ſpontaneam eſſe virtutem. Radirobanem verò acerrimum ſibi hoſtem ſciebat; & in lucro ducebat cum eo potiùs apud Mauros quàm in Siciliâ ſuâ decernere. Regni quoque periculum quòd ad Archombrotum ſpectabat, & ipſius Archombroti gratia ejuſmodi beneficio occupanda, facilè impulerunt animum ad armorum conſilia. Ergo in bellum ſocietate promiſſa, jam illum, ut Reginæ filium magnificentiùs cultum, nihil ampliùs diſſimulabat ſe generum optare. Gratulatus quoque filiæ eſt, quòd nuptura clariſſimo Principi eſſet. Quæ omnia ſic Argenis accipiebat, ut fati ſibi exitium maturantis præſagia; uno tamen hoc læta quòd inducias ei dabat expeditio Archombroti in Africam. O turbida mortalium conſilia! Jam occultè Radirobani Argenis favebat: is illi placebat hoc in Africam bello; hujus impetum commendabat Numinibus; non tàm ut vinceret, quàm aut ne vinceretur, aut in mutuâ clade occumberet.

Ubi verò vulgatum eſt, Argenidis cum Archombroto nuptias ſolo bello differri quod in Mauritaniâ inſtabat, haud mora omnium Ordinum primos ad ejus limina ambitio adegit. Arma certatim, equos, navigia ornabant. Nemo erat in patriciâ juventute qui non offerret operam, ſumptuque ad bellum, & maturandæ profectionis acri hortatu, novo Principi ſe probaret. Ea Argenidi triſtiſſima erant; ad quam multi præterea veniebant gratulatum quòd Mauritaniam ſuo ſceptro conjungeret; etiam laudibus efferentes Archombrotum, eiq; propitios deos, & brevem in Siciliam reditum incommodiſſimâ humanitate optantes. Nec Poëtæ defuerunt tam publico argumento; quorum unus operâ Timocleæ, jam olim ſibi familiaris, ad Argenidem pervenit, & muneris ſui ignarus porrexit hos verſus indignanti.

[1] *Inſtat Hymen, totiſque parat connubia votis;*

Inſtat

1 *Inſtat Hymen.*] Nuptiæ: eſt enim Hymen nuptiarum Deus, qui in nuptiis invocabatur, inquit Catull. in Epithal.
Hymen ô Hymenæe, Hymen, Hymen ô Hymenæe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Inſtat Hymen: Sed tu cupidum ſuccendere caſtas
[1] *Nunc prohibes Gradive faces. O dure,* [2] *tuiſque*
Sævior Odryſiis, ſic noſtra in gaudia pugnas,
Et ſancto gemitum ferus internectus amori?
Quid queror invidiam Superûm? Sunt iſta faventis
[3] *Signa deæ, Paphias fumant cui thura per aras.*
Illa coronatis genialem auctura triumphis
Lætitiam, differt avidas paulùm improba flammas,
Extimulatque morâ; ceu parvæ aſpergine lymphæ
Grandior exurgit, læſuſque iraſcitur ignis.
Nunc age Threïcios molire per ardua currus,
Armipotens, Libycæque petens diſcrimina pugnæ;
Hunc Regem, ceu tu Superos fortiſſimus inter,
Sic [4] *hominum primum, magnæ tege numine dextræ.*
Vos quoque (Sicaniâ thalamos [5] *dum mater in Aulâ*
Apparat, & ſimiles miratur Cypria vultus)
Ite leves pueri; bellum vocat; ite per auras;
Et vos arma decent, nec fruſtra tenditis arcum;
Ite Cupidinei cœtus. Sed parcite telis,
Inque feros [6] *veſter potiùs ſtet vitricus hoſtes.*
Victores Libycâ poſtquam remeabitis orâ,
Gratior hîc veſtras vacuabit pugna pharetras.

Et Archombrotum quidem ab amandi dolendique anxiis curis nonnihil revocabat hæc præſens armorum intentio. Nunc ille laudare, nunc acuere ſuorum ſtudia; videre in armis præludentes vero diſcrimini; inſtituere qui commeatibus, qui telis, qui navigiis providerent. Auxilii enim non vis modò, ſed gratia, celeritate conſtabat; ut ſenti-

1 *Nunc prohibes Gradive faces.*] Nuptias enim bellum prohibebat, pro quibus ſumuntur hic faces. Metonymicè.

2 *Tuiſque ſævior Odryſiis.*] Equis Thraciis: alludit ad ſævitiem equorum Diomedis. Odryſia Thraciæ urbs eximia. Synecdoch.

3 *Signa Deæ.*] Veneris.

4 *Hominum primum.*] Archombrotum, juxta Etymon.

5 *Dum mater Cypria.*] Venus, quam mox Cypriam vocat.

6 *Veſter ſtet vitricus.*] Mars, Cupidinis vitricus; vel pater, ut aliis placet; fuit enim Mars procus Veneris. Ovid. Metam.

1 *Lita-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſentiret Hyanisbe, & intelligeret Argenis, quàm ſtrenuus eſſet. Intra pauciſſimos dies, parata in anchoris ſtetit claſſis triginta triremium. Minora navigia viginti, ad armamenta, & varios uſus, comitabantur.

CAPUT III.

ARGUMENTUM.

Delectum Timonidem Meleander monet; eum qui legationem obit, diſertum, prudentem, expertum, Regni magis quam ſui amantem eſſe oportere.

MELEANDER fidum hominem, & negociorum uſu exercitum, addere Archombroto haud imperitè cogitavit, tanquam ad Hyanisbem legatum. Ita enim reſcire ſe poſſe, quicquid non hoſtis modò, ſed ipſa cum filio Hyanisbe moliretur. Vices rerum, & experientia regnandi, multam ſolertiam capaci animo impreſſerant. Nullam tamen ſuorum negociorum partem cautiùs exigebat quàm delectum eorum quibus ad exteros Reges aut populos legationem concrederet; reputans illos venarum inſtar eſſe, quæ pro ſuo habitu, occultam ſalutis aut morbi vim ex diverſo tractu terrarum inſpirarent in patriam. Erat expertus, cum illi ſe priùs, quàm dominum fidemque reſpiciunt, rem patriæ, dignitatem, conſilia, aut ſilendo, aut annuendo pandi. Cùm autem turbulenti impetu animi, aut imperitiâ ſuperbâ laborant; hinc quidem aſperiùs obloquendo, illinc verò renunciando deteriora, ſæpè turbas concitare quæ ſuperfluæ initiò, ex mutuâ contentione, & ſubinde creſcentibus cauſis, in neceſſarios motus exæſtuent. Pone denique (ajebat) eos eſſe æquabiles; at niſi ingenii vigor accedit, & conſcius fraudum quæ in illos parabuntur; non modò non conſilia gentium deprehendent ad quas legati ſunt; ſed ſimulatione & quodam obſequio capti, dominos quoque ſuos, nihil verum aut exactum referentes, peſſimâ ſimplicitate decipient. Præter hæc, curabat Meleander ut genio Regis aut populi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

quem adiri oportebat, commodiſſimus eſſet orator, haud ignarus conſortia morum ad familiaritatis ſuavitatem plurimùm procedere, & ægrè mortales cavere ab iis quos amant. Inter has artes magis anxiè penſabat, quos ſic dimitteret ad Reges exploratum, quàm quibus præcipuas imperii vires in ſuâ Siciliâ traderet. Nec aut amicitias, aut familiarium commendationem ſequutus, etiam ſolebat iraſci, ſi quis auderet ſic dubio pendentique neceſſarios ſuos aut affines objicere.

Tunc verò impenſius deliberabat, ecquem ſibi quàm Archombroto futuro Principi fideliorem eligeret. Biduum tacita conſultatio extraxit; & denique ſedit rem mandare Timonidi; cui ad ſe vocato ita loquutus eſt: Si eſſes edocendus quam curam, quamque fidem legati nomen velit, non ego te impari onere opprimerem. Volo te in Africam cum Archombroto proficiſci, & meo nomine ſalutare Hyanisbem: apud eam deinde hærere, donec à me ſucceſſorem accipies. Quæ illi Reginæ de bello, de filio, de affinitate nuncies, te hodie Cleobulus docebit. Unum ipſe admoneo, ne cujûſquam gratiam meæ anteferas. Quid illic agatur; quid velint, aut poſſint, ne peperceris referre. Nec time ne hæc fides tibi periculoſa ſit, ſi quid ſcribas quod hi nolint quos lædere nolles. Diu eſt enim quòd ſilere perdidici. Timonides non lætior fuit acceptâ dignitate, quàm de ſcopulis qui in eo curſu latebant ſolicitus; ſciebat (nam Arſidæ & Nicopompo erat familiariſſimus) Archombrotum Argenidi non placere. An hanc autem obiret provinciam gratus utrique? Quòd ſi alterutri in odium veniret, credebat manſuram offenſæ memoriam multò altiùs in læſo, quàm gratiæ in illo quem juviſſet. Sic igitur Regi; nec dubito de ſilentii tui fide, Rex; nec arbitror commiſſuram Hyanisbem, aut Mauros, ut quidquam nunciem quod tegi oporteat. Sed fortuna varia eſt, ſed tempus, ſed homines; denique eſtis Reges. Si quid tale occurret, non tantùm in tuâ, ſed &

Cleo-

Cleobuli manu, fata utique mea erunt; ad quem (utpote Præfectum ſecretorum) legatos deſtinare literas ſuas jubes. Et de tanti hominis fide anxius non ſum: ſed quid ſi alteri hanc literarum præfecturam mandabis? quid ſi vicariis ſuis ipſe? Ut non hæc fiant; at hoc ipſum nimis ſupplicii mihi erit, poſſe contingere. Tum Rex. Non injuſti (inquit) hi metus: verùm ſi qua ejuſmodi erunt, ſcriptis mihi ipſi literis omnia ſecurè commiſeris. At Timonides. Scilicet inſolentiam ad te ſcribendi omnes ſuſpectam non habebunt? Aut non invidioſum mihi apud Cleobulum, ſi tanquam damnatâ ejus fide, ſuo muneri, & integritati ſic detraho?

Perplexus ad hæc verba Meleander cœpit ſolus ſpatiari, ratus quæ Timonides tanquam pro ſe attulerat, ad Regum ipſorum ſalutem pertinere. Tunc verò poteſtatem Præfecti ſecretorum animo volvens, non ſine horrore cogitabat quantum ille acceptis legatorum literis poſſet. Tanquam arbitrum rerum, nihil hunc magis quàm quod placet Principi referre. In hac verò libertate, quas cum exteris amicitias ſi velit, non obruat; aut injurias atque fraudes præcorruptus non mulceat? Quòd ſi perfidiam quæ argui poſſit, prudenti ſcelere vitabit; at ipſa negotia narrando torquere, verbiſque premere, aut elevare omnia poterit; tanquam hoc quoque orator mandaviſſet. Ita ſimul & eadem & diverſiſſima erunt, quæ illi Præfecto legatus, & Regi ille tradet. Parvo momento deflecti aut intendi negocia poſſunt: & ex ſupercilio aut remiſſione dicentis, ſubitam efformamus, & maximè efficacem, in mentibus imaginem rerum quas primùm audimus. Tantæ quoque potentiæ viros clàm vicini Principes ſolent vel muneribus aggredi, vel, quod valentiſſimum ambiendi genus eſt, arcanâ familiaritate, penè tanquam æquales ſic colere, ut vix intelligant ſe ſolicitari ad turpiſſimam ſervitutem. Si igitur his machinis aut omnino conceſſerint, aut debilitatam ſaltem fidem, non oppo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

nent illius Principis conſiliis quem illicito fœdere ſic amabunt; idque apud exteros legatus perſentiſcet; quæ Regis commonendi ſit ratio? Huic ſcilicet quem accuſat literas mittet? hunc jubebit ſua crimina ferre ad Regem? hunc ſeipſum acerrimâ accuſatione proſcribere? Nempe hoc infrequens; dices, nec deeſſe alios Optimates, per quos ſcilicet tunc legatus ferat ad Regem proditionis indicium. Imò verò ardua erit tantæ accuſationis provincia (in qua ſcilicet aut actorem aut reum perire neceſſe eſt;) ſi illam hominibus credideris, qui ut ſint ſecretiſſimi ac penè ut taceant, adhuc nimis loquuntur, ac non potiùs codicillis inſontibus, mutis, ſui expertibus; quos Rex unus & legat & premat: quid ſi præterea tectiora aut minora ſcelera erunt, aut de quibus ipſe legatus addubitet? An invidioſiſſimâ delatione violanda tunc fama Præfecti ſecretorum, delectis hominibus qui hunc apud Regem inſimulent? Nulla pax rebus, nulla dignitati ſecuritas. Et ſæpè legatus tantis inimicitiis poſthabebit officium. Sed ut ejuſmodi Præfecto fides & probitas inſit; at ſaltem, quod ſæpe fit, ſi in gerendis rebus diſſentiet legatus ab illius ſententiâ, & quid ipſe cenſeat referre Regi volet; quî hoc fiat, ſi per hunc ſolum ſenſus ſuos Regi oſtendit? Non enim in ſe pugnabit iſte Præfectus: non ſe deſeret, non fovebit adverſa, legatum odiſſe pronior, quàm ſenſus illius Principi commendare.

Meleander cùm hæc omnia ejus animo nec cogitans ſubjeciſſet Timonides, agitare ſimul cœpit de remediis in illa diſcrimina. Erat quidem tanta virtus Cleobuli, ut in eo non hæreret ſuſpicio; ſed ordinare non tantum in præſens, verùm ipſis nepotibus rempublicam Reges debent; & ineptiſſimi in unius hominis virtutem cultûs & admirationis eſt, publicum munus ſi quo ille fungitur multiplici liberaque poteſtate attollere, quaſi fatale ſit ut ea ſemper dignitas cadat in probos; cùm potiùs armatura ſit viribus tuis temeritatem eorum qui ambitu vel errore

in eam

in eam ſuccedent. Secum ergo conſtituit anxiè legatis præcipere, ut quoties iſti Præfecto ſcribent, ad Regem etiam deſtinent codicillos; non prolixos illos quidem, nec graves negociis; niſi occurrant quæ non interpoſitâ alterius fide nunciare præſtiterit. Hac arte, nec laboraturum Regem brevium literarum, & plerumque non ſeriarum, lectione; ignarumque Præfectum quid illic ſcriptum ſit, bonâ utique fide quæ ipſi legatus mandaverit quæque ſenſerit, relaturum. Sed & hunc quoque præter legati invidiam accuſari improvidum poſſe, non ſuſpectâ illius ad Regem literarum frequentiâ. Ea autem ſic demum proceſſura, ſi Rex tanquam ſalutis aliquod pignus, acceptas epiſtolas continuò leget, & cæterorum omnium oculis ſanctè ſubducat. Ita enim & legatis in ſecuro futuram libertatem; & neminem reſciturum ſeria an quotidiana perſcripſerint; quò Regi magis in integro, diſſimulandi conſulendique poteſtas ſit.

Sed inſtituenda hæc ſenſim, & propemodum non ſentiente Cleobulo: & auſpicandi pulcherrimam rationem offerri hoc diſceſſu Archombroti; quaſi daret ſuo in eum amori, ut de ipſius valetudine juberet Timonidem deſtinatis ad ſe literis nunciare. Clàm igitur Timonidi imperat, ut ſi quæ eſſent ſoli Regi perferenda, uni ſibi concrederet; & ne ſuſpicioſæ literæ eſſent, ſi rariùs & veluti extra ordinem mitterentur, ſcriberet non Cleobulo quàm ſibi frequentiùs. His præceptis ornatum dimiſit; cumque paulò pòſt adeſſet Cleobulus, rurſus juveni imperavit, quàm ſæpiſſimè ſcribere, nec Cleobulo modò, ſed ſibi, de valetudine ſucceſſuque Archombroti; paria ficturus ut quiſque ab eo legatus mitteretur ad exteros; donec mos ipſo legatorum ambitu convaluiſſet, amantium hoc per literas majoris dignitatis cum Rege conſortium.

CAPUT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT IV.

ARGUMENTUM.

Dum Archombrotus ſolvit in Africam appliciturus, appulſus in Siciliam Gobryas, Argenidem occulte adit, pretioſamque purpuram in hoſpitii quaſi mercedem rependit. Non recuſat virgo munus, hoc ipſo ad commoditatem colloquii uſa. Certiorem facit Argenidem Gobryas eum brevi cum delecto milite affuturum.

OMNIBUS ad navigationem maturis, cùm Archombrotus ſalutaret Argenidem, diſceſſumque excuſaret; illud quoque miſerrimam virginem torſit, quod is necdum ſentiret ſe deſpici; & ipſa ſui amoris opinione inimicum auxiſſet tot opibus, tot ſtudiis Siculorum. Faſtidioſe ergo reſpondit, probare ſe quòd ad matrem rediret. Nemini enim meliùs quàm domi ſuæ eſſe. Tetigit Archombrotum non perplexa verborum acerbitas; quam dicentis ſpecies & auſteritas augebat. Sed nec queſtus, nec jurgia, tempus aut locus ferebant. Potiùs veluti non ſenſiſſet ſe ad exilium invitari, reſpondit, ſanctiorem patriam, & cui plus deberet, illam videri, quæ dominæ, quàm quæ ſibi primam lucem infuderat. Dum hæc loquitur, intervenit Meleander, quo conſpecto remiſit Argenis de rigore verborum, refecitque invita Archombrotum; qui poſtquam [1] litavit in arenâ, cum omni exercitu ſubiit mare: ſatis loquutus Proceribus qui in eâdem triremi vehebantur; ſeceſſit tanquam acquieturus, & animum laceſſentibus curis aperuit. Nam Argenidis ſermo turbulentiſſimè in mentem redierat. Quid verò excitaſſet hanc in virgine crudelitatem? Penè ridicule admonuiſſe quietis domeſticæ, an erat improperantis quòd omnino abibat, an ſimpliciter ſua fœdera aſpernantis? Sub hæc reputans

1 *Litavit in arenâ.*] Scilicet Neptuno, Ventis, Tempeſtati. Ut paſſim Æneas apud Virg. l. 5.

Ipſe caput tonſæ foliis ornatus olivæ
Stans procul in prora, pateram tenet extaque ſalſos
Porrigit in fluctus & vina liquentia fundit.

Valerius l. 1. Argonaut.

Ipſe ter æquoreo libans Carcheſia patri.

Et Apollonius l. 2.

Αὐτὸς δ' αἰσονίδης χρυσέῳ ποταμοῖο κυπέλλῳ, &c.

1 *Aru-*

putans quicquid antea ab Argenide aut mite aut ſeverum acceperat, vix regebat moleſtiſſimam metuendi ſperandique diſcordiam. Quod præterea [1] Aruſpex in littore ſignificaverat, numina navigationi annuere; ô dolor! an ſic intelligendum, ut dii interdicerent reditum, proſperis ſed veluti fatalibus ventis diſceſſum urgentes? Hæc & ſimilia dolendi argumenta congerentem, urebat maximè Poliarchi memoria; de quo præter antiquas ſuſpiciones quæ jam æmulationi ſuffecerant, quicquid erat à Seleniſſa retectum famâ gliſcente cognoverat. Inter ejuſmodi cogitationes acerbitate pleniſſimas, ſuſpenſo juveni, ſuiſque doloribus nimiâ contemplatione indulgenti, dabat utique fiduciam Meleander, amore in ipſum præcipuus, & nuptiarum conciliator. Sed quid ſuarum rerum diſplicebat Argenidi? aut potiùs quis puellæ tantopere alius placebat? Ille nempe Poliarchus; quem, ô, inquit, ſi mihi fata obvium dabunt, quantò lubentiùs quàm ipſum Radirobanem, hac manu, hoc ferro, de amore atque vitâ dejiciam! Et verò meretur odio meo oppetere tot malorum mihi author, ac virgini; quam niſi carminibus teneret, ego tam claro ſanguine, tam opulento regno, tot amoris indiciis, ac etiam (fas ſit tacitè cogitare) non ignobili fortitudinis exemplo, flexiſſem. Sed illum ſuâ obſcuritate tutum unde quæram, aut quò perſequar? Niſi eſſet hac ſpe minor quam improbè concipit, non tamdiu abeſſet; aut ubique ſecretus fugeret conſcientiam Meleandri. Hei mihi! ſed & ſi occurret patebitque iræ meæ; & eâ forſitan quam meditor ultione jam dubiam virginis mentem pejùs à me averterim. Imò certus ſum vitam illius mihi obſtare; an item ſit obſtitura mors viderint dii. Certè nec de mortuo quicquam ſperare ipſa poterit; & ſciet utique fortiſſimum fuiſſe qui vicerit.

Sic apud ſe digerebat Archombrotus malè ſana conſilia,

1 *Aruſpex in littore ſignificaverat.*] *Ne inauſpicato ſe alto crederent*, ut infra.

lia, interdumque dolebat, quòd Poliarcho olim amico ſic iraſci cogeretur. Nondum verò ab illius oculis Siciliam venti removerant, cùm Gobryas haud procul Syracuſis anchoras jecit; miſſoque ad terram præcone ubi Rex degeret quæſivit: cumque audiſſet imminentem pelago arcem, quæ Epeircte dicebatur, ab illo tunc incoli, ipſe unicâ triremi Syracuſas conceſſit, tanquam commeatuum cauſa. Miſit inde delectos, qui Regi ſignificarent Gallorum magnam claſſem in Græciam indeque in Aſiam navigantium, tempeſtatibus ſparſam per æquor fuiſſe. Hujus partem in Siculo mari expectare ſocios, ſi fortè ab errore illuc quoque agerentur. Petere ipſum ducem, ut liceat colloqui Regi. Nam Principis tanti conſpectum, pro maximo tempeſtatis precio ſibi fore, quæ hæc littora dediſſet. Meleander, ut humanitate præcipuus erat, quamvis ambigeret quid Gallorum tanta claſſis in Græciam vellet, tamen ad colloquium invitatus non renuit. Venit igitur Gobryas cum amicis ſervuliſque omnino viginti: cui Epeircten intranti obviam miſſus Eurymedes, ad ſe hoſpitem deduxit; & humaniſſimum expertus, haud perfunctoriè commendavit Meleandro. Poſterâ die deductus ille ad regiam, ſui expectationem, quantam Eurymedes fecerat, facilè implevit: niſi quòd ſentiebat Meleander, cùm quæreret cui cœpto hanc Gallia claſſem ornaſſet, non ſyncerè aut ſimpliciter reſponderi. Itaque exploratorem veritus eſſe, honorarios cuſtodes clàm tribuit; qui incautum, nec ratum ſe timeri, ſolerter obſervarent.

Sed Gobryam altior cura verſabat, quâ arte quove ductore, ſecretò colloqueretur Argenidi. Memor tandem purpuram, quæ nullibi precioſiùs fulgorem, quam in Galliâ admittit, in navibus ſuis eſſe, ei à Poliarcho præparatam; hanc afferri ad ſe jubet, tanquam in hoſpitii gratiam regiæ virgini donum. At illa jamdudum non minoribus curis concuſſa, ſecum vehementer quærebat, an

ſperare

ſperare auderet has naves à Poliarcho præmiſſas majorem comparante exercitum. Sed parumper huic ſolatio innixi, rurſus conſuetudine lugendi ad deteriora revoluta eſt; ut & ludibrio ſibi eſſet hac tantillâ jucunditate ſpei quam hauſerat. Sed quid Arſidas morabatur? cur non procedebant promiſſa Poliarchi? In ipſo, an fortunâ, tarditatis cauſa erat? Exierant deſtinati menſes ad reditum. Ipſa vivebat non illius auxilio, ſed infœlicitate Archombroti, quem in Africam bella vocaverant. Heu in meos luctus, fortis, & ſapiens, & dignus amari, Poliarche! cur ego te vidi; cur etiam una placui quam multiplici morte conficeres? Ego ſi te neſciiſſem; hoc quidem ipſo vixiſſem miſera; ſed ſaltem non ſenſiſſem. Non deerant toto orbe quas amares fœliciùs. Do virtutum tuarum immeritas pœnas, quarum unaquæque me diviſam, me fortaſſe contemptam ad interitum adigit. Hei mihi! quid ſi & ipſe non leviora jam quereris? quid ſi dolore quem ſentis, & illo quem in me ſuſpicaris, obrutus jaces? timeſque præcipuè ne tibi potiùs irata quàm fortunæ, in culpam fatorum te tranſcribam? Sponſi fœlices quibus vel celeriter ſucceſſit; vel qui deorum contumaciam & dolos exierunt ſubitâ morte!

Sic fortè querenti, cùm jam aliquot dies in aulâ Gobryas traxiſſet, nunciavit Eurymedes, hoſpitem Gallum ei donum afferre purpuram in Galliâ tinctam. Non recuſavit virgo munus aſpicere; hoc ipſum ad commoditatem colloquii à Gobryâ ſubornatum; & majora quàm quæ credebat Eurymedes afferri, penè jam ſentiens. Cùm ergo intraſſet Gobryas, explicuiſſetque [1] invidioſam vel Tyriis muricibus mercem, non Argenis ſatis quæ monſtrabantur cernere; non aut loqui compoſitè, aut loquentibus ſe præbere. Adeò omnes ſenſus rapuerat trepida expectatio aliquid de Poliarcho audiendi. Parum aberat quin

1 *Invidioſam vel Tyriis muricibus mercem.*] Pretioſiorem Tyria purpura, quæ optima eſt.

quin prior interrogaret ignotum. Sed Gobryas illi admotus, cùm muneri inſpectando intentiſſimos omnes vidit; voce ſubmiſſa; ut, inquit, hoc donum author precioſus faciat; miſit ille ad quem Arſidam legaviſti. Exciderant ad hoc verbum Argenidi vires; ut ex trepido ſilentio intelligeret Gobryas altiſſimè tactam eſſe. Itaque alia quædam publicè loquuta, velut muneris gratias haberet, ſecretò Gobryæ dixit. Quæſo te, hoſpes, hac veſperâ [1] domi ſies. Arceſſam te, ubi ſublapſa frequentia ſolitudinem faciet. Sub hæc Gobryas diſceſſit; & ipſa laudare impenſe inter mulieres cœpit oblati velleris nitorem; precium deinde augere, & ſic loqui Timocleæ; hoc donum ſimplicis liberalitatis credi vix poteſt. Facilè hoſpitem cenſeam Regi aliqua de cauſa ſupplicaturum; & hoc munere ſibi ſuffragium meum parare voluiſſe. Nam & oravit, ut ſe, ubi ocium eſſet, liberiori colloquio dignarer. Volo hodie hac curâ defungi; ut ſi quid impetrabile in votis eſt, operam promittam; ſin latent graviora, ne ſupplicem vanâ ſpe extraham; & non imparia ſuæ purpuræ dona remittam diſceſſuro. Haud multò poſt in hortum ſeceſſit; qui fortè Meleandro ad venationem profecto infrequens erat. Itaque ipſo viridarii ſecreto admonita, Timocleæ imperavit, unum ex corporis cuſtodibus mittere ad Gobryam, qui eum ad hortum produceret. Ille Argenidi ſibique non defuit; cui vulgaria aliqua percunctanti cùm publicè reſpondiſſet, paulatim veluti lapſo ad varia ſermone, magiſque intenſo, ſecerni à reliquis cæperunt, ſolique ambulare. Tum Gobryas; ô domina, inquit, non Siciliâ tantum & Galliâ tuâ, ſed quantumcumque in urbe regnorum eſt digna; ignoſce Regi meo quòd me priorem vides. Cauſam moræ ingratiſſima tempeſtas facit, quæ cum claſſe venientem depulit à curſu. Nos quoque ejecti in Africam fuimus; ego, inquam, & Arſi-

1 *Domi ſies.*] Pro *ſis.* Ita Plaut. Terent. paſſim.

1 *Auſter*

& Arſidas, qui pridie tempeſtatis in me inciderat. Et is quidem per Libyæ oras tuum Poliarchum veſtigat, legationem obiturus quam mandaſti: Iſthuc verò navigavi, ſive Rex jam adeſſet, acceſſurus exercitui quem maximum ducit; ſive adhuc expectaretur, tibi interim traditurus tantillam hanc claſſem. Etenim tuum nutum ſimpliciter manemus. Utere noſtro ſanguine quâ placebit. Scio te ſolam eſſe, in quâ veriſſimè Rex meus aut deſpici poſſit, aut coli.

Sic loquutus, literas Arſidæ porrigit, in quibus ferè eadem quæ ipſe memoraverat continebantur: quibus lectis; ut amor nunquam quietus eſt; quid ergo credemus (inquit Argenis) Rege veſtro eſſe factum? Si pepercisset illi tempeſtas, an credis diligentiorem alium futurum, ex quo de ejus adventu cognoſcerem? Hîc Gobryas, quamquam & ipſe non intactus eo metu, tamen multa congeſſit, quibus naufragii ſuſpicionem averteret. Nam nec, inquit, cum unâ aut alterâ navi maria ſulcat. Naves longæ, & triremes ultra quinquaginta ſunt, quæ illum comitantur. Etiamſi prætoriam navim (quod dii non ſiverint) tempeſtas ſolviſſet, aut tot nautæ, tot milites, non manus & humeros præberent, quibus chariſſimus Rex proximo navigio imponeretur? Sed nec credendum eſt, aut totam Regis claſſem obrutam undis; aut qui cladi ſuperfuiſſent non jam nobis funebria nunciaturos. Nimiò citiùs quæ obſunt, quàm quæ optamus, amat fama ignobili gaudio nobis ingerere. Ne injuſto denique metu crudeles nobis ſimus; reſpice has triremes quas duco. Iiſdem cum Rege fluctibus jactatæ ſunt. Nullam tamen ex iis tempeſtas expugnavit. Vel itaque Regem, in remotiores delatum oras exiſtimo; vel corruptis vi ventorum armamentis jacturam reparare. Neque enim ſoli navigationi, ſed & bello exercitum adornat. Intra paucos hos dies, videbis, Regina, ferventem Siciliæ oram fortiſſimis viris; qui omni ſtudio exprobrabunt hoſtibus tuis, ſi quos hîc habes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

quòd virtutem apud ſe genitam indiligentiùs coluerunt quàm nos externi. Erecta conſolatione tam magnificâ virgo, adhuc tamen de Poliarcho anxia erat. Ardebat præterea Gobryam prolixiùs percunctari tam de illis quæ ſciebat, quàm de ignotis. Dum enim de Poliarcho loqueretur, ſeria ac levia virtute amoris delectabant. Sed nec tempus ſinebat, jam veſperâ obſcurum, nec familiarium curioſitas inter ſe quærentium, quid tantum cum Gallo loqueretur. Rurſus igitur ſuam opem promittenti: Ego, inquit, quid ex re veſtri Regis ſit, maturiùs expendam. Tu cum Eurymede ſis frequens, cui ipſa commendabo amicitiam tuam. Finge autem idoneas cauſas non recedendi à littore; hiſque ego favebo apud patrem. Facilè quoque inibo rationem, quâ ſæpiùs ad colloquium meum, & ſine ſuſpicione, pervenias.

Hoc dimiſſo, cùm quæreret Timoclea, ecquid ille voluiſſet; nihil magnum, inquit, Argenis: niſi fortè nondum explicuit animum ſuum, & primo congreſſu noluit gravis eſſe. Laudavit benignitatem hoſpitii; oravitque ut ſuarum navium una, cui ſupellectilis pretioſiſſima inſunt, in hunc portum recipiatur, non iſthic plus biduo hæſura; intra quod tempus quædam tempeſtate corrupta refici poſſint. Ad hoc ſe operam meam apud Regem expetere. Sub hæc verba in cubiculum virgo regreditur; accerſitumque ad ſe Eurymedem jubet agere hoſpitis curam; quoque ſolertiùs falleret; eſt, inquit, ut illi xenia paremus, ſaltem iis quæ obtulit nec pretio nec venuſtate cedentia. Hæc dum quærimus, vide ne ad diſceſſum ſe comparet. Satis erit brevem ad moram vel dilata venatio, vel promiſſum ſpectaculum. Iterum moneo, cave, Eurymedes, ne improviſus hinc abeat. Ita inſtitutum ubi dimiſit, & quietis ſpecie nox dedit ad curas libertatem, tunc reputare exitus omnes cœpit; tunc ex re conſilium capere, fortiuſque quàm antea, & *Reginæ* more dolere. Poliarchum, ſi vivebat, eſſe venturum, jam ipſa

Gobryæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Gobryæ claſſis, jam Arſidæ literæ certiſſimâ ratione monſtrabant. Quærenda igitur remedia, quibus illi vivam quoque ſe ſervaret. Sin ille perierat, ſe demum non victuram. Sed quâ ratione, quove prætextu, Gobryæ claſſis aſſideret Siculo littori? Neceſſarium tamen hoc erat ad ea quæ cogitabat ſubſidium. Sic enim decreverat; ſi priùs rediret Archombrotus, quàm de Poliarcho quicquam certi eſſet allatum, clàm fugere ad has naves; & vel inde petere Galliam, vel coactâ Siculorum factione, abſtinere à nuptiis ad quas pater adigeret. Haud incommodè tandem ita rem commenta eſt. Primo mane ad Meleandrum ivit; & Siciliæ ſolitudinem queſta, vereri ſe dixit, ne Radirobanes, ubi Archombrotum audiſſet cum præcipuis Inſulæ viribus iſſe in Africam, rurſum raptui imminens aut ipſe veniret, aut militum in ſe partem ad improviſum bellum emitteret. Nihil ergo ſecuriùs, quàm Gallos aliquo propitio numine ad ſe advectos mercede conducere, qui littorum cuſtodiam agerent; ut ſi bellum ingrueret, peregrini jacturâ ſanguinis, Silicia defungeretur periculo. Negocium unius menſis fore; intra quem poſſint de Archombroto & Radirobane referri certiora. Et Gallos nondum (ut audiverat) ex tempeſtate ad navigationem inſtructos, non ægrè tantilli temporis moram addito precio audituros; qui præterea nec tam pauci ſunt (inquit) ut juvare non poſſint; nec eo numero, ut metui à Siculis debeant, ſi auxilium in perfidiam mutent. Cùm patrem his verbis permoviſſet, ſecretò deinde Cleobulum, & poſtea Eurymedem vocat. Urget ſuos de Radirobane metus. Gallorum præſidia oſtendit, quorum opera haud magno precio emi poſſet. Cumque illi in contrarium diſputarent; nam nec ignotis benè credi, nec viros Inſulæ deeſſe; liberiùs Argenis; ſi hoc, inquit, Siciliæ non tribuitur, at meo timori tribui volo. Regem in meam ſententiam jam perpuli. Mihi non probabitur, qui eum in aliam partem conſiliis ſuis flectet. Hæc imperioſiùs ur-

gentem, neuter auſus eſt importunâ irritare prudentiâ. Regi quoque ambitioſe authores fuerunt, præſertim cùm Argenis adeſſet, ut Gobryas ad littoris cuſtodiam invitaretur; & ille, quandoquidem ita cenſetis, inquit, tu homini colloquêris, Eurymedes. Sciſcitare an hîc moram pati poſſit. De mercede deinde viderimus. Eurymedes mandato defunctus, Gobryam non difficilem habuit; haud ignarum id commentum ab Argenide eſſe. Operam igitur ſuæ claſſis in menſem promittit, ſolâ mercedis mentione offenſus. Nam quò magis probaretur, liberale præſidium, & in amicitiæ teſſeram offerebat.

CAPUT V.

ARGUMENTUM.

Dum Arſidas in Mauritaniæ portu ſpatiatur, Regionis præfectus ad eum blandè accedit, de patria, de negotiis rogans. Ille ubi ſe Gallum; Maurus in amplexum inſilit. Stupet Arſidas ad inſperatam benignitatem in externa gente. Ad ea quæ de Poliarchi victoria narrantur, velut ad monſtra obſtupet. Interim in præfecti domum pervenitur, & menſæ accumbitur. Sed dum Arſidas poma nova ſtomacho licentius ingerit, ſubito frigore nervi laxantur. Tum Phorbas patrono, quem fato propinquum reputat, pretioſum ſacculum ſuffuratur.

IN hoc ſtatu res Siciliæ erant, dum Arſidas omnibus Africæ partibus triremem applicat, & quacunque ſe brevia terris inſinuant, ſcaphâ provectus interrogat agreſtes, ſi qua de illis littoribus viſa eſſet claſſis externa, aut ullos omnino mortales ad eos tempeſtas rejeciſſet. Jamque irrito labore defeſſus languebat, æſtum præcipuè non ferens, quem [1] Auſter inſpirabat ab arenis mediterraneis allapſus; cùm opportuniſſimè factum ut Mauritaniæ fines contingeret, ſuccederetque ad littus, in quo non grandis portus; & inde ſtadiis octo modicum oppidum incolebatur. Fortè fuit, ut tunc in portu ſpatiaretur illius regionis Præfectus, inter paucos fortitudine & prudentiâ inſi-

1 A*Uſter inſpirabat.*] Ventus meridionalis calidiſſimus. Virg. 1. Georgic.

—— Unde ſerenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus auſter.

1 *Priuſ-*

inſignis. Ille Arſidam videns, quem vultus habituſque peregrinum hominem eſſe monſtrabat, blandiſſimè acceſſit; & tam magiſtratûs ſui quàm humanitatis officio, de patriâ & negociis rogavit. Cumque Arſidas, quò multa, & varia memorandi neceſſitatem effugeret, quia Gallicâ triremi vehebatur, ſe ſimpliciter Gallum eſſe dixiſſet, ſtatim Maurus inſiluit in amplexum; &, ſatis eſt, hoſpes, audiviſſe Galliæ nomen, inquit. Omnia vobis debemus. Procede ſodes in urbem hanc; & quacunque te navigatio vocabit, primùm apud nos à jactatione ſali refectus, novis commeatibus triremem onera. Stupebat Arſidas ad inſperatæ benignitatis prodigium, in externâ gente atque incognitâ. Subire igitur terram comites jubet. Præfectoque dexterior, & ab omnibus cultus, proximi oppidi viam exorſus eſt. Veritus deinde ne procedentibus colloquiis proderetur non à Galliâ venire; videreturque humanitatis officia aliis debita, aut parata, quæſiiſſe mendacio, paucis recenſuit, eſſe quidem ſe Siculum: ſed quia Gallicis remigibus utebatur, quærebatque præterea Galliæ Regem, ſe Gallis, cùm de gente rogaretur, annumeraſſe. Nempe, ſubjicit Præfectus, illum quæris, abſque quo in ſervitutem externam omnes Mauri conceſſiſſemus? Monſtra hæc Arſidæ erant; omnium quæ illic Poliarchus geſſerat ignaro. Ergo ne aut ipſe diutiùs, aut Præfectus erraret, haud perplexè rogavit quid novi accidiſſet; quodve beneficium à Galliâ proceſſiſſet ad Mauros. Se enim vi ventorum in ultimâ Africâ propulſum, & diu jam errantem, hæc neſcire. Tum Præfectus aggerere omnia cupidè cœpit; quâ inſolentiâ Radirobanes bellum moviſſet; &, ut veluti ad condictum, diis ferentibus cum exercitu adveniſſet Rex Galliæ. Quæ deinde belli fortuna, quàm varii ſub breviſſimo tempore caſus. Sed ambitioſe morabatur in Radirobane occiſo; ut pugna acris fuiſſet; ut anceps aliquandiu fortuna; & victor haud perfunctoriè vulneratus. Aſt ubi narrandi ſerie Radirobanem Gal-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

lici Regis manu perculſum in terram deduxit; non tenuit diutiùs lætitiam Arſidas; ſed vultu ſic diffuſo ut conſtaret lætitiam non ſingi; cæſus ergo eſt Radirobanes? Ille Sardiniæ Rex? Ille nuper à Siciliâ reverſus? & quidem à Gallico Rege? cui, ne fruſtra exultem, quod nomen, mi hoſpes, eſt? Tum Maurus; geminum illi nomen eſt, inquit: quo errore & diu lapſus ſum, & vidi alios errare. Modò enim Poliarchus, modò Aſtioriſtes à ſuis appellatur. Aſſertus eſt hoc ſermone Arſidas in certiſſimi gaudii ſenſum; adeò ut & Mauros qui eum deducebant penè in eandem affectuum ſuavitatem adigeret. Non curarum meminerat, non laboris. Tantum, quaſi diis loqueretur, rogabat quæ fata, quæ ſortes, inimiciſſimos Reges compuliſſent in Africam; aut quod numen ſic ordinaviſſet, ut ſanguis Siculis odiis debitus tanquam Africanæ utilitati penderetur. Ad ſe deinde ex hac contemplatione regreſſus, quærebat quò ſe ab illâ victoriâ Poliarchus recepiſſet; at Juba (ita Maurus vocabatur) retulit adhuc vi vulnerum ægrum, jacere in Mauritaniæ regiâ urbe. Illinc omnino expedito equiti quatuor dierum viam eſſe.

Inter hos ſermones in urbem pervenerant; & Arſidæ peritos viarum expoſcenti, quibus duceretur ad Regiam (nam recruduerant venti, & timebat ne repetitâ injuriâ tempeſtas penè repertum Poliarchum eriperet) Juba negavit itineris copiam ſe facturum, [1] priuſquam exta Hoſpitali

1 *Priuſquam exta Hoſpitali Jovi ſimul proſecuiſſent.*] Ut jus firmarent hoſpitii, ſimul exta comederunt. Ovid. 12. Metam.

Cujus ut impoſuit proſecta calentibus aris,
Et Diis acceptus penetravit in æthera nidor,
Sacra tulere ſuam, pars eſt data cætera menſis.
Diſcubuere thoris proceres, &c.

Immolante Rege Vejentium vocem Aruſpicis dicentis, qui ejus hoſtiæ exta proſecuiſſet, ei victoriam dari, exauditam. Titi Livii lib. 5. *Proſecta* dicebantur minutæ particulæ, quòd exta cocta ſolebant proſecari, quorum partem adolebant, partem conſecrabant dabantque ſacerdotibus, partem ſibi apponebant. Tranquil. in Auguſto, *ſemicruda exta rapta foco proſecuit.* Et Lucan.

— Si pectora pleno
Sæpe dedi, lavi calido proſecta cerebro.

Et Ovid.

Inde ubi libavit proſecta ſub æthera ponit

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſpitali Jovi ſacrata ſimul proſecuiſſent. Æſtus erat; & in horti umbraculis deductus Arſidas ſuper appoſitos thoros epulas expectabat; gratiſſimis Jubæ ſermonibus, de bello, & Poliarchi victoriâ, moram ſubinde fallentibus; cùm tandem opulento convivio menſæ convivas ad ſe convertunt. Et ſubitum luxum miratus Arſidas, nihil tamen altiori intentione ſpectabat, quàm [1] inter promulſidaria eſſe varii generis poma ita glacie circumvenienti inſerta, ut aliorum pars emineret extra hoc frigus, alia prorſus condita tamen ſub lucentis aquæ cruſtâ nativo colore cernerentur. Quid potiſſimùm crederet ambigebat, novitate illâ concuſſus. Certè enim hæc poma recentia erant; rurſuſque ſub illorum menſium ſyderibus aqua frigore non coibat. Tum ne fictâ imagine luderetur, primùm manum glaciei admovet; quæ ut juſto rigore digitos uſſit; ut non poſſet dubitari quin aqua hæc eſſet; & veriſſimo quidem gelu concreta; mox & poma dentibus tentat; & hæc quoque nativo ſapore mitia erant; niſi quòd ad nimium algorem obſtupeſcebat guſtus. Delectatus admiratione hoſpitis Juba, invitabat ad cibos admiratione nimiâ cunctantem. Sed Arſidas cum riſu quæſivit, [2] quâ ille ex Scythiâ cum Africæ arboribus miſtâ hanc guſtationem prompſiſſet: Tum Juba; ut magis mireris, inquit, cùm in hortum intraſti, hæc poma adhuc ex arboribus pendebant, & quæ modò eſt glacies ex fontibus unda manabat. Geminato ſtupore Arſidas hæſit, exquiſiitque ab Jubâ, quo carmine, quove in antro, tam ſubitò natura ſe mutaret. Et ille, Nova eſt, inquit, apud nos hæc ratio revocandi arte hyemem ſub medio ſole; quam exequar poſtquam

De hoſpitali Jove, vide lib. 3. cap. 7. Virgil.

Juppiter hoſpitibus, nam te dare jura loquuntur.

1 *Inter promulſidaria.*] Vaſa, quibus promulſis continetur: eſt autem promulſis genus cibi dulcioris mulſo conditum, quod ante mulſum & cœnam proponebatur.

2 *Quâ ille ex Scythia.*] Mirum Arſidæ videbatur, quod tanta glacies, quæ in Scythia frigidiſſima regione communis eſt, reperiretur in Africa, quæ ſita eſt ſub zona torrida.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

quam mulſum guſtaveris. [1] Aderat puer Ægyptius cum mulſo, quod in calice præferebat & ipſo ex glacie facto: quo exhauſto cùm in terram à puero collideretur, doleretque Arſidas fragile quidem, ſed in æſtatem pretioſum vas perire; noli indignari, (inquit Juba) in ſingulas potiones uſus ejuſmodi ſcyphorum eſt. Iteratò eundem in menſa conſpici vile eſſet. Nihil ampliùs guſtabat Arſidas, avidus cognoſcendi quâ arte ad naturæ veritatem ſic perveniretur; cùm allata ſunt variarum formarum ex ære prototypa. Orbium, poculorum, paropſidum, omnis denique convivalis inſtrumenti ſpecies erant. Tum Juba; hæc ſunt clauſtra, quæ aquis infuſis glaciem concipiunt. Quippe unumquodque operculo ſuo ſic tegitur, ut oræ invicem cohæreant, exceptâ foraminis anguſtiâ, per quam aqua liquitur in interiora; quo modo ex ſtanno vel plumbo fuſilis ſupellex conflatur. Alveolo deinde ligneo illa deponimus, cujus fundum ſale primùm nigro illo, parumque contuſo, & mox nive, contegitur; quæ nobis ſemper ad manum eſt, fulta ſtraminibus, & in umbrâ antrorum toto anno inviolata. Supra ipſa deinde prototypa, in alveolum ſic demiſſa, pari modo nix quoque aliquoties cumulatur, ſale toties interjecto. Ita hæc aqua illo in ære ad glaciem præparata, accipit undique circumjectæ nivis frigus; quam ſal acri miſturâ vetat liqueſcere; in locis præcipuè umbroſis, qualia vini aut olei apothecis effodimus. Trium circiter horarum ſpatio coit aqua, & ſi quæ poma inſeruimus, qualia nunc miraris, hærent ſepta in glacie. Æſtu deinde languentibus grata eſt hæc vis nimii frigoris; quam & ipſa novitas commendat. Nuper enim neſcio cujus non inepta luxuries, hoc ſolatium invenit.

Oblectatus narratione Arſidas, licentiùs marcenti ſtomacho ingerebat hæc poma, quibus corrupta frigore aqua rigo-

1 *Aderat puer Ægyptius.*] Ita Petronius: *Tandem ergo diſcubuimus, pueris Alexandrinis aquam nivatam in manus infundentibus, iterum circumferebat puer Ægyptius clibano argenteo panem.*

1 *Calidæ*

rigorem inſinuaverat; ſimul avidè novis ſemper ex glacie calicibus bibebat, ſummo frigore ſitim, ut ſolet, acuente. quamquam interdum Juba monebat, periculoſam intemperiem eſſe, niſi parcè utentibus. Sed cùm de prandio ſurrexiſſent, & Arſidas [1] calidæ uſum multo joco traduceret, paulatim omnes nervos receptæ hyemis malignitate ita laxari ſenſit, ut egeſtas hinc inde epulas penè anima ſequeretur. Juba non miſericordiâ tantùm motus; ſed & metu, ne huic ſponte mortem crederetur propinaſſe, nulli ſedulitati parcebat: ſolari Arſidam, medicoſque urgere; & nunc ſuos, nunc illius miniſtros verbis convenientibus affari. Ut verò in deterius fama attollitur, Arſidam fato propinquum haud tardè vulgatum eſt. Dum trepidant comites, ſervulique; quidam illius mercenarius [2] ex Eubœorum coloniâ, qui in Oſcis Neapolim condiderant, tempus locumque furto nactus, haud modicam prædam egit. Sacculus erat ex carbaſo quem ſub veſte reconditum idoneâ curâ Arſidas ſervabat. Illic pretioſum aliquid ineſſe Græculus diu antè conjecerat. Dumque veſtes laxantur ægrotanti, & ſui ignaro, ipſe familiaris officii ſimulatione acceſſit, detraxitque non ſentienti ſarcinam, & cæteris pietate & metu occupatis, ſeſe domo proripuit.

CAPUT

1 *Calidæ uſum.*] In hoc uſu Romanæ fuere quondam deliciæ, unde Tiberius Cl. Nero, dictus eſt per jocum, Biberius Caldius Mero. In Teſmophoriis & hanc libabant aquam. Juvenal. Sat 5.

Quando vocatus adeſt gelidæ calidæque miniſter

Et Martial. lib. 14.

Frigida non deerit, non deerit calda petenti.

Ubi repete decoctam illam, Neronis delicias. *Huic* (ait Sueton. in Nerone) *cum clandeſtinus ad villam introitus pararetur, aquam ex ſubjecta lacuna potaturus manu hauſit, & hæc eſt, inquit, Neronis decocta.*

2 *Ex Eubœorum coloniâ.*] Cumani conditores Neapolis, quæ quondam Parthenope dicta eſt: hanc cum demoliti eſſent, ut remetirentur in patriam, peſte ingraveſcente ad eam inſtaurandam urbem compulſi ſunt, quæ ex illa Neapolis, hoc eſt urbs nova appellatur.

CAPUT VI.

ARGUMENTUM.

Vbi ſentit Arſidas ſubreptum ſibi chariſſimum pignus, interminatus domeſticis, ſtrato exilit. Phorbas pavore perculſus, reconditas in ſacculo Argenidis litteras Poliarcho reddit, Arſidæque diſcrimen prætexens magno ære donatus eludit.

UBI autem primo impetu mali ſedato, Arſidas loqui potuit, à Medicis quæſivit, quid de periculo ſuo, quid de itinere ſentirent. Medici proſpera eſſe ſigna ad valetudinem reſpondent: ſed ventriculum & cæteros nervos, qui intemperie frigoris afflicti, febrim toti ſanguini aſperſerant, aliquâ quiete recomponendos eſſe. Optimè actum iri, ſi non ultra quatriduum morbus profectionem differret. Ille cum diis queſtus tali in tempore moram offerri, ad Jubam convertitur. Et literas, inquit, quas ad Regem Poliarchum habeo, nefas eſſet hîc ſiſti meo caſu. Si dabis qui viæ duces ſint, has ſtatim per unum ex meis tranſmittam ad Regiam. Hîc deinde acquieſcam patientiùs, donec ire per morbum licebit. Laudavit Juba conſilium; addiditque; præſtò eſſe qui quemcunque Arſidas deſtinaſſet, ad Regiam comitarentur. Tum Arſidas faſciculum quærere, cui erant literæ Argenidis commſſæ. Prorſus is erat qui domeſticâ mercenarii fraude perierat; quem ut à veſte divulſum obſtupuit, & vidiſſe omnes negarunt, ſtatim vires furioſa indignatio ſuffecit. Prohibentibus medicis exiliit de lecto, interminatuſque eſt domeſticis ſuis mortem, ni properè redderetur chariſſimum pignus. Urgebat inſanus quæſtionem, deoſque appellabat & homines; nec ſine ſuſpicione circumſpiciebat in Mauros, qui primùm ægrotanti adfuerant. Spoliatam deinde intuens veſtem, nunc ora dilanians; quærebat quis familiarium propiùs ægrotantem acceſſiſſet. Sed omnes adfuerant, & tali in ſtatu in pietate poſuerant tangere collabentem. Tum demum eadem

dem doloris acerbitas, quæ languentis robur intenderat, conſumptis viribus, pejùs invalidum dejecit. Ægrè ſuffitu, & violentis odoribus reddita vox eſt: quâ ut primùm uti licuit; ſi me, inquit, fortuna deſtituit, morbo, & furum audaciâ violatum; at non ego me deſeram, non Principes meos. Date ceram & ſtylum. Hodie ad Regem ſcribam. Intra biduum, etiam vitæ periculo, utcunque lecticâ viam exordiar. Protinus Phorbantem vocate: hunc volo cum meis hodie literis proficiſci. O fortuna! Is ipſe [1] Phorbas erat, qui cum furto aufugerat. Ergo & in navi, & per urbem miſſi qui quærerent, tandem renunciant, fruſtra operam à ſe conſumptam. Statim Arſidæ ſuſpicio ſceleris incidit: quam tamen diſſimulans, ad forum, ad portum, redire præcepit, qui non profuturâ diligentiâ abſentem veſtigarent. Nec ſegniùs advocat Jubam; ſubmotiſque cæteris; fallor, inquit, aut perfidia mercenarii mei hanc ægritudinem mihi facit. Cur enim lateret, præſertim me ægro, & vitæ ambiguo; niſi prædam ſcelere nactus, non me tantùm, ſed & Africam fugeret? Si amatis Poliarchum, vindicate injuriam quam latro huic intulit. Dimitte ad proximos portus, qui nuncient ne ullus temerè peregrinus in navibus recipiatur. Sed quàm occultiſſimè poteſt procuranda hæc quæſtio; ne ſi reſciſcat exploratores in littore eſſe, aliâ fraude noſtram ſolertiam eludat. Ego apud meos hodie diſſimulabo me quicquam duriùs de eo ſuſpicari; ut fallamus flagitii conſortes, ſi quos fortè apud nos reliquit. Juba rem curæ ſibi fore aſſeruit; ſtatimque per homines fidos vicinorum portuum magiſtratibus quæ videbantur ſcripſit.

Sed hæc Phorbas antè conjecerat, meriti ſui conſcientiâ acuente metuendi ſolertiam. Is perpetrato ſcelere adhuc ignarus quid eſſet in furto; latebras ad recognoſcendam prædam, quæſivit; ſcilicet ſi nihil inveniret perfidiâ & peri-

1 *Phorbas.*] Alludit ad vernaculum nomen, *Fourbe*, de quodam Phorbante agit. Ovid. lib. 11. & Virg. lib. 5.

& periculo dignum, omnia ad Arſidam relaturus, quaſi hæc ægro, nec ſentienti, ad tutiorem detraxiſſet cuſtodiam. Ecce autem exſolutus faſciculus catenulam primùm dedit ex gemmis, quæ nexili auro ligatæ, per æqualia ſpatia tumebant; tres deinde annulos cum grandibus gemmis, modico lino diviſos, ne attritu venuſtas artificii periret. Pauci in fundo reſederant nummi ex auro; quæ omnia Arſidas, ad incerta fortunæ, corpori ſuo applicita ſervabat. Præter hæc, tabellæ inerant, longè Arſidæ pretioſiores reliquo cenſu, illæ quæ itineri dederant cauſam, ab Argenide ad Poliarchum. Phorbas omnibus diligenter inſpectis, ſuæ quidem audaciæ gratulabatur gemmas & aurum. Sed hæ eum litteræ turbabant. Ad Poliarchum videbat eſſe miſſas. Unde tamen, aut à quo, non noverat; & verebatur, ne plus illæ turbarum, plus in eum exploratorum cierent, quàm aurum aut gemmæ. Ire ad portus non placebat, vix dubius hos in ſe obſideri. Interiora Africæ, nec fidem in hominibus promittebant, nec exitum, quod quærebat, habebant in Europam. Tandem ſceleris & neceſſitatis ingenium, ad novi facinoris pericula incertum coëgit. Iret ultrò ad regiam; Poliarcho eas literas daret, & in ipſo ſcelere, præmia ſummæ fidei ambiret. Poſtquam igitur fallendi rationem, omnemque mendacii contextum polivit, in proximum oppidum profectus, illicque percunctatus quæ via ad regiam duceret, celerrima ſibi & illi quem viæ ducem aſſumpſerat jumenta conquiſiit. tertio die, urbem ex montis cacumine inſpexit: tum equo, & ductore dimiſſo, ipſe ſolus pervenit ad cuſtodes, vultuque pallenti (quippe quem excompoſitò exterminaverat curſu) ſe ad Regem Poliarchum feſtinare, ambitioſe iteravit. Illico deductus ad arcem eſt. Et tunc quidem minùs vacabat Poliarcho, poſt longam fortè inſomniam acquieſcenti. Sed Phorbas ad Gelanorum deductus, cum ſupercilio monſtrabat, ſe magna, & quorum procuratio celeritate conſtabat, nunciaturum

turum

turum adveniſſe. Quis eſſet dicere juſſus; Regi, inquit, meliùs dixero. A Siciliâ ad eum advenio. Literas fero; & heu vereor ne hac ipſa mora quam facitis, corrumpatur negocium, cui delectus, penè in curſu ſpiritum amiſi.

Siciliæ nomen audiſſe; illinc quoque afferri literas, & nuncium aliquid ingens trepidatione præferre, viſæ ſunt Gelanoro cauſæ idoneæ dormientem Poliarchum compellandi. Sedatior tamen acceſſit ad ſtragula; ne terrorem à ſomno excitatis, & adhuc ſui incertis, periculoſum, primæ Regis vigiliæ infunderet. Tuſſi igitur, & modico veſtigiorum ſtrepitu pulſatum, ita affatus eſt. Adſunt, Rex, à Siciliâ literæ; & nuncius neſcio quid feſtinat. Nihil cunctatus Poliarchus reſedit in lectulo, & nuncium adduci præcepit. Intrat ergo immani fiduciâ cubiculum Phorbas quod ſecundum deos potiſſimùm timere debuerat; ornatamque fabulam, non plùs verbis quàm geſtu & fronte, in hunc modum exorſus eſt. Ego, inquit, ex Arſidæ amicis ſum, ô Rex. Is ad te Siciliâ proficiſcens, inde ſecum me abvexit. Cùm te diu quæſiiſſet, tandem ad victoriæ tuæ famam curſum huc tenuit. Nec jam procul eramus littoribus, cùm noſtrum navigium peiratæ tribus lembis circumſiſtunt. Arma pauci habebamus; placuitque compluribus ante pugnam deditio. Ita proditus Arſidas cum familiâ & ſarcinis in eorum poteſtatem conceſſit. Sed cùm direptis omnibus, novæ prædæ ſtudio flagrarent, princeps eorum ſtrictam in Arſidæ ora ſicam intentans; video, inquit, ex cultu & ſupellectili te hominem magnarum opum eſſe. Itaque nihi præter hæc quæ cepimus tria talenta præſentia numeras, ego ex his catenis (nam illi catenas jam dederant) jugulo ſoluto in mare te provolvam. Et Arſidas; unde mihi præſentia hæc talenta, cui nec libertatem reliquiſtis? Imò, ſubjicit prædo, cùm de tuâ navigatione percunctarer, te ad Mauritaniæ Regiam ire profeſſus es. Certè non te oportet illic eſſe ignotum. Quemcunque tuorum volueris, eâ lege

vincu-

vinculis eximam, ut niſi intra hoc triduum ſit in iſto littore cum penſione quam poſcimus, certiſſimè pereas. Nec fraudem mediteris; aut in nos vindices provoca. In ſtatione ſumus unde liber proſpectus eſt. Non mari, non terrâ, inſidias locus capit. Si is quem miſeris præter ſe ullum adduxerit, capite lues. quin ſi interim naves in nos fortuna propulerit, fortunæ pœnas dabis. Cùm ſic impiâ & barbarâ voce dixiſſet, dejectus Arſidas ſemel atque iterum nos omnes intuitus, tandem me propiùs juſſit accedere; & vide, inquit, mi Phorba, quantum fidei tuæ credam. Ex diligentiâ tuâ nunc pendeo. Vade ad Regem Poliarchum: quo loco ſint meæ fortunæ ſignifica. Non ille talentis tribus parcet in re meâ capitali. Et ne ambigere poſſit, quin vera pericula nuncies, has literas accipe. (ſimulque de intimo ſinu extraxit.) Scriptæ ad illum ſunt. Quis ſcripſerit tuâ ſcire non intereſt. Ferendas tibi trado, non tantùm ut pignus ſint fidei tuæ; ſed magis ne pereant, ſi me iſti peiratæ immerentem conficient. Ita dimiſſus, ad te, Rex, altero ad meridiem die pervenio; tantundem ad reditum ſupereſt, ſi vis Arſidam vivum aſpicere.

Inter hæc dicta, literas Argenidis Poliarcho tradiderat, quaſi miſſas ab Arſidâ; quas integro lino ſinceras ut tentavit; ſimulque ſolitum Argenidis ad ſe ſignum conſpexit in cerâ, læto horrore infremuit. Simul tamen in periculo Arſidæ commotus, dum ſolvit epiſtolam, O quicunque mortalis es, inquit, cui Arſidæ fata commiſſa ſunt; ſi ſtrenuus eris, & eum mihi reddes, crede non te talenta prædonibus tria, ſed tibi ipſi ingentes divitias portare. Adeò memorem beneficii me dices. Tu Gelanore, propera huic aurum quantum ſatis eſt dare. Jam promptum eſſe oportuit. Vade, ne difficiliores ex morâ prædones ſint. Sed ô, an incolumi Arſidâ in hos poſſe iri exiſtimas; & nefarios de ſuis lembis ad cruces deferri? Abominatus Phorbas meritum crucis omen, manum utramque vehementer

menter intendit, ſtrictiſque oculis, Cave, inquit, cave ô Rex, in hanc mentem te dederis. Lembi prædonibus veloces ſunt. Inſederunt plagam apertam. Truncum mehercule Arſidam vobis diſpergerent, fugaque inultâ deſpicerent infœlices inſidias.

Jam Poliarchus ſolutas tabellas legebat. Vera erat Argenidis manus. Sed omnino lamentabilis oratio. Facinus, vindictamque videbat Seleniſſæ; ſimulque Radirobanis impiam mentem, qui nefas non habuerat pudiciſſimæ virgini probra ingerere. Sed hunc quoque jam non vivere; & quidem à ſe victum, ſolatio erat. At quid in Archombrotum remedii, urgente hymenæum Meleandro, & bimeſtri ſalute vix donatâ Argenidi? Cùm deinde [1] in ultimam ceram oculos flexit, ubi ſolet dies exaratæ epiſtolæ aſcribi; jam tempus quo aut ipſum redire, aut mori Argenidem oportuerat, effluxiſſe intellexit. Nunc igitur ſe damnare, nunc iraſci tempeſtati, nunc Africam devovere; in quâ ſervandâ putabat ſe periſſe. Sed omnia in Archombrotum vota, omnia odia recidebant. Ego me, inquit, ego ad tuam perniciem me ſervabo, atrociſſime æmulorum. Sequar fatum Argenidis, ſed perfunctus tuæ mortis ſolatio. Defuncti quoque pugnabimus. Pacem nec experiar nec concedam. Dum ejuſmodi æſtu pectus concutitur, cœpit invitus dubitare, an Argenidi fides ad promiſſæ mortis conſtantiam duraſſet. Quàm enim naturale, ut vitam amemus? quàm grata vis quæ ſicam in noſtra viſcera euntem moratur? Denique Poliarche (cogitabat) finge oblatas nuptias, finge durum illi patrem, & deſtinatam illuxiſſe miſeriis tuis diem; an velles hanc periſſe?

Tanto turbine multò ægriùs quàm vulneribus afflictus, acciri Phorbantem jubet; cui aurum interim numerabatur; increpatque navigationem lentiſſimam, quòd ſecundum

1 *In ultimam ceram.*] In finem Epiſtolæ. Sueton. in teſtamento Jul. Cæſaris, *reliquos in ima cera hæredes inſtituit.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

dum poſt menſem, demum Arſidas adeſſet. At ille errores cum fide memoravit; ut [1] Cumis neceſſaria mora fuiſſet, ut in Gobryam incidiſſent, ut ab Italia venti impegiſſent claſſem in Africam. Lætus, quà eſſe tunc licebat, Poliarchus de Gobryâ audivit; & quid illo factum eſſet percunctatus eſt: neſcio, inquit Phorbas; niſi quòd ſubaudiebam illum in Siciliam navigare. Aliquid ſpei miſerrimo amatori ſubjecerunt hæc verba. Sed Phorbas; perdimus Arſidam, ô Rex, tam lentâ cunctatione. Patiaris graſſatoribus hunc eripi, multò tibi certiora quàm quæ poſſim memoraturum. Pietatem mercenarii collaudavit Poliarchus; quartumque addi talentum præcepit; forſitan quippe fore ex uſu, abſolutis latronibus non inanem Arſidam eſſe. Equum præterea notiſſimæ celeritatis attribuit; in quem Phorbas inſcendens Mauritaniam prætergredi feſtinavit, & ſe remotis littoribus cum prædâ ſubducere.

CAPUT VII.

ARGUMENTUM.

Vix interjecto biduo Arſidæ in regiam accedenti Poliarchus totum Phorbantis mimum non ſine mutuo ſtupore exponit.

AT verò Poliarchus, quamquam ex vulneribus vixdum ingredi valens, non differendum in Siciliam iter eſſe conſtituit. Acquieſcere enim in navi ſe poſſe; & neceſſaria ad curationem accipere. Id quidem Gelanoro non placebat; ſed nec fruſtra repugnare ſuſtinuit. Erat tamen Arſidas expectandus, quem in tertium diem Phorbas promiſerat. Ergo præcipiti domino, & parari diſceſſum jubenti, diligenter parebat Gelanorus. Rectores triremium, claſſiarios atque nautas ad officia vocabant. commeatus portabantur. ſolumque profectioni ſatis inſtructæ ſignum

1 *Cumis neceſſaria.*] Cumæ civitas eſt Campaniæ ad mare juxta Puteolos, à Cumæis Aſiæ populis & Chalcidenſibus extructa.

ſignum jam deerat. Nec poterat inhibere Hyanisbe feſtinationem hoſpitis adhuc cruda vulnera miſſuri in diſcrimen; quæ tam ſubita conſilia eſſent, aut quid illi contigiſſet turbulentâ profectione dignum, nec apud ſe conjiciens, & verita nimis anxiâ & indecenti curâ exquirere. Is per ægritudinem animi excuſſa quiete, nunc Argenidi timens, nunc in Archombrotum odio æſtuans, eâ nocte adhuc imbecillem valetudinem turbavit. Supprimere tamen morbum tentabat valentibus verbis, ne ſuorum conſenſu vetaretur per immaturæ navigationis pericula vitæ ſuæ illudere.

Cæterùm vix biduum à Phorbantis diſceſſu proceſſerat, cùm Gelanoro regium cubiculum fortè egreſſo Arſidas occurrit, adhuc quidem ex morbo, ſed multò plus indignatione & mœſticiâ mutatus. Scilicet celeriùs quàm expectaverant medici receptis viribus, poſtridie quàm in eum Phorbas peccavit auſus eſt ſe in lecticam conjicere. Reliquis diebus non dubitavit equo vehi, amiſſarum literarum dolore, non ſe, non iter, laboremve reſpiciens. Quò prædonem perſequeretur? quibus verbis ſe excuſaret Poliarcho? aut quâ fronte rediret ad dominam? Ita anxius regiam intravit; & quà Poliarchus habitabat deductus eſt. Gelanorus inſperatò conſpectum lætiſſimo vultu excipiens, nolo, inquit, alius Regi nunciet te veniſſe. Ibo, & illum hoc gaudio implebo. Sed Arſidas Gelanoro fortunam excuſaturus; mane, ait, Gelanore. Eſt quòd priùs meæ cladis acerbitatem intelligas. Ille ratus de captivitate, prædonumque avaritiâ, qualem Phorbas narraverat, eum queri: Scimus hæc omnia, inquit, & præterea mox commodiùs dixeris Regi. Inter hæc verba Arſidæ elapſus eſt, præcipitatione gaudii nihil moratus revocantem. Obſtupuit Poliarchus, Phorbantis diligentiam æſtimans, qui tam ſtrenuè Arſidam exemiſſet prædonibus; juſſumque accedere, & ſibi tunc primùm ut Regi loquuturum amplexu occupans, non eſt paſſus vene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

rabundum procumbere. Sed hîc diu uterque erravit, dum Poliarchus quæ Phorbas de latronibus finxerat, pergit loqui; & ille de ipſo Phorbantis facinore Poliarchum dicere putat; miratus quæ tam propera fama hanc jacturam literarum ad eum detuliſſet. Dii benè, ô Arſida (inquit Rex) quòd te poſt tempeſtates, poſt latrociniorum mala, habemus incolumem. Tua clades, ex quo eam accepi, mihi plùs doluit quàm forſitan tibi. Tum Arſidas; & hoc in ea maximè acerbum mihi, Rex, fuit, quòd te ſcirem graviſſimè illam laturum. Sed ignoſce tuo Arſidæ. Infœlicitate meâ, non ſcelere læſus es. Nec ſubirem tuos vultus, aut auderem experiri quid de me tua ira decretura ſit, niſi ſcirem quàm ſapienter intelligas non in cujuſque poteſtate domeſticorum mentes eſſe, aut fortunæ injurias. Tum Poliarchus: Quæ autem irarum hæc in te cauſa, mi Arſida? An quòd maris pericula me propter ſubiiſti? quòd te peiratæ, quòd tempeſtas diripuit? Ubi verò noſter Phorbas? in quo ornando teſtari me decet quàm ſis mihi eximius. Illudi ſe à Poliarcho Arſidas credens: Utinam verò adeſſet ille Phorbas! Innocentiam meam ſuâ pœnâ aſſereret. Sed unde tibi (ô Rex) Phorbantis hoc nomen? Quia, inquit Poliarchus, obliviſci non poſſum hominis tantâ fide tuas res meaſque accurantis. Utinam hunc vidiſſes, Arſida, nullas moras apud me ferentem, ne noxiæ tibi eſſent. Dum reſpirat, dum aurum numeratur, dum mihi flagitanti tuos caſus in compendium confert: inquietudine animi ſuſpenſus, jam viam ad te omni voto geſtuque videbatur præcipere. Quonam autem evaſere peiratæ? Credis ſi in eos naves dimittam, poſſe eorum curſum intercipi? Quos verò mihi peiratas, ſubjicit Arſidas, aut quam Phorbantis fidem memoras? Quem ſi ego; quem ſi tu. O Numina! ut libenter in diem non differrem quod debeo! Illum Phorbantem dico, inquit Rex, per quem nuperrimè iſtas Dominæ meæ literas captivus miſiſti. Quid autem nunc videris fidiſſimum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

amicorum ignorare? Arſidas iis literis viſis, turbatiſſimo affectu, necdum ad lætitiam apto, expalluit; diuque hoc ſolùm repetiit, Literas habes? & à Phorbante habes? Quæ hæc monſtra, quæve inſomnia, ô Rex? Tum recepto ſpiritu; propè, inquit, illi ignoſco, qui in totum voluit me perire. Sed ubi is eſt? Hominem non vidi, retulit Poliarchus, ex quo quatuor à me talenta prædonibus ferenda accepit, qui te tenebant. Tum Arſidas. Imò nemo captivum me habuit. O ſolertiſſimum caput! ô [1] Autolyci parem! Ergo perfidiæ laudem & præmia invenit? & poſt me expilatum, non te etiam fruſtra tentavit? Ordine deinde cuncta recenſuit; ut ipſe apud Jubam ægrotaſſet, ut ſpoliatus à Phorbante veniret excuſatum quòd literæ Argenidis periiſſent. Huic contrà retulit Poliarchus non ſine mutuo riſu, tragœdiæ ordinem qualem Phorbas intulerat: cui ſaltem, inquit, ignoſco, quòd hanc epiſtolam tot talentis permutavit.

Sed negotii moles, quod tunc maximè vertebatur, non eſt paſſa ſermonem utriuſque in Phorbantis facinore diutiùs verſari. Itaque ſemotum Arſidam cùm de Argenidis valetudine Poliarchus rogaſſet: An tu exiſtimas, inquit, adhuc vivere miſerrimam virginem, & quam invitus miſeram facio? Quid auxilii, quid conſilii habes? quo ſatis interitu Archombrotus peribit? Solverem ab Africâ vel hodie, Arſida. Sed hac nocte recruduerunt vulnera; ut non poſſim maritimam jactationem ferre. Interim dum vires recipio, validiſſimam meorum militum partem tibi & Gelanoro tradam. Conſuletis Dominæ veſtræ; ſi modò fortuna expectavit auxilium. Strenuè ego adero; & vel morte vel victoriâ quietem inveniam. Referebat Arſidas

1 *Autolyci parem.*] Hic filius Mercurii & Chiones Ducalionis filiæ. Avus Sinonis qui Trojam prodidit; ſolebat non modo ſe, ſed etiam furta in varias formas tranſmutare. De hoc Homer. Plaut. Ovid. Metamorph. 2.

Naſcitur Autolycus furtum ingenioſus ad omne.

Alter fuit Parnaſſi incola, qui furto vicinorum bona ſurripiebat. Strabonius l. 9. fuit ille comes Jaſonis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſidas tam quæ Argenis abeunti mandaverat; quàm quæ omnino à diſceſſu Poliarchi contigerant: maximè loquebatur de inſtitutis à Radirobane ludis, quorum fraude captivitas parabatur Argenidi. Neque parvam in his ſermonibus partem habebat Seleniſſa; ut peccaſſet, utque in ſe ſtatuiſſet [1] ultimas pœnas: tum Archombroti gratia apud Regem, & in virgine ambiendâ blanditiæ. Tertius colloquendo aderat Gelanorus. Nam hunc omnis arbitrum vitæ nihil ſuarum rerum Poliarchus ſinebat ignorare.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM.

Dum Poliarchus & Arſidas ſua & Siciliæ fata diſponunt, Micipſa miſſus ab Hyanisbe, Poliarcho nuntiat Hyempſalem filium patrio littori applicuiſſe: hunc nil prævorſurum officio ad Poliarchum veniendi. Sed ingreſſa thalamum Regina, filium manu tenens velut ad monſtrum repente cohorret.

DUM igitur illi ſua, & Siciliæ fata diſponunt, præcipuumque omnium Archombroti exitium habent; Micipſa ab Hyanisbe miſſus ad Poliarchum venit; nunciatque Reginæ filium patrio tandem littori claſſem applicuiſſe. Huic, ubi in Regiam aſcenderit, nihil prævorſurum officio ad Poliarchum veniendi. Simul exultantium tumultus cœpere in regia audiri. Populus pars veſtibulum implebat, pars ad portum ferebatur. Coibant Optimates ad Reginam, ambiebantque mitti ad Principem. Etenim Archombrotus lembo præmiſſo qui eum adventare ſignificaret, mox ſtrenuè ſequutus jam erat in littore. Naves eum comitatæ hæ ad portum, qui oſtio fluminis dexter erat, ſtatutæ ſunt, hæ per adverſum flumen ventis ac remis agebantur; militibus qui ſe ad bellum venire crediderant, interdum querentibus quod nemo obſtaret. Ipſe Archombrotus, ut primùm in arenam exiluit, deos patrios,

1 *Ultimas pœnas.*] Mortem.

patrios, telluremque, & auras quas naſcens traxerat veneratus, circùm deinde oculos tulit in populum, plauſuque & acclamatione ferventibus prolixè reſpondit vultu hilari, & facilitate oris nihil deſtruente majeſtatem. Ad præcipuos inde converſus, [1] excipiebat oſcula dextræ data, recognoſcebatque antiquas neceſſitudines; & verba utique tempore & ſerie ambientium paſſim arctata, ut plurimùm eadem diſpenſabat in varios. Diu in eodem veſtigio hæſit, numero ſalutantium urgente. Toto deinde itinere proximos, de Reginâ, de patriæ rebus, & Radirobanis injuriis rogabat. Strictim omnia referebantur, ſed à variis, nec quid unum narrantibus. Hoc unum ingerebatur, defunctam periculo Africam; Gallos fuiſſe præſidio; Radirobanem occubuiſſe.

At verò Hyanisbe alios priùs ſe filio frui impatiens, quamquam & mater & Regina, omiſit majeſtatem, exceſſitque cubiculo, & prætextu videndi quàm alacer circum filium populus eſſet, quamque ipſe inſignes (ita enim referebatur) milites duceſque haberet, ad atrium proceſſit, indeque quà ſe primæ palatii fores demittebant in oppidum. Et hanc procul conſpicatus Archombrotus deſcendit ex equo, majoribuſque veſtigiis, & alacritatis genio citatis, medium iter confecit. Ac ut primùm pervenit ad matrem, ſtolamque extremam oſculis ſtrinxit, flens illa gaudio non diſtulit coram populo blanditias quæ ſecretò debebantur. Tum illius dexteram tenens, Laudo pietatem, ô fili, quòd tanto apparatu ad tuendam parentem veniſti. Sed ne ſolus ſis cui maternum affectum debeam, Rex Galliæ effecit; cujus victoriâ ſumus incolumes. Ille à Mauritaniâ tuâ exitium depulit; ille matrem tibi ſervavit, quæ nunc in Sardiniâ ſerviret: ipſe tyrannus malè tenta-

1 *Excipiebat oſcula dextra data.*] Plutarch. in Cæſare Popilium Lænatem inducit petenti ſenatum Cæſari ipſo die ſuæ necis dextram oſculantem. Et prætextatus apud Macrobium dominos inculpat, qui ſpe lucelli ſervorum manus oſculo premerent; hoc ſigno ſignificat alicui ſe fidei credere alienoque dominio, qui mos hactenus invaluit etiam in abſentes per litteras.

tentatam Africam ſanguine perfudit. Omitto illi Regi adhuc aliquid ampliùs nos debere; quod & ipſe, & præter me omnes ignorant. Veni, fili, neque antè diis patriis luſtrari propera, quàm illum ſalutaveris adhuc ex vulneribus jacentem, quæ hoc ſceptrum tibi aſſeruerunt. Archombrotus tot beneficiorum magnitudine perculſus, ſubitâ Gallici Regis charitate flagrabat; ſæpè tamen excuſans quòd externis Principibus lentior fuiſſet in parentis patriæque diſcrimine.

Jamque ad Poliarchum præmiſſi, nunciaverant ſi ipſi vacaret, Reginam cum filio adfuturam. Is, niſi morbo prohiberetur, ſe occupaturum officium reſpondet. Simul ex Optimatum ſuorum præcipuis duos ad Reginam & filium legat. Avidiſſimè expectabat Principem videre, quem Maurorum vocibus, & ipſius Hyanisbes confeſſione, in rariſſimis eſſe acceperat. Sed Hyempſalem appellabant; vero ſcilicet nomine, paſſimque uſitato. Clàm enim Archombroti nomen aſſumpſerat, diſſimulando generi, cùm ſecretus, cultuque privato in Siciliam iret. Circa Poliarchum Proceres Galli quàm maximo cultu erant. Proximus Arſidas colloquebatur. Sed poſteaquam Regina intravit, Archombrotum manu tenens, ſubito veluti monſtro perculſa eſt. Nam ut primùm Poliarchus Archombrotum aſpexit, viciſſimque ab illo eſt cognitus (ô fatum!) quæ procella, quodve fulmen, celeriùs deſtinatos curſus exequitur, quàm tunc rabies, & indignatio, & avidus ſanguinis furor, mutatis utriuſque animis vultus quoque corrupit? [1] Ceu Meduſam aſpexiſſent ſteterunt immoti; mox trucibus oculis, necdum tamen omnia impetui indulgentibus, à fronte ad veſtigia contemplationem deduxere. Stupebant fremebantque attoniti. Quæ hæc enim deorum ludibria? Ut ſe mutuò colerent coiviſſe acerbiſſimos hoſtes, nec ingratiis in alterno vulnere immo-

1 *Seu Meduſam aſpexiſſent.*] Ad aſpectum capitis Meduſæ omnes in ſaxum riguiſſe, habetur ſupra.

immorituros. Repeteretne Poliarchus ab Archombroto Argenidem ſuam, quam vel nuptam vel extinctam credebat? Quicquid ſanguinis pro Hyanisbe pugnans non fuderat, an tunc in illius calamitatem miſceret ſanguini Archombroti, & indignam utroque orbaret ſolatio? Sed multò acriùs fortunæ diiſque omnibus iraſcebatur Archombrotus, indignatus illi hoſti ſe patriam atque matrem debere. Erubeſcebat ad pietatis & odii coëuntes affectus. Nam nec poterat niſi hominum ingratiſſimus, urgere fatale cum Poliarcho diſſidium, nec illo fœlice vivere. Senſim in utroque exuperabat inſania; nec aliud præter reverentiam Hyanisbes obſtabat quin polluerent [1] ſanctitatem hoſpitii, & vel [2] nudis manibus nimis lenta arma præverterent. Nec minùs Arſidas viſo Archombroto vires amiſerat; trepidanſque; perimus, Gelanore: niſi ſe medium aliquis genius immittat, ſine ſcelere & ſanguine non abibit hic dies. Is ergo Hyanisbes filius erat? nemo ſcivit? nemo nefaſtos occurſus prævertit? O fœlix Sicilia, quæ furores, quos fecit, ſaltem non aſpiciet!

Hyanisbe inexpectato filii hoſpitiſque horrore perterrita, & ignara quid potiſſimùm ſuſpicaretur; priuſquam intractabili veſaniâ furor erumperet, dividere malè coactum par inſtituit; de morbo deinde atque remediis quæſitura. Ergo primùm Poliarcho; ignoſce, chariſſime hoſpes, quòd te intempeſtivè de quiete exegimus. Cura valetudinem, ſine quâ nec olim ſalvi eſſe potuimus, & modò non volumus. Imus ad deos oratum, ut hic dies tibi nobiſque fœlix illuxerit. Converſa deinde ad filium adhuc in Poliarchi vultu cunctantem, voce ſubmiſſa, de cubiculo exire ſecum præcepit. Sequebatur ille imperium; nec aliud Poliarchus adjecit, quàm ſe deos quos adibat

1 *Sanctitatem hoſpitii.*] Hoſpitii fœdera credidere ſancta, quæ ante aras Jovis Hoſpitalis & Penatum firmaverant, unde violatores Buſiris & Diomedes eadem pœna affecti ſunt, qua plectebant hoſpites ſuos. Vide ſupra.

2 *Nudis manibus.*] Non ferro, ſed lucta magis pugnantes.

adibat Regina ei propitios optare. At non ad templa Hyaniſbe proceſſit. Major tumultus animum agebat quàm qui durare poſſet in votorum ſolemnibus. Cæterùm hæc Principum inexpectata averſio, ingenti conſternatione regiam primùm, mox & urbem, & milites implevit. Pavidi quæ hæc odia eſſent quærebant, aut fingebant. Optimates qui Poliarcho aſtiterant, ſequuti violentiam Regis offenſi, quamquam ignari cur Archombrotus hoſtis eſſe meruiſſet, jam arma inter ſe, pugnamque, & cædes loquebantur. Ubique in oppido factionibus laborabant paulò antè conjunctiſſimæ mentes, Galli, Maurique, & qui Siculi cum Archombroto advenerant. In tanto tumultu diſſidere facilius plurimis erant, quam deliberare cui ſe parti addicerent. Etenim præter Gallos, qui omnes pro ſuo Rege ſteterunt, vix aliquis fuit qui non diu ambigeret. Nam Mauris in Poliarchum ſtare, quem ſalutis ſuæ authorem paulò antè cecinerant, videbatur inhumanum. Siculorum quoque multi eundem eximiè amabant. Tamen in tanto favore, juxta ſeditionem ubique motus increverat.

Regina in tot curas una diſtracta, nunc tumultum exarmare, nunc filium, nunc Poliarchum mulcere eſt adorta. Et filio quidem primum, ubi ſoli fuerunt, ita loquuta eſt: Mi Hyempſal; expectabam reditu tuo tanquam inter duos filios triumphare. Sed utrumque intempeſtivus furor in meam perniciem, &, ni cavemus, in Galliæ & Mauritaniæ ſtragem concitat. Qui hi motus fuere? qui oculi quibus aſpexiſti Poliarchum? Me miſeram! quàm penè nefas vidi? Sed non quæro odii cauſas; non uter æquiùs inimicitiis arſerit. Te nunc tantùm per patrios deos, & ſi tibi viles ſunt, quia hos nobis Poliarchus ſervavit, per Siculos illos, quos cùm abires ab Inſulâ veneratus es; perque Argenidem tuam oro; des ſpatium iracundiæ tuæ, donec matrem audiveris. Non peto nunc odia poni, ſed differri, mi fili; Ego de reconciliandis animis veſtris videro.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

dero. Tu, ſi hoc abnues, at conſule ſaltem, quâ ratione poſſis famâ incolumi obruere beneficiorum memoriam quæ huic debemus.

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

Poliarchus in hoſtili domo diutius verſaturum negat. Attamen Reginæ lachrymis vincitur. Hæc mutui odii caput edocta utrumque æmulum componit, literaſque filio promittit, Meleandro deferendas.

HÆc confuſo cum majeſtate metu ſimul imperans & trepida loquebatur; cùm illi relatum eſt, Poliarchum parare diſceſſum ab Regiâ. Is enim poſtquam æmuli conſpectu ſaucius cœpit odiſſe illam domum, ne ſuſpicione quidem vacavit, noxæ fore ſi in hoſtis poteſtate perſeveraret, ſi ipſi, ſi illius matri ſe crederet. Accendebant jam ſponte turbatum Procerum voces, urgentium metus, & ſedulitate monendi fingentium pietatem. Protinus ergo jubet Tribunis militum edici; ut ad regiæ fores militum partem ſiſtant, ſibi diſcedenti præſidium confeſtim alii ex urbe educantur; & caſtris locum eligant non longè à navibus: In iis ſe inter ſuos pernoctaturum. Ne tamen aut nimiâ præcipitatione peccaret, aut Reginam læderet adhuc immeritam, cubiculi Præfectum cum ejuſmodi mandatis ad eam deſtinat; habere ſe hoſpitii gratias, charitatiſque in ſuorum vulnerum diſcrimine perſpectæ. Recentibus filii amplexibus occupatam nolle ad ſalutationem provocare. Neceſſariis rebus ſuis ſe ab Regiâ quidem diſcedere: ſed priuſquam ſolvat à littore, beneficiorum gratiam præſenti habiturum, ſi illa patietur. Hyanisbe his auditis graviſſimè concuſſa eſt. Exibat à laribus ſuis optime meritus hoſpes, ſibique præterea virtutum commendatione chariſſimus; & exibat quidem, ô facinus! aut hoſtis, aut tanquam ab hoſtibus. Quid faciat? quem priùs alloquatur? utrum, ſi neceſſe ſit, æmulorum poſſit priùs non amare? Sed tamen filius pote-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

rat credi ſeu viribus ſeu pudore ſibi facilior. Ad eum igitur verſa; ſpondes, inquit, ô fili, dum mox redeo, quietem hîc agere? Sponde, per jura materna te obteſtor; quæ ſi reſpuis, nec hereditatem meam debebis agnoſcere. Cùm ille promiſiſſet; ipſa properè ad Poliarchum ivit jam limen cubiculi egreſſum, & equi quo veheretur frænum capientem in manum. Quamquam enim invalidus, tamen vehi lecticâ noluerat, ne Archombroto ſpeciem daret ſimulatione valetudinis certamen detrectantis. Hunc vultu Hyanisbe aſpiciens qualem habere ſolet calamitoſa innocentia, pænulam quoque diſcedentis corripuit; & per, inquit, tua in nos beneficia rogo, ut priuſquam fidem meam diſceſſu tuo damnes, in ſecretum admittas tibi pauca prolocuturam. Puduit Poliarchum tantæ ſupplici id negare; rediitque in arcanam cubiculi partem; quæ poſtquam arbitris vacavit, Regina lachrymas præmittens, Dii ſunt teſtes, ait, me nec fraude, nec conſilio malo objeciſſe oculis tuis illum propter quem me miſeram averſaris. Utinam eum adhuc ignorares, utinam abeſſet, mihi fortè plus mali ſuo adventu allaturus, quàm Radirobanes unquam molitus eſt. Si in meâ poteſtate illius animus eſſet; frangerem eum tibi, Rex, tam altè quàm tibi ſubjectam me aſpicis. Inter hæc verba, immemor majeſtatis, ſe demiſerat ad repugnantis pedes, crebroque ſuſpirio natans verba perdiderat. Poliarchus haud ſeciùs quàm matrem veneratus illam ſuſtulit ab humo; queſtus non minorem ſibi injuriam fieri à Reginâ ſupplicatione tam abjectâ, quàm ea erat, quà ejus filius ipſi illuſerat. Tum Regina; quæ ergo contumelia eſt quâ te ille laceſſivit; aut quibus in terris in hæc malorum ſemina vos antea fata junxerunt? Poſſum hoc à te audire, hoſpes? Is enim dicere negat. An tu quoque obſtinato ſilentio me perdes; & neſciam quo me fulmine Jupiter ſubvertit? Ne abſiſte, ne, obteſtor, meis penatibus, donec conſtiterit illud malum carere remediis. Pleraque tempore mulcentur,

tur, & odia quæ ſilentio fovemus, profeſſa ſæpiſſimè expirant. Quòd ſi te & filium meum una domus non capit, ille recedet. An times vitam tuam mihi committere? Imple Gallico præſidio regiam. Præter tuos nefas erit armatum hîc conſpici. Nam ſi perſtas, ſi miſeram relinquis, ejiciam domo mecaſtor & filium. Cur te ad naves aut caſtra ſedente, regiam occupet periculo tuo emptam? Ergo pugnam depoſcitis? & tu quidem non jam viribus corporis nixus, quæ pro mea ſalute exhauſtæ ſunt; ſed odio, & forſitan jubentibus fatis; quæ ſi in alterum veſtrûm peccabunt, ſequar ego morientem, & ſuperſtiti furias meæ mortis relinquam.

Adjecit deinde novos fletus, & familiariter pænulam quam ille diſceſſurus geſtabat, de collo diripuit; tum cunctationem dubitantis pro aſſenſu callidè uſurpans, gratias beneficii egit quod nondum acceperat. Vicit igitur Poliarchum tam vehemens & pertinax flentis oratio. Ego, inquit, ô Regina, diſceſſum quem tantopere abominaris, imputabam humanitati. Scis non ſemper in poteſtate inimicorum eſſe impetus quibus odia fervent, quique potiſſimùm mutuo aſpectu concitantur. Cogitavi itaque hanc arcem relinquere, ne aut ego aut filius tuus faceremus quod dolere tibi poſſet. Si tamen ita cenſes, bidui moram hîc patiar; ut deinde me potiùs negocia abduxiſſe videantur, quàm inimicitiarum atrocitas: eâ lege ne interim ille me, aut hunc ego conſpiciam. Cultum autem quem hactenus tibi habui, cave, Regina, putes his jurgiis eſſe libatum. Neque enim vel tu efficies ut eum amem, vel ille ut averſer genium tuum. Atqui, refert Hyanisbe, deos ſpero intra id biduum compoſitis animis, exituram malignitatem ſortis, quæcunque vos in diſſidia cæcavit. Sub hæc, Gallorum proximos ipſa advocat; ſubridenſque, plus, inquit, mihi Rex veſter curæ, quàm omnibus vobis (Proceres) fuit. Affectâ valetudine, necdum cicatricibus ductis, non prohibebatis itineris laborem experiri.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Ego autem evici ne ſic perire velit. Extemplo mutata militibus imperia ſunt; & urbem tam inquietis modò rumoribus laborantem nova hilaritas compoſuit. Quippe omnia in majus famâ tollente, jam plena reconciliatio rediiſſe Principibus, jam ira deſiiſſe in certiora amoris pignora vulgabatur. Ita facilè Gallis Mauriſque convênit, qui inviti diſſenſerant: memorque promiſſi Hyanisbe, edixit, ne quis in aulam cum armis præter Gallos intraret.

In hunc modum primâ acie mali eluſa; Regina ad maturiora remedia ſe convertit. Sed ea reperire aut aptare non poterat, quamdiu ignorabat quæ illos cauſæ inter ſe committerent. Dumque dubitat unde certiùs hæc haberet, dedit ſe opportunè occaſio. Timonides Meleandri ad eam legatus, quò ſui Regis dignitatem tueretur, Archombroto in urbem procedente hæſerat apud naves; per ſe deinde non miſto comitatu ſecunduſve alteri, Reginam aditurus. Sed illi maturè de hoc tumultu relatum eſt. Nam & quidam ex Siculis comitati Archombrotum, huic properaverant nunciare, Poliarchum, quem diu in Siciliâ viderant, Gallorum Regem eſſe; hunc apud Hyanisbem ægrotare ex vulneribus; & ad conſpectum Archombroti mutuo odio fuiſſe ſuccenſum. Adjecerunt Arſidam adeſſe Poliarcho. Mira hæc omnia viſa Timonidi. Erat Poliarcho in primis amicus; & olim ad eum à Meleandro legatus cum armillâ quam Eriſthenes veneno corruperat. Hunc ergo adeſſe, & purpurâ quidem inſignem, lætiſſimus audivit. Sed unde Arſidas adveniſſet haud immeritò mirabatur. Faciliùs de Archombroti diſſidio rem conjecit: ab Argenidis amore eſſe hanc iram. Senſim enim in Siciliâ tanti arcani fama eruperat: ut nec cuiquam jam dubium eſſet quid Radirobanes peccaſſet in Argenidem, aut cur Seleniſſa periiſſet. De ſeipſo deinde ſolicitus, cogitabat utri parti præſtaret accedere. Nam ſi ſpecie officii ſui in medio perſeveraret, omnibus fore ingratum, nec inultæ, quicunque illorum viciſſet, ſolertiæ, ad Poliarchum

chum trahebat amicitia vetus; & Argenidis in eum animus: revocabat ad Archombrotum Meleandri memoria; & habita ſibi fides quam nefas ducebat violare. Adhuc ſui incertus præmiſit qui Reginæ nunciarent ſe venire. Saltem enim explorare confeſtim rem debebat, & exactam Meleandro perſcribere. Fluctuanti Reginæ ſpes ſubitò facta eſt, per hunc legatum poſſe cauſam reſciri tam perículoſi odii. Et properè illi loquuta, poſtquam de Meleandro quæ decebat rogavit; deflere Poliarchi & filii diſſidium cœpit; illudque potiſſimùm, quòd neſciret tanti odii initia, ideoque nec medendi rationem. Nihil cauſæ videbatur Timonidi, cur tegeret non ſecretam, aut pudendam diſcordiam. Paucis ergo monſtravit, Poliarchum tenuioris fortunæ ſpecie diu in Siciliâ fuiſſe; & amore captum Argenidis ſperaſſe nuptias quæ deinde paratæ ſunt Archombroto. Nihil itaque mirum ſi æmuli, & imminentes tanto utique voto, acerbè & pro materia rixabantur. Rediit Hyanisbe animus ad hæc verba; ut vix coram Timonide læticiam teneret; cumque ille dubitaret an incolumi Archombroti gratiâ poſſet ſalutare Poliarchum, ipſa ultrò ut iret, admonuit. In ſe enim recipere id & gratum filio ſuo fore.

Poſtquam Timonides diſceſſit, parumper Regina cogitavit, quo ordine rem maximam exequeretur; certa ex ſe pendêre tantæ litis fortunam & exitum. Magnificè intumuerat, audebatque fortunam deſpicere. In memoriam quoque redierat, Poliarchum ab ipſa invitatum ut in Sardos ferret Africæ opem, vultu commoto rogaviſſe, an Argenis Radirobani nupſiſſet. Hinc & amare Poliarchum credebat, & vera Timonidem retuliſſe. Cæterùm ſic apud ſe conſtituit; ſi tractabiles juvenum animi eſſent, hos in Siciliam dilato morbi remedio mittendos; maximè quòd in Meleandri conſenſu pars ſanitatis eſſet. Sin hæc odia ſine clade durare non poterant, confeſtim certiſſimâ pace exarmandum ſævientium furorem. Redit ergo ad filium

jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

jam paulò imperioſior, & quaſi docente Poliarcho de inimicitiis comperiſſet. Non mihi placet, inquit, ſilentium tuum, maximè cùm nec pudenda aut te indigna ſint quæ retices; & hæc eadem ab æmulo tuo reſcire potuerim. Amatis Argenidem. Magnum vulnus juvenibus, & odii ambitioſa materies. [1] Virgo, ut audio, quam in diis non eſt qui aliquâ dote non auxerit. Sicilia eſt in hereditate; & quod acribus animis præcipuum eſt, neuter à certamine excidere ſuſtinet. Ignoſco nobilibus ſtimulis; Diiſque ſimul gratias habeo quòd non eſt ſupra medicinam iſte morbus. Ego quod creditis neminem deorum poſſe efficere, utrique hoc negocium ſic peragam, ut ſimul odia ponatis, ametiſque Argenidem, & ſit ipſa utrique propitia. Scis, mi fili, ſuſtinuiſſe me Argenidis nuptias, quibus inſtabas, donec ad me rediiſſes. Obſequutus es imperio. Intelliges non me fruſtra hæc juſſiſſe. Sed ſunt quædam de quibus te percuncter, ſi ſperare modò poſſum ex amatore & æmulo vera audire. Quid moræ eſt votis tuis Poliarchus? Siquidem nunciabas, modò annuerem, omnia ad hæc nuptiarum fœdera tibi procedere. Dic, gnate mi; nam & tua intereſt, ut hoc intelligam. Perplexus Archombrotus quæſtionem hanc audivit; quia pudebat confiteri, Poliarchum placere Argenidi. Nihil igitur officere nuptiis ſuis Poliarchum reſpondit. Sed ſe iraſci æmulationi illius, qui quoad poterat ſimplicem Argenidis animum moleſtis & inutilibus fabulis impleret. Tum ſubdolè Regina; quid ſi autem his artibus mentem virginis avertet; an ne ſic quidem obſtabit hymenæo? At concitatior juvenis? Cogeretur me hercule puella à parente, cui non minùs quàm mihi probantur hæ nuptiæ. Exilium deinde Poliar-

1 *Virgo quam in Diis non eſt qui aliqua dote non auxerit.*] Ad Pandoram alludit, quam authore Heſiodo à Vulcano Jovis imperio fabricatam ſinguli Dii ſingulis donis auxerunt, Pallas ſapientia, forma Venus, Apollo muſica, Mercurius dicendi lepore. Inde Pandora dicta, quaſi omnium donum vel omnibus dotibus aucta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Poliarchi à Siciliâ memorat, bellumque in Lycogenem, & victoriam ſuam. Sed quamquam toto narrationis contextu ſibi favebat, non latuit Hyanisbem illum quidem Meleandro, ſed Poliarchum Argenidi eſſe præcipuum.

Multò igitur quàm antè hilarior, cum filio cœnavit. Satis enim in eam noctem quæſitum videbatur. Poſtero die ad Poliarchum redit, non inſtructa verbis modò, ſed & conſilii ſerie, quam nox & mora ſuggeſſerant. Poſtquam blandiùs compellavit, juſſitque extra ſermonum ſuorum arbitrium qui aſtabant conſiſtere; mirabar, ô hoſpes, quid tu ac filius meus eſſetis irati; ſed audio id amoris utique magni & excuſabilis ingenium eſſe, unamque Argenidem facere veſtram litem. Si ita eſt, ego me vobis ſalutarem profiteor. Sola ſum, cui ad utriuſque morbum medela ſufficiat. Quid in re placidâ, tot queſtibus, tot jurgiis opus? Adhuc res in integro eſt; fœdera imperfecta, innupta Argenis. Ego te lætum, & ſine pugnæ diſcrimine victorem; ego te filio pacatum (quid horres, abnuiſque?) efficiam. Nec mirere quî procedere poſſit pollicitatio tam immanis. [1] Prædem hanc manum accipe, nihil me præter id quod futurum eſt dixiſſe. Confuſus tot ambagibus Poliarchus, & propè ſe deludi exiſtimans, omittere Reginam aut orationem obſcuram, aut hos omnino de Argenide ſermones rogavit; at illa; adhuc majori monſtro te ſuſpendam, ſuaviſſime hoſpes; volo enim mihi Argenidem debeas, neque hanc tamen filio meo eripiam. Sed ita fatum eſt, ut ſubito apertoque remedio curari non poſſitis. Simul vobis in Siciliam eundum eſt; & literæ quas vobis committam reddendæ Meleandro. Illicò finientur diſſidia, & uterque de amore

deſinet

1 *Prædem hanc manum accipe.*] Dextram porrigimus, ſi quid data fide futurum pollicemur, in ipſa enim fidem ſacratam Numa Pompilius voluit, & ſi quid firmum Perſæ illibatum volebant, illud dextra fideique pignore ſanciebant. Ovid. l. 5. Metam. de Philemon. *Ut pignus fidei dextras utraſque popoſcit.*

1 *Aru-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

deſinet queri. Inſanire Hyanisbem Poliarchus credebat; cùm ſuos illa Penates, [1] arulamque deinde afferri imperavit; quæ poſtquam menſæ impoſita prunis concrepuit; nebulaque ſuffituum obtexit breves deos, his diris Regina ſe obſtrinxit. Audite præſentes genii, Præſtitum vigiles formæ; qui apud nos nati, hanc domum & patriam ſervatis; ſi quicquam Regi Poliarcho mentita ſum, aut niſi ei conſilio meo incolumitatem, quietem, gaudium fero; deſtituite hanc domum præſidio, vel eâ integrâ mihi & filio malum & perniciem date. Poliarchus ad religionem obſtupuit, Reginæque reſpondit, ſe diis iiſdem quos ipſa appellaverat, innocentiæ teſtibus uti poſſe. Nam priuſquam Archombrotus pedem in Siciliam penetraret, ſibi Argenidis affinitatem fuiſſe promiſſam. Res illum benè compoſitas intempeſtivis deſideriis turbaſſe; & quia virgo mutari faſtidiebat, ſolicitaſſe ad tyrannidem Meleandrum; ut liberam & Principem virginem durus pater mittere vellet in coacti matrimonii ſervitutem. His & ſimilibus verbis paulatim repetentem animos, qui qualicunque pace deceſſerant, continuit Regina: neque enim ſe veniſſe ut iræ tumorem ſubjiceret; ſed ut reconciliatione, quam certam afferebat, cum ipſis frueretur. Quantulum autem eſt quod peto, amiciſſime hoſpes? nimirum ne antè ad capitalem rixam deſcendas, quem videris perfunctum Meleandrum lectione epiſtolæ, quam ego perſcribam. Pollicere mihi modò hanc à jurgio armiſque continentiam, ô Rex. Ego tantundem de filii mei patientiâ & fide recipio, & aſſero tibi. Vobis deinde per me licet, armis & odiis cuncta miſcere.

His auditis, illum diem ad deliberandum Poliarchus popoſcit: moxque Regina iiſdem pollicitationibus filium adorta eſt; cui & ipſi ea eſſe deliramenta videbantur. Sed petere,

1 *Arulamque deinde afferri.*] Ad firmandum juramentum coram Penatibus, quos appellat Præſtitum vigiles formas, unde erant illis canes cuſtodes familiæ. Tacit. Annal. II. *Complexi dextras ante aras Deûm pepigere.*

1 San-

petere, & promittere perſeverantem, duriſſimum erat pertinaci iracundiâ repellere. Et viſum utrique eſt, nihil eam nimium flagitare. Moræ ſiquidem pretium erat, ſi illius ad Meleandrum literis, ſine armis & ſanguine exitum inveniret contentio. Sin in vanum promiſſa reciderent; adeò ejus veniâ pugnare licebat, ut nec jure ei poſſet iraſci qui per alterius cædem viciſſet. Itaque aſſentientibus illis in hunc modum fœdera perſcripſit, ut neuter præteritas exequeretur injurias; neuter ſuos concitaret ad pugnam, donec ſimul vidiſſent Meleandrum. Irent in Siciliam, quamprimùm vulnera Poliarchi navigandi poteſtatem facerent, neuterque dolo malo in induciarum leges peccaret. His ita compoſitis, deinde Hyanisbæ difficillimum fuit, à juvenibus impetrare ut ſibi colloqui ſuſtinerent; quod, inquit, potiſſimùm urgeo; ut civium militumque jurgia tollantur, quæ fortaſſe vel vobis invitis paulatim exardeſcent, niſi publico pignore temporariam hanc pacem firmetis. Quid deinde gravamini vos videre, quibus adeò certa ſum interceſſurum fidiſſimæ charitatis ſacramentum, ut ſi eo me voto fata fraudaverint, non repugnem vel hoc odio quod nunc inter vos eſt vindicari meorum promiſſorum vanitatem? Nec contenta authoritate & gratiâ ſuâ Poliarchum filiumque tentare; Gelanorum & Arſidam, quos apud Poliarchum potentiſſimos eſſe videbat, precibus & donis aggreſſa eſt: item eorum præcipuos, quibus familiariùs utebatur Archombrotus. Impetrato inter eos colloquio; quid ambo loquerentur, quiſve inciperet, vanâ & anxiâ penſitatione libratum eſt. & coram Hyanisbe (nam Poliarcho filium adduxit) ſe intra præſcriptas formulas tenuerunt. Nec ſæpiùs coire ferebant; Quamquam amicitiæ genius qui eos in Timocleæ domo primùm afflaverat, jam hoſtilibus animis ſe rurſus quærebat inſinuare; fatiſque mutuò ipſi iraſcebantur, quæ hanc odiorum neceſſitatem feciſſent. Sed in mitiora lapſos conſilia, revocabat identidem imago aſſidua Arge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

nidis, pudorque ne priores viderentur reconciliationem optaviſſe.

CAPUT X.

ARGUMENTUM.

Iam in procinctu ſunt, cum unum ex vulneribus Poliarchi adeo magnis doloribus incenſum eſt, ut membris adhuc imbecillibus febrim refunderet. Interim fama vulgante Sardiniam incendio civili flagrare, ad eam ſubigendam Hyempſal accingitur. Subactâ mox inſulâ audit cladem hanc ob violatam ſanctiſſimi Religionem templi accidiſſe. Motus reverentiâ cùm loci, tùm Myſtarum, aliquos in Africam ſecum ducit.

PER eoſdem fortè dies incommodùm accidit, quòd unum ex vulneribus Poliarchi inter majora & periculoſiora neglectum, adeò magnis doloribus incenſum eſt, ut adhuc imbecillibus membris febrim refunderet. Nec ipſi quàm Archombroto ægrius erat, navigationem differri. Nam in induciis erat ne altero abſente alius in Siciliam iter præciperet. Ergo impatientes moræ, & ſaltem ſcribere cupientes; ne literæ inſidiis occuparentur, ex fidiſſimis aliquos eò legare conſtituunt. Et Archombrotus quidem Meleandro atque Argenidi ſcripſit, nullâ in Poliarchum contumelia; ſed tantùm excuſans quòd tardiùs rediret, tum ex matris imperio, tum ne fœdo timore invaletudinem æmuli Regis videretur in occaſionem habuiſſe rei gerendæ. Ferendis epiſtolis quidam Bocchus notæ in Archombrotum fidei delectus eſt. At verò Poliarchus diu ſecum exegit, an & ſcriberet Meleandro. Sed obſequutus eſt ſuadenti Arſidæ, ſcripſitque ne ſaltem Argenidis patrem videretur negligere. Magis quæſitum eſt an Arſidas cum iis literis in Siciliam rediret. Verebatur ſuſpiciones Regis; & in tanto favore Archombroti cæca & ex tranſverſo pericula. Sed ſi redibat, hactenus tempeſtas excuſabat hunc cum Poliarcho congreſſum: ſin cum eo perſeverabat, poterat deprehendi furtiva legatio. Ergo eum placuit proficiſci: & huic quoque Timonides amicitiâ & factione junctiſſimus, literas ſuas ad Regem & Cleo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Cleobulum credidit; ſic publicæ rei memor ut & ſuam prudentiſſimè curaret.

Interim ex Sardiniâ afferebatur, flagrare omnia civili incendio, Harſicora, & Cornio, Radirobanis nepotibus regnum quod ambiebant atroci bello perdentibus. Statim Archombroto ſpes facta eſt, gentem factionibus diviſam, & adhuc arma Africæ horrentem, ſi celerem hoſtem haberet, opprimi poſſe. Ne ergo collectæ ex Siciliâ vires perirent, ſecunduſve Poliarchi triumphis apud ſuos Mauros eſſet (quandoquidem tunc vacabat; morbuſque Poliarchi differebat Siciliam) exercitum quem in Africam vexerat, adjunctis Maurorum auxiliis, illuc egit. Matri tamen & Poliarcho pollicitus, ſive vinceret, ſive adverſis uteretur numinibus, non uno plùs menſe abfuturum ſponte ab Africâ. Dimiſſum his legibus excepit præſentiſſimus deûm favor, penè ſuprà quàm voluiſſet. Adeò enim fuit victoria in proclivi, ut præter audendi invadendique conſilia, & unius pugnæ laborem, vix fortitùdinis experimentum fortuna reliquerit. Primùm vacuos portus nactus, præſidio illic relicto explicuit milites, mox & inſedit verticem montis unde illa inſalubris, ſed ſegetibus fœcunda Sardinia proſpici poſſet; probavitque nomina quæ veteres à ſoleæ aut veſtigii formâ indiderant, [1] Sandaliotin aut Ichnuſam appellantes. Jam duobus præliis Sardi inter ſe ſuper regno vires contulerant; & cruenta certamina abſumpſerant fortiſſimos Optimatum, ac militum. Sic miſeri patriam exhaurientes Archombroto pugnavere; cujus copiis in monte conſpectis, miſerunt qui de hoſtium genere ac numero referrent. Nam nec longè in ſubjectâ planicie, bina illa patruelium caſtra conſtiterant. Cumque audiſſet Mauros adeſſe ac Siculos, mare quoque claſſe eximiâ poſſeſſum, omiſere conſilium quod ad ſalutem unum ſupererat, civilia odia ponendi, con-

1 *Saudaliotin aut Ichnuſan.*] Hæc nomina ſortita eſt Sardinia à forma ſandali, ſeu calcei.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

conjunctiſque viribus eundi in hoſtem externum, & adhuc ignarum regionis. Alter quoque eorum Harſicora, jam proximâ fractus acie, deſperanſque victoriam, ut regnum æmulo ſaltem eriperet, deditionem ſuorum fecit Archombroto. Adeò penatum & patriæ charitas civilibus odiis concedit; ut patriam everti, ſibique alienum jugum accedere ſæpè homines malint, quàm alicui populari concedere. tanquam parendi vilitas augeſcat, ſi te notis ſubmiſeris; & ſublevetur peregrinitate dominorum. At Cornius nobiliori impetu virtutem ultimam collegit; ſuoſque eduxit ad prælium; & provectus in æmulum qui ad Archombrotum defecerat, illi vitam quidem eripuit; ſed nec ipſe ſupervixit numero Maurorum obrutus; qui patruelium ſanguinem funeſto ambitionis exitu miſcuere. Præcipua quoque hoc prælio Archombroti fortitudo Sardos perterruit; quibus tandem aut oppreſſis, aut fugâ dilapſis, ipſe uſus fortunæ impetu, ad præcipuas arces admovit exercitum. Vix aliquot velitationibus interceſſere victi. Præcipuus labor fuit ad Calarim, effuſo inconditè populo ad certamen: Sed intra mœnia compulſi, mutatis poſtero die animis de deditione legatos miſerunt. Virtiganem mors opportuna ſubduxerat, ne tot mala intueretur. Pauci externos dominos non ferentes, ſe ad [1] Cunicularias inſulas recepere, anguſto in freto quod à Sardiniâ Corſicam dirimit. Inde tranſmiſerunt in Corſicam; quâ etiam ſequente victoriam, adverſæ Liguriæ montibus latuerunt.

Cæterùm haud obſcura inter Sardos fama erat, contigiſſe irâ deûm hanc Regibus, & patriæ cladem; ob violatam à Radirobane religionem templi, quod ſanctiſſimum habebant, decem à Calari millibus, [2] Jovi cœleſti nuncupatum. Multa fuerant ex auro argentoque ad aram dona-

1 *Cunicularias inſulas.*] Parvæ ſunt Inſulæ inter Corcyram & Sardiniam, ſic dictæ à cuniculis, quibus abundat.

2 *Jovi cœleſti.*] Ad differentiam Jovis inferni.

1 Et

donaria: [1] & ipſius numinis breve ſignum ſolido auro priſci Reges ſacraverant. Quæ omnia Radirobanes in Africam trajecturus, inani mutui nomine in ſumptum belli diripiens, ipſos quoque ſacerdotes contumelioſe repulerat; jam tum quidem multorum triſti præſagio, quod mox omni in Sardos calamitate aſſertum eſt. Nihil enim illo templo ducebant divinius, & Sacerdotes inclytæ famæ, [2] pro præſentibus penè numinibus populo erant. Is rumor de ſacrilegio Radirobanis, & templi ſanctitate, ut à multis jactabatur, ad Archombrotum pervenit; qui ſeu tactus curâ numinum, ſeu Sardorum animos pronâ in ſuos deos veneratione captaturus, templum inviſit. Ipſe ſitus, & locorum ſacer horror, ſuaviſſimi terroris pietatem ſubjecit incogitanti. Aſperæ erant rupes in radicibus collis, quas anguſtus limes ſecabat. His ſuperatis, brevia latè virgulta placebant, alto ſilentio, & incultâ ſimplicitate. Mox ingens porticus viſebatur, ita lumen ſuperne accipiens, ut nec tota caligo abſcederet. Subeunti porticum Archombroto, obvii hi verſus fuerunt, quos ligneæ tabulæ impoſitos ſic intrantibus ſacerdotes objecerant, ut vix omitti poſſent.

Non iſthic aurata domus, luxuque fluentes
Sunt epulæ, [3] *ſpondave ſopor pretioſus eburnâ,*
Aut in carbaſeo Tyrius velamine murex.
Non gemmâ vibrante nitor, non perſona cantu
Limina, non prono famulantum examina collo,

Atque

1 *Et ipſius Numinis breve ſignum.*] Quamquam ad ultimam expugnationem templi Sandioniſiani referri hæc poſſint, rectius tamen ad imaginem crucifixi auream, quam ſuper altare templi ex munificentia Ludovici VII. Sugerius Abbas collocavit, inde vero avulſit pro ſumptibus ſacræ factionis unus è principibus, qui alligatam huic ſigno vindictam anathematis celeri morte paulo poſt expertus eſt. Mitto decora alia, de quibus hic mentio fit avulſa ex ara atque gazophylacio, quod in tota Europa pretioſiſſimum eſt. Ibi enim aſſervantur Regum donaria.

2 *Pro præſentibus pœne numinibus.*] Quaſi ſua præſentia lites dirimerent, ſolarentur mœſtos, &c.

3 *Spondave ſopor pretioſus eburnâ, Aut in carbaſeo Tyrius velamine murex.*] Nempe iſtorum in Africa, ex qua ortus Archombrotus, frequens erat uſus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Atque avidas quicquid trahit in certamina gentes;
Sed nemora, & nudæ rupes, neglectaque ſqualent
Confraga: ſunt epulæ viles, juſſæque quietis
Hora brevis: duro velantur corpora texto:
Et labor in pretio, & vitam mors longa fatigat.
At neque crudeles Diræ, vigilique flagello
Sævit cura ferox, falſo non abditus ore
Ipſe ſua inſanus furit in præcordia livor.
Alma quies, parviſque habitat Concordia tectis,
Et ſemper niveo veri de pectore riſus.
Ipſa ſuæ meminit ſtirpis, ſeſeque deiſque
Mens fruitur fœlix, & novit in aſtra reverti.

His perlectis Archombrotus porticum intravit, ad cujus latera pauperes duæ aræ habebant lignea ſigna; [1] illud quidem Prudentiæ, quæ ſerpentes geſtabat caudâ reductâ vitantes magici carminis imperium; [2] aliud Fortitudinis, manu utrâque prægrandem geſtantis columnam. Jam ex templi myſtis duo, admoniti Archombrotum adventare, ad eum decurrerant; ex quibus percunctatus de his aris, audivit Fortitudinis quidem atque Prudentiæ ſimulachra poſita eſſe, ut qui in eorum familiam volunt aſciſci, intelligant inconſultos impetus non placere numinibus; ſed animos ſic ad robuſtam prudentiam exactos, ut ſententiam non temerè capeſſant aut ponant. Signa autem eſſe ex ligno, ut egeſtatem (quâ ſpontaneâ amant perfrui) humilitas non precioſorum deorum portendat. Archombrotus in eos intuitus, quia vilis corporum cultus non degenerabat à tam grandi Philoſophiâ; notavit macie

1 *Illud quidem Prudentiæ.*] Hujus Symbolum eſt ſerpens, tum quia magicum carmen ſit declinare aure ad humum applicata, inſtar aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas; tum quia, ut ſervet caput, in quo anima tota eſt, reliquum corpus exponit. Pierius in Hieroglyph.

2 *Aliud Fortitudinis.*] Sic depingitur Fortitudo à mox laudato Pierio. Cæterum hoc virtutum par monaſticam vitam petenti ſignificat eſſe neceſſarium; prudentiam, qua nil inconſulto agatur; fortitudinem, qua viriliter divino cultui ſe quiſque mancipet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

cie quoque confectos vultus eſſe; & tanquam aſſuetos cœleſtibus motibus oculos non benè durare in pompæ regiæ conſpectu. Hos ergo religioſiùs veneratus, poſtquam porticum emenſi ſunt, rogavit, quis ipſis deorum aut hominum præſcripſiſſet hanc vitam; unuſque ſubridens, fœlicitatis, inquit, cupiditas; quam vos quoque, ſed diverſiſſimo veſtigatis itinere. Vos opes quærendo, nos fugiendo, experimur quæ ſint ſecuriores divitiæ; mentes quoque & corpora labore multiplici laſſamus; vos quidem ut ad ſumma humanarum rerum faſtigia perveniatis; nos verò ne quid tale cupiamus. Ita dii nobis humilitatem, vobis curas, utriſque laborem dederunt.

Hæc leniſſimi Sacerdotis libertas ita placuit Archombroto, ut illius genium domus jam intentiori affectu ſuſpiceret. Interim & cæteri myſtæ coiverant; à quibus deductus ad templum eſt, ſtatutuſque ad concipienda vota; haud longè à cœleſtis Jovis arâ; quam ſolam iis vatibus licebat [1] auro ſericoque excolere. Sed & illa ornamenta Radirobanes detraxerat. Quod ut à proximis Archombrotus intellexit; curabo verò, inquit, ut injuria, quam ſacrilegio proximam hæc ara accepit, deleatur ab oculis veſtris, & ſummi Jovis memoriâ. Simulachrum ex auro majoris ponderis quàm antea fuit faciundum locabo. Cætera quæ ad numinis cultum ſunt eâdem indulgentiâ jubebo cumulari. At illi, deos gratiam habituros retulerunt; ſe quidem nihil auro vel divitiis moveri; niſi quò vulgus ad aræ majeſtatem ſuſpenſum ſumma omnia de diis conjiciat. In cæteris, præoptare intra ſuæ domûs ſepta facillimæ egeſtatis ſecuritatem. Scire ſe quoque ex ejuſmodi divitiis quæ à templis diripi poſſunt ſæpiſſimè concitari aviditatem impiorum. Nec Radirobanem peccaturum fuiſſe niſi incauta majorum in deos liberalitas, avaritiæ ſuæ irritandæ veluti inſidias ſtruxiſſet. Præſtare his

1 *Auro ſericoque excolere.*] Nempe vittis, pro antiquo ritu, ut ſupra; hic nota fuſe deſcriptam vitam monaſticam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

his rebus fana ornari, quæ aut ægrè de ſuo loco detrahas, aut inutilia violando effeceris, quàm pondere invidioſi metalli quod multos ſuo precio invitat ad opulenti facinoris audaciam. Hinc iiſdem ducentibus, hortos primùm, mox & cellas eorum, nec ambitioſa triclinia aſpexit. Anguſta ſuppellex, vilia ſtrata erant; omnia tamen ſic ad mundiciem facta; ut ſcires fortes animos aſpernari luxuriem, non marcidâ vilique rerum ſuarum incuriâ jacere.

Contemplatus omnia Archombrotus, gaudenſque difficillimæ virtutis non laborioſo aut ingrato conſpectu, unum ex illis, magnæ ſenem majeſtatis, omnem ejuſmodi vitæ ordinem, omnes leges, atque modum, jubet expromere. At ille; quid lucri ſit nobis, ex eorum abdicatione quæ mortales precioſiſſima habent, parco nunc dicere, ô Rex. Nam & magis quærere videris, [1] quid agamus in iſto receſſu, quàm cur in eum convenerimus; & præterea non verbis humanis ſolet oſtendi hujus aſperitatis utilitas. Dii ſunt ſoli qui arcano ſermone iis quibus viſum eſt, hanc novam oculiſque & ſenſibus cæterorum ereptam fœlicitatem commendant. Dicam tamen noſtrorum ſtudiorum eſſe finem, ea mereri quæ ſuis amicis numina indulgent. Huic cœpto commodiſſimum putamus, in vitia, & immodicas cupiditates, aſſiduâ pugnâ decernere. Itaque quanto ambitu cæteri ad imperandum nituntur, nos refugimus à faſtu, & facilitati parendi animos aptamus. Uni ex noſtris facimus annuum in nos imperium, non emptis aut turbulentis ſuffragiis. Grave munus eſt illi quem ab ocio communi ſevocat ejuſmodi præfectu-

1 *Quid agamus in iſto receſſu.*] Commendat clauſtri fœlicitatem, humilitatem, paupertatem, obedientiam, mortificationem; mutuam charitatem, orationem, contemplationem. Ad Benedictinam reformationem videtur alludere ex his ſequentibus. Sic enim pergit: *Ne te offendat vitæ noſtræ inſolentia: ſcio enim & quoſdam nova omnia ad rerum publicarum ſecuritatem nimis univerſa ſententia damnare: Et, paucos annos eſſe, ex quo labentem in Deos pietatem hoc crudo vitæ robore ſuſtinere tentavimus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

fectura: & ſolâ ſpe redeundi anno emenſo in ordinem, ſuccedit ad exigui navigii clavum. Tantâ autem religione obſequimur, ut hunc putes deſpexiſſe in animos noſtros, nobiſque imperaſſe quod ſpontè malebamus. Præcipua tamen eſt cautio (ut homines ſumus) ſi aut duriùs imperitet, aut nos ſegni vel rebelli conſilio, abeamus à reverentiâ; ne foris hæc jurgia prodeant. Actum erit de pace quam quærimus, ſi ad externos arbitros, aut judices deficiemus. Secundum hoc parendi inſtitutum, præcipua nobis eſt in ſocios compareſque amoris integritas. Invicem excuſamus, ac patimur, ſi quid animorum habitus fortè pugnant, geniique diverſitas faſtidit. Nobiſque iraſcimur, cùm quid in ſocio laudare, aut ferre non poſſumus. Veſtitus, ut intueris, vilis; menſa frugalis; quietis tempora interſtincta vigiliis. Ita domito corpori imperamus; nec (quæ maxima hominibus cura eſt) metuimus vices periclitantis dignitatis aut voluptatum fugitivos & mutabiles vultus, quarum commoda ſpontè neſcimus. Sed quamquam minimo contenti, tamen quæſito labore fatigamur, compertis ocii malis, quo vires non fruſtrà humano datæ generi ſolvuntur, & fit ſenſim deſiderium vitiorum. Itaque quicquid temporis à Numinis cultu eſt vacuum, deſtinatis quiſque officiis colimus. Qui plùs ingenio, & animi luce valent, in contemplationes ſublimium rerum diſtribuuntur, quas deinde ſubjiciant oculis, & veluti ex alto deducant, ad uſum mortalium: Cæteri, quam quiſque natura artem admovet, ſequuntur; ut & ſufficiamus nobis, & alios juvemus. Neque extollendis hæc nobis, ſed purgandis apud te recenſui; ne te offendat noſtræ vitæ inſolentia. Scio enim & quoſdam nova omnia ad rerum publicarum ſecuritatem nimis univerſa ſententia damnare: & paucos annos eſſe, ex quo labentem in deos pietatem hoc crudo vitæ robore ſuſtinere tentavimus.

Jam Archombrotum longior ſermo, & juvenilis im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

patientia ad alia adverterat. Itaque veluti cætera auditurus, eundem myſtam jubet poſtridie Calarim ad ſe venire. Ipſe ad remiſſiora inter ſuos convertitur; qui ex illius vultu pendebant, laudari an traduci præſtaret hos rigidæ virtutis conditores. Ubi tamen ad publicas curas, nocturnum ocium fuit, ſummæ utilitatis res illi viſa eſt, ejuſmodi exemplis imbui populum, & vocari ad deorum reverentiam. Cùm igitur illi myſtæ poſtero mane ex imperio ad ſe venerunt; quatuor ex ipſorum familiâ ſibi dari præcepit, qui Africam illis ſacris initiarent. Confeſtim ex ſenioribus duo, totidem de juvenibus dati. Ac ne Afri contemptu aut odio Sardorum, qui hoſtes modò fuerant, eam faſtidioſiùs diſciplinam acciperent, delecti ſunt omnes externi; Ligures duo, totidemque ex Gallis. Nam ex variis gentibus in eam domum multi conceſſerant.

Omnibus ad reditum comparatis, Archombrotus cùm commodioribus locis impoſuiſſet præſidia, per præconem in concione proclamat, ſe matri Hyanisbæ quæſiiſſe Sardiniam. Id deos annuiſſe, ne utrique ampliùs genti diſcordia Regum in perniciem eſſet. Jure quoque majorum debitam ſuæ ſtirpi Sardiniam tandem fata reddidiſſe. Inde Sardis Proceribus ſecum aſſumptis, iiſque præcipuè qui Reges ſanguine contingebant, tam opportunis uſus eſt ventis, ut triceſimo ex quo abierat die, novi regni [1] infulas fronti matris circumdaret. At verò Poliarchus & id fatum incubuiſſe Sardiniæ gaudebat; & hoc ductu Archombroti contigiſſe cruciabatur; adhuc ignarus quantum ſibi illâ victoriâ eſſet effectum.

CAPUT

1 *Infulas.*] Meton. pro diademate, diadema pro Regno Sardiniæ, quam & matri & ſibi Archombrotus ſubegerat.

CAPUT XI.

ARGUMENTUM.

Gallo milite in Myſtarum veſtem inſuetam vernaculo ſcommate ſatis jocato, unus ex Myſtis, ex panno os canum exerit. Tunc miles jocis in ſeria verſis, reluctantis genibus ſe advolvit, Regem ſuum expreſſis gaudio fletibus appellans. Is rumor caſtra, mox aulam pervadit. Excitatus ad hæc Poliarchus, jamque certior, in collum Aneroëſti irrumpit. Et uterque fatorum ſuorum ſeriem viciſſim evolvit.

FORTE inter milites Gallos qui ſpectaturi reditum Archombroti ſe cum vulgo ſtipaverant in arenâ; quidam avidiùs hæſit in amictu oculis ſuis inſueto, quem ſeveri illi myſtæ à templo Sardiniæ in Africam traducti induerant. Propiùs ergo acceſſit, ſocioque Gallicis liberè verbis, in eas veſtes jocatus eſt. Converterunt illico vultum ad patria verba myſtæ iidem, utpote Galli, in quos joci deſtinabantur; & hoc etiam mirati, in tam longinquâ parte terrarum ſtatim repertos eſſe homines qui Gallicè ſcirent. Alter eorum præcipuè, jam provectæ ætatis vir, cùm de veſte (ea circa totum caput fluebat) ora prompſiſſet, militemque in ſe ludentem, aliquoties tanquam intelligens eſſet intuitus, facilè aſtantibus Gallis ſuſpicionem fecit haud alienæ aut remotæ à Galliâ regionis. Nam & color conveniebat, & oculorum decens vigor; nec corporis ſeſe venuſtè inferentis gentilem habitum pietatis ſimplicitas in totum deleverat. Et hunc quidem magnâ præter cæteros curâ obſervare miles cœpit, qui temerè ludibundus acceſſerat; quia ſtatim ictæ memoriæ viſa eſt illius viri ſpecies, tanquam olim nota, recurrere. Hunc igitur poſtquam in urbem eſt ſequutus, ut conjecturam ſuam aſſereret, jam in hoſpitium intrantem Gallicè ſalutavit; nec alter humanitatis & linguæ commercium abnuens, eum ſalvere quoque juſſit.

Sic tunc quidem diſceſſum eſt. Sed inquieta deinde ſolicitudo totâ nocte militem habuit, interdum objurgantem curam ſuperfluam, ſatiſque mirantem quid ſcili-

cet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

cet ſuâ tantum intereſſet vatum hunc noſſe. Die vix orto repetit Myſtarum hoſpitium; & colloqui iis petit. Sed jam illi ſimulatione ſolitariæ pietatis impetraverant ab urbe ſeceſſum in proximum fanum, quod arcano luco devium erat; revera Gallorum conſpectum vitaturi, quos in Africâ improviſos habuerant. Accendit militem hæc ipſa abſentia, præcipitatoque itinere eos antè deprehendit quàm ad templum pervenirent. Tum verò cùm eos ſalutaſſet; quaſi hoc iter aliorum negociorum cauſa eſſet exorſus; multum, inquit, debeo fortunæ, ô Jovis Sacerdotes, quæ mihi ſic vicinum ad nemus procedenti vos obtulit: ampliùs quoque debebo, ſi quod ominor, ſperoque, populares mei eſtis. Pœnitebat ſenem myſtam quòd ſubito & improviſo errore, ſe pridie Gallico ſermone prodiderat. At ne inficiando faceret altioris rei ſuſpicionem, irritaretque curioſam militis mentem, & brevi colloquio fortaſſe explebilem; ſe quidem Gallum eſſe reſpondit, ſed apud exteros à primâ adoleſcentiâ vixiſſe.

Ita initiato ſermone, cùm ultro citroque perplexæ quæſtiones fuiſſent, magis magiſque fixus in dicentis ore miles exhorrebat ad pridem notos vultus, & à quibus ſæpiſſimè juſtiſſimâ veneratione pependerat. Præter oris argumentum, tenor vocis certam ad fidem cogebat ultrò credere cupientem. Poſtquam verò & notiſſima cicatrix lævâ in manu apparuit, (hanc enim conſpecturus, quaſi in amicitiæ teſſeram myſtâ repugnante amplexus eſt,) victus ingenti ſuſpirio exclamat; ubi verò tamdiu latuiſti, optime Regum? Non omnes tui cives peccaveramus, quos heu! miſeros deſtituiſti. Quis verò iſte amictus? quæ à comitibus ſolitudo? quàm omnia faſtigio tuo indigna! Simul repugnantis genua tenens, flere ubertim cœpit. Ille inſanire militem clamitans, riſuſque & indignationis ſpecie mutatus ad ſocios ſuos faſtidioſe convertitur. Sed & illos iſte militis ſermo turbaverat; in ſententia perſeverantis; hunc Regem ſuum eſſe, hunc Aneroëſtum appellari:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

pellari : non ſe abſceſſurum à latere; deorumque beneficio uſurum, qui tot annis fruſtra optatum ſic denique reddidiſſent. Tum ſenex inter jurgia, fictumque ſtuporem, ſe paulatim ad aurem militis admovit; &, ô miles, ſi tempore, inquit, memoria tua vel oculi labaſcunt, aut aliquâ oris ſimilitudine captus erras, modeſtiæ erit hos pacatiùs ludos movere. Sin Rex tuus ſum; hoc primum civis officium exigo à te, ut ſileas; &, ſi lubet, me ſequaris donec ſoli colloquamur. Tarda erat hæc cautio. Etenim quamvis miles parebat, quidam tamen ex Gallis, & Afris, qui in comitatu erant, novitate erecti, amanteſque rem tantam primi dare in populum, illicò in urbem dilabuntur. Cohortes duæ erant in Poliarchi caſtris ex illarum Alpium gente, cui Rex Aneroëſtus imperitaverat. Illi ſparſam ſubitò famam amplexi, ſub æſtum novitatis nunc ſtupore nunc temeritate reciprocante, tota protinus caſtra mox & urbem, eo rumore implent.

Poliarchus cum Hyanisbe erat, refectis ſcilicet viribus certum diem navigationi in Siciliam conſtituens. Hac conſultatione occupatum Gelanorus dubio inter credentem & aſpernantem vultu adortus: Neſcio, inquit, quid de Rege Aneroëſto inaudio; hunc advectum à Sardiniâ cum cætera prædâ, & quamquam in veſte abhorrenti à cultu regio; tamen à populari milite agnitum eſſe. Excitatus Poliarchus repentino impetu animi in ſpe nimiâ caligantis, reſpondit, ſi vera res eſſet, hos ſe pro parentibus habiturum qui Aneroëſtum reddidiſſent: oppidò vita ipſa charius munus; iiſque ſe debiturum qui viciſſent Sardiniam, non modò quod amici, ſed propemodum dii merentur. Hæc verba Regina avidiſſimè excepit, pro maximo deorum munere ducens, ſi tot nominibus devinctus Poliarcho ſuus Archombrotus, viciſſim ducente fortunâ feciſſet quod juvaret Poliarchum. Porrectiori igitur vultu, & quaſi ſponte gaudentem ſtimulatura, quid accidiſſet rogat; aut quis ille vir per tot vota ſeu quæri

ſeu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſeu reperiri dignus. Omnia Poliarchus compendio amplexus; in primâ pueritia ſe à prædonibus captum docet, ductumque ad Regiam Aneroëſti, qui multos Alpium ſinus tenebat. Illuc ita eductum, optimi Regis curâ, quid in eâ fortunâ & ætate ſenſerit ſorte regiâ indignum. Hinc ſe adhuc parentibus ignotum, belli caſu & fœliciſſimâ captivitate eſſe receptum. Priùs verò quàm aſſereretur in ſuæ ſtirpis decus, & à patre agnitus eſſet, Aneroëſtum ſeditione populari cum duobus quos habebat liberis, ut ferebatur, cecidiſſe in prælio. Sed liberorum quidem corpora inter cæſorum cumulos eſſe reperta; Aneroëſtum nuſquam inventum. quem ſi ſtragi clementior fortuna ſubductum in illum diem ſervaſſet, ſibi tunc demum propitios deos, vitamque ſine exceptione fœlicem contigiſſe. Sed temerè tantillis indiciis ſumma hæc gaudia præcipi; militem decipi poſſe; aut deorum hunc vatem forſitan ambitioſam fabulam ſimilitudini vultûs, ſi qua illi cum Aneroëſto extitit, aptaviſſe. Omnia impigrè excutienda. Plurimos ſecum eſſe ex illius Regis domeſticis; inter eos, quemdam Creſtora, amicorum Aneroëſti præcipuum. Se ipſum, quando valetudo hæc erat, tanquam ſalutandi numinis cauſa iturum ad fanum in quod ille ſacerdos receſſerat.

Hyanisbe ſpei favens, quam ratam optabat, benè de diis ac fortunâ Poliarchum credere imperat; comitemque ad templum ſe promittit. Haud mora, accerſitus eſt Creſtor, olim Aneroëſti familiariſſimus, juſſuſque præcedere, & ſenſim omnia explorare, dum Poliarchus cum Reginâ ad viam ſe comparat. Major erat ſpes, quàm ut Creſtor eam caperet. Sic propior contemnenti, revocatuſque ad lugubrem memoriam chariſſimi Regis, tanquam inutilem provinciam exorſus, cum pauciſſimis comitibus lucum intrat; nec longè à templi veſtibulo myſtas illos adhuc cum Gallo milite, qui rem prior deprehenderat, loquentes conſpexit. Tunc veluti militis affatum peteret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

teret, ſparſos per omnia oculos injecit in Aneroëſtum; percurrit illicò tota præcordia, (ut in magnis & ſubitis ſolet) exultantis ſanguinis acerrima tempeſtas; mox verò de geſtu, ac voce, & cicatricibus, poſtquam Regem haud dubiè agnovit, exſolutis gaudio nervis, ſe ad proximam arborem excepit; cùm nec loqui jam poſſet, nec moveri. Sed nec Aneroëſtus ad illius adventum minùs contremuit. Veteris amici conſpectus blandiſſimo dolore incautum percuſſit. Simul timor eum invaſit, ne à ſuis agnitus ſuaviſſimæ ſolitudini eximeretur.

Aderat interim Poliarchus, præmiſſum ſcilicet Creſtorem, impatienter ſequutus, templumque ſubibat cum Reginâ; cùm oblitus ſui Creſtor, relictis ſtatim myſtis ad eum decurrit. Jamque ſatis quid afferret perplexo anheloque gaudio oſtendens; habemus, inquit, Aneroëſtum, habemus Regem veterem meum, tuum alumnum. Ipſe eſt; ipſe, ne dubita. Pergiſne ad illum, Rex? an protinus tibi hunc ſiſto? Nihil moratus Poliarchus quà Creſtor monſtrabat ſe contulit. Sed Aneroëſtus ſe interim arctam in ſemitam, quâ devius maximè lucus erat, conjicere moliebatur; eum diem latere ſi poſſet, per deſerta, & gentes ignotas, alia templa deoſque alios petiturus: invitabatque militem, ut ſibi tanquam Regi morigerus eſſet, aut comitaretur fugientem, aut hoc furtum ſuo ſilentio ſanctum haberet. Miles quidem repugnabat; adhucque in eâ rixâ erant, cùm acceſſit Poliarchus, nihil penè jam dubitans, quin verè Aneroëſtus eſſet. Ut tamen ad illum pervenit, quia ingens multitudo coiverat; & turbatiſſimus ſenex nunc ferebat hunc tumultum, aliam veniendi cauſam commentus eſt. Lætor, inquit, Gallicam pietatem exteris quoque gentibus eſſe illuſtrem. Ego deos, Antiſtes, tuâ operâ exoratos mihi volo, ut ad ea quæ animus deſtinat, propitii adſint. Veni ſodes ad templum hoc, quæ vota vel ſacra magis è re meâ exiſtimes commodiùs monſtraturus. Exanguis illicò Aneroëſtus ſequebatur trahentem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

hentem. Nam Poliarchus ejus lævam corripuerat. Anguſtum erat fanum, armatique ad fores cohibebant avidiſſimum vulgus. Hyanisbe cum ſuorum præcipuis jam ſtabat in teſtudine; quò poſtquam & Poliarchus cum Aneroëſto receptus eſt, eoſque ſequuti ad quadraginta circiter viri, ſtatim de imperio Poliarchi clauſum eſt limen. Eò acrior vulgi militumque expectatio increvit. Populus ab urbe decurrerat; vix in caſtris ſervabantur ſtationes. Sic ambitum omnem templi confertiſſima corona circumdedit. Sive tamen reverentia Regum, qui intus conſederant, ſive perplexæ rei ſubita magnitudo, adeò circumſtantium voces licentiamque continuit, ut ad ea quæ intus agebantur, ſatis quies & libertas ſupereſſet Principibus.

Jamque rem ordiri Poliarchus altiori ſermone parabat, cùm Micipſa ab Archombroto ad Hyanisbem venit. Is quippe hominum tumultu excitus, nec jam procul à luco, optabat tantæ quæſtioni adeſſe, ſi Poliarchus pateretur. Mora in Poliarcho non fuit. Nam & ipſe quicquid erat hoc gaudii ex illius habebat victoriâ. Dilatâ igitur quæſtione opperuere adventum Archombroti; quo inter ſepta admiſſo, ita ad Aneroëſtum Poliarchus; quod nomen tibi eſſe, vir optime, parentes voluerunt? aut quæ cauſa à Galliis in Sardiniam commigrandi? Ita effuſiori principio utentem, ſpontè Aneroëſtus ad deſtinatam quæſtionem coëgit. Nam & conſtantiam motu primo excuſſam receperat; & non Creſtore tantùm, aut milite, ſed aliis illic multis videbat argui ſuos vultus, ſi ſilere, aut negare obſtinaviſſet. Qui, ſis, inquit, hauddum ſcio; niſi quòd ex purpurâ intelligo Regem eſſe: & lingua eſt qualis in Galliâ genitis ſolet. Amicum te eſſe exiſtimem; quòd videam te amicis quondam meis hîc uti. Nam & Creſtora, & Simplidam agnoſco, familiares utique meos. Igitur, ut amicum, liceat per deos exorare, ut abire me ſinas quò deſtino. Sed ſi fortè me odiſti: quid vis ultrà ſupplicii?

plicii? Regnum amiſi, nec repeto: ſpontè exul, ne vel inimicis officiam. Placet egere; & num velim ignorari, ipſi ſciunt per quos hodie repertus ſum. En me priſtinæ ſortis oblitum; adhuc ingere graviora; præter deûm iram nihil eſt quod recuſem. Sin præterea non putas, aut non tibi expedit eſſe me Aneroëſtum; ne time. Sinas modò ad ſolitudines abire. Ubi nemo ad verum coëgerit, Aneroëſtus non ero.

Hæc modeſto, ſed grandi ſupercilio dicentem, nemo immotus audierat. maximè ubi Creſtor manu illius ſublata prodidit cicatricem, quam ex vulnere ſuperfuiſſe Regi Aneroëſto populares meminerant. Ipſe quoque Poliarchus repetebat oculis vultus ſibi puero toties viſos. Etiam aures, quamquam diu deſuetæ, redibant ad familiarem olim ſonum; & pietatis tenerrimo ſenſu trepidum pectus lababat. Nondum tamen ſe confeſſus, exegit ab Aneroëſto, cur patriâ exceſſiſſet, cur latêre, cur ſqualere ſic vellet. Tum ille. Nimis heu ſciunt mei, quorum & aliquot iſthic aſpicio, quo me turbine fortuna everterit. Furore malorum civium ad arma excitus ſum. Auſi illi aciem in me educere; & filii mei (nam duos habebam, tunc primum florem adoleſcentiæ ingreſſos) dum incautius pugnant, ambo pro patre, & in oculis patris occubuere. Perire & ego tunc poteram, ſi fatum fuiſſet. Sed opinor mens deûm in fugam me compulit. In proximo ſaltu delitui. Hinc converſus ad externa auxilia, perpetuo montium dorſo ad Ligures ſum delapſus. Illic enim validiſſimæ gentes mihi omnis fortunæ ſocietatem promiſerant. Per has regnum repetere animus fuit. Cùm deſcendiſſem ad proximum mare, [1] petiturus illam eximiam à Jano conditam urbem, ignotus in obvium intravi navigium. Sed nos venti in Sardiniam rapuere; dumque nautæ in anchoris

1 *Petiturus illam à Jano conditam urbem.*] Forte Janiculum, vel Antium, in quo ſitum erat Fortunæ templum, ut ſupra.

choris morantur, templi fama unde nuper advectus ſum me ad exorandum Jovem traxit. Illic verò & locorum ſpeciem admiratus, & ſacerdotum vitam; deponere omnes curas conſtitui; jactatuſque humanis tot cladibus, tandem deos experiri. Nam cur patriam amarem tot meorum ſanguine perfuſam; rurſuſque non hoſtium magis quàm ſociorum mihi cruore parandam? Cui ſceptrum deinde relinquerem? aut quid dulce in vacuâ domo? Duos omnino genueram; tertium olim fortuna tradiderat, non infra liberorum charitatem acceptum; quem de avi nomine Scordanem vocaveram. Mi pupe, ſi ſaltem ſupereſſes, ego te in ſanguinis jura adoptione promotum Regem facerem. Tu aleam belli, tu caſus, tu labores lenires. Sed ille diu antè & omen & initium tot malorum, dum Gallos qui Rhodanum incolunt bello laceſſimus, præda hoſtibus fuit; & amiſſi memoria non deinde mihi diem moleſtiarum exortem reliquit.

Sic dolenter hos caſus referenti, non ampliùs poterat Poliarchus ſolatia differre; ſed collectis diu lachrymis ſubito madens, ſe in illius collum projecit; paulumque cunctatus ne vox ſuſpiriis enervis abiret à majeſtate; ô optime pater, inquit, ſeu te mavis dominum vocem, ſi tibi Scordanem habere tanti eſt, en illum tibi reddo; tu eo fruere, tu redi ad vitam. Ego Scordanes ſum. In hanc vocem fixis uterque ſed inutilibus oculis dulciſſimo errore elanguit. Par cæterorum admiratio erat alto ſilentio marcentium, ut nil loqui aut quærere vacaret. Hærebant omnium animi, paratos, ac veluti exertos affectus, quacunque Poliarchi & Aneroëſti colloquia juſſiſſent impenſuri. Denique Aneroëſtus. Ut Scordanes ſis? ô Rex? Ut Scordanes, inquam, meus? Ut vivas, ut imperes, ut teneas Aneroëſtum? Dii boni! ſed quo pignore affirmatis veſtrum hoc munus? At Poliarchus; vides præterea, inquit, tuum deorumque illorum ultorem, quos in te pellendo improbi cives violaverunt. Oppetiere nefarii, aut

acie,

acie, aut lictorum ſecuribus. Illis ego prædam eripui; tuoque regno potitus ſum; quod nunc tibi incolumi, pater, reſtituo. Quibus viribus quæris tantum in hoſtes potuerim? Britomandis filius bellum hoc geſſi. Nunc & paternum imperium (dii enim meum nuper parentem ſibi ſociaverunt) tibi trado. Tibi ego, tibi Pater, ſecundus ſim. Tibi obſequi glorioſius erit, quàm cæteris imperare.

Novo ille gaudio refectus, ſæpiuſque ad deos votis & luminibus rediens, amplexus eſt Poliarchum. Jamque & Hyanisbe acceſſerat, & Archombrotus Aneroëſto reperto deos faventes, ſuamque victoriam, gratulabatur. Nec abnuebat Poliarchus tantum ſibi hoc caſu præſtitiſſe Archombrotum; quantum is ipſi, Radirobanis morte. Creſtor ac Simplidas, cæterique, ut licuit, Aneroëſto admoti, non oſculis, non alloquio explebantur. Supra omnia jactante ſuam operam milite, gaudioque & ſpe præmii feroce, qui Regem prior agnoverat. Sic diviſus in multos vix tandem ad Poliarchum Aneroëſtus redit. Ambo mediam Hyanisbem excipiunt. Archombrotus, proximus matri, præibat. Ita templo digreſſi, per militum & populi cuneos viam ægrè moliti ſunt. Adeò dum officio omnes certant, dum cernere aſpicique concupiunt, nulla viarum libertas ſatis explicat ab urbe caſtriſque proruentes. Nam & illi in quorum rem nihil erat ſeu Aneroëſtus, ſeu Gallia, tamen ſive adulaturi lætiſſimis principibus, ſive ſponte in immodicam hilaritatem proni à ſalutatione plauſuque non ceſſabant.

CAPUT XII.

ARGUMENTUM.

Eo quod Deus exiſtat, iſque ſanctus ac ſcelerum vindex: inde infert Aneroëſtus nil antiquius eſſe debere, quam à vitiis declinare: alia autem nobis inſita ſunt, alia ab aliis in nos incurrunt: priora tollit ſolitudo clauſtri, ubi ſuis alimentis deſtituta exſpirant. Hic alia quoque tolluntur, cum exemplo plures quàm ingenio peccent, hoc maximè ævo quo in gloriæ titulis ponitur ipſa peccandi audacia, timidique & inepti gerendis negotiis reputantur ii, qui Deo obſequuntur. *Subjicit familiaria Regibus vitia, qualia ſunt: Vicinis gentibus diſſidiorum ſemina jacere; ad ſecretorum proditionem ſollicitare: vulgi incommoda non curare, ſi bello utiles viri ea intulerint, aliaque Machiavelli conſilia. Fortium eſſe ſancto virtutis fræno fortunam regere egregiè probat Aneroëſtus.*

UBi in Regiam venerunt; affuere ex Poliarchi imperio, qui regio indumento Aneroëſti paupertatem mutarent. Sed ille nunc tenere ſuam veſtem, nunc purpuram manu repellere; mirantique & multùm obteſtanti Poliarcho, ut mœſticiæ inſignia poneret, negavit ita de ſe meritos eſſe deos, ut ab illorum familiâ abiret. Benè ceſſiſſe, quod is regno ſuo potiebatur, quem omnibus votis heredem optaſſet. De cætero, rurſus nolle impacatis negociorum fluctibus exerceri. Ne ſibi pretioſiſſimam paupertatem eriperent; aut crederent rebus ſuorum inutilem eſſe, qui familiariùs ad acceſſus deorum promotus, eos amicis conciliaret. Multa hæc & ſeria optimi ſenis ad vitam obſcuram pertinacia, confeſtim variis ſermonibus præbuit cauſam; dum illi conſtantiam laudant; hi verò mirantur quid ad deorum cultus faciat tantus rigor in moribus. Nam nec deerat argumentis Poliarchus, quibus Aneroëſti hæc auſtera incuſaret conſilia, revocaretque cunctantem ad aſſuetas Regibus curas. Aneroëſtus omnium voces (plures enim eadem ſuadebant) excipiebat patientiſſimo ſilentio; adeò ut crederent multi hæc ad animum pervenire gaudentem expugnari. Ita diu cunctatus, ſive ut omnia quæ ingerebantur unâ oratione everteret, ſive ut interim dato ſpatio ornaret defenſionem, mereretur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

returque audiri pari omnium pace; vultu tandem modeſtè ſublato in hunc modum exorſus eſt.

Summam aliquam eſſe mentem, quæ omnia condiderit, ipſa lex Solis nunquam exerrantis ab orbitâ, tum Lunæ & cæterorum ſyderum ordo, totiuſque naturæ ingenium, ſatis hominibus perſuadet, quos nec ſapientiæ ſuæ ſuperba opinio, nec brutis animantibus pejor negligentia cæcavit. Putes autem ſanctum hoc Numen, à quo tot ſunt eximia, Deum, inquam, qui omnium origo virtutum, fas rectûmque mortalium animis ingeneratâ ratione præſcripſit; iis vitiis delectari quibus paſſim naturam corrupimus? Non poteſt hanc quam cernimus legem naturæ dediſſe niſi juſtiſſimus author; Juſtus autem ille non erit, ſi feret abire impunè tot ſcelera. Ubi igitur amor recti, & ambitus ineundæ cum diis amicitiæ, ſimulque cœleſtis iræ timor, tetigit animum; nihil illi antiquius eſſe debet, quàm recedere à vitiorum periculis jam tot mortalium exitio infamibus. Ea verò pericula partim nobis inſita habemus, partim ab aliis in nos incurrunt: Et in hæc omnia efficaci remedio, iſtam ſolitariæ ſeveritatis religionem invenimus. Primùm enim cupiditates immodicæ, quibus ipſi nobis ſumus infeſti, ſic in hoc genere vitæ fracto impetu exarmantur, ac ſi feris manſueſcere edoctis, dentes quoque & unguium aciem ſubtraxeris; ut neque deinde ſi in naturam redierint facilè poſſint habere quo ſæviant. Nam deſiderium voluptatum contrario ſeveritatis uſu ſuam pertinaciam apud nos dediſcit; & ſi veluti ex cinere illa flamma reſurget, nihil tamen in egenâ ac veluti agreſti domo effecerit, in quâ deſunt ſuperfluæ inſtrumenta luxuriæ. Aviditatem quoque fruſtratur ſimpliciſſima paupertas; & ad ſuperbiæ ſtimulos erubeſcit ſqualida vita, & ſe ipſam deſpiciens. Sic illa, ſic cætera mentium mala, ut eſt ira, invidia, timor, audacia, in hoc ſancto rigidoque ſecreto, tanquam deſtituta alimentis incendia, expirant; præſertim ubi mens vitiorum jugo ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

go excuſſo ſibi ipſa ſe reddidit; timidæque cupiditates, & aſſuetæ parêre, priuſquam aliquid velle auſint aut nolle, conſulunt rationem. Eo modo, qui nobis acerbiſſimi ſumus hoſtes, reciſo aut correcto effrænis naturæ impetu, ad ſanam utilemque virtutem adigimur.

Venio ad hæc tela quæ in nos ex aliorum hominum contagione comparantur, ſæva illa, & nimiùm certa; ſiquidem plures exiſtimem exemplo quàm ingenio peccare. Quia morum conſortio placere amicis cupimus; rarumque eſt diu vivere cum improbis, nec de vitiis primùm molliùs ſentire, mox & illis infici. Superbiam, aliorum ambitus accendit; contentionem ad opes, cæterorum aviditas. Fraudibus appetitus, animum antea fortè inſontem, ne inultus ſis, ad fraudes applicabis; & ex hoſtium in te odio diſces odiſſe. Cùm præterea multi in virilis gloriæ titulis ponant ipſam peccandi audaciam: timidoſque, & gerendis rebus ineptos, eos exiſtiment qui diis obſequuntur; illius opinionis metu haud pauci aſſueſcunt peccare; magis ſcilicet ut illis probentur quibus virtus eſt vilis, quàm quòd ſint vitia apud ipſos in pretio. Hæc autem omnia à domeſticis ſuis ſubmovet familiæ noſtræ integritas, in quâ, ut paucis abſolvam, contagionem improborum vitamus, & præter ſuſpicionem ignaviæ timere deos licet.

Sed ut preſſiùs ad me accedam; quoties ipſa fortunæ negociorumque malignitas, Reges ac Principes viros ſummis illecebris, præmiiſque invitat ad peccandum? maximè cùm ea occurrunt, in quibus illud quod æquum eſt videtur diſcrepare ab eorum gloriâ, aut ſecuritate regnandi? tunc quidem ſimulare, ac fallere, & diſſentire à ſuis utique verbis, egregium in Regibus putatur; quaſi dii quam ipſis impoſuere mortalium regendorum provinciam, ſine ſubſidiariâ vitiorum ſcelerumque cohorte adminiſtrari non poſſe voluerint. Nunc vicinis & immeritis gentibus ſubjicere diſſidia amant; ut occupatis & infœlicibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

licibus aliis, ipſi certiùs vacent: nunc ſociorum Regum amicos largitione ad ſecretorum proditionem ſolicitant. Quid mulctare interdum in cautionem innoxios, quaſi crimen ſit poſſe peccare? quid vulgi negligere injurias, ſi bello utiles viri eas intulerint? Ea omnia qui ſagaciùs fecerit, adeò famæ plus comparat, ut vel ex iſtis qui adſunt multos mirari exiſtimem, quòd hæc tanquam injuſta, diiſque inviſa, perſtrinxerim. Atqui illa mihi grave regnum fecerunt; non tunc quidem cùm ipſe regnarem, eademque peccarem, aut paria; ſed ex quo caligine utilitatis & conſuetudinis excuſſa, jam veluti ſequeſter nubem miratus ſum unde evaſi. Ignoſce, Regina, tuque mi fili. Veſtram ſortem non damno. Fortium eſt, veſtrique ſimilium, ſancto virtutis fræno, regere nimiæ fortunæ, & exerrare conantis libidinem. Sed ego debilior timeo illis turbinibus impar eſſe. Neque verò purpura ſola iis periculis infeſta eſt. Omni ordini, omni penè ætati vitia inſidiantur; ingenſque in cuncta remedium eſt à noſtrâ diſciplinâ, quæ jubet ea pro vilibus habere propter quæ alii peccant.

Poliarchus tam inſuetam rigidamque ſapientiam nondum probans, interpellat dicentem. At ſi te, inquit, optime pater, omnes audimus, deerunt oppidis cives; non arva exercebit agricula; non nauta, non vector ſingularum commoda regionum mutatis mercibus pervulgabit in cæteras. Deerit artibus cultus, quaſcunque non neceſſarias hominibus eſſe veſtra ſeveritas putabit. Sola erit in veſtris deſertis frequentia; ac quoniam connubia reſpuitis, unius ſeculi genus humanum. Aſſentiebatur Poliarcho Hyanisbe; multique, tanquam publicam cauſam agenti, vultu & oculis favebant. Sed Aneroëſtus, quaſi in ſe ſeductus; mox frontem hilariùs porrexit; ut eum ſcires parum Poliarchi argumentis moveri. Si quem verò ex iſtis qui nos audiunt (ait) animus ſubit experiendæ ſuavitatis quam habet noſtra auſteritas, ne illum, ô fili, ar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

gumenta tua deterreant, neve ſuo cœlibatu credat ſolitudinem quam times orbi inducere. Ultrò nobis accedat. Adhuc populis proletarii ſupererunt; adhuc artificia vigebunt; reſtabuntque non modò quot ſat erunt urbibus terriſque colendis; ſed etiam quos exuberante hominum genere fata gregatim [1] aut vehementi Sirio, aut terrâ movente, aut denique bellis exhauriant. Deſine, inquam, vereri, ne toti hominum generi deſiderium veniat ſe in diſciplinam noſtræ Philoſophiæ dedendi. Dii enim hoc beneficium magis habent eximium, quàm ut illud tanto populo indulgeant; nemini autem abſque eorum impulſu venire hæc rite mens poteſt; nemoque in eâ, niſi iiſdem juvantibus, durare; quia defecti animi ſuavitate humanâ (quam nos ſcilicet omnem abjicimus) tanquam ab exoſa cruce diſcederent, abſque arcano paſtu eſſet divinæ voluptatis. Ut verò non aliis quàm in legitimam lectis militiam numerat Imperator ſtipendia: ita Superi iis ſolis quos ad hoc vitæ genus ipſi accerſivere, hanc guſtationem promunt ſolidæ ſuavitatis, & ad conſtantiam valituræ. Si quis igitur non tam ſibi propitius quàm fortunæ iratus (quia forte non ſpes illi, aut ambitus, ſucceſſit) noſtrum portum turbulento petit ingenio, in quo ei impunè liceat indignari querique de fatis; hunc ego niſi certâ Deûm ope exuat hos affectus, nec fore conſtantem in diſciplinâ auguror, & plus mali invecturum noſtros in mores, quàm boni in ſuos. Præterea, qui levi impetu, (qualis ſæpè adoleſcentum eſt) ex quadam inconſultâ teneraque imagine quam de virtutis præmiis concepere, ad labores noſtros accedunt, illi, ut librata fundis ſaxa, primùm quidem in his ſtudiis immodicè fervent, mox ceſſante machinâ mirantur ſe languere. Præter ſtimulos pietatis, metumque deorum, rationis,

forti-

1 *Aut vehementi Sirio.*] Nimio æſtu & peſtilentiâ; nam Sirius eſt ſtella, quæ videtur in ore canis cœleſtis, & quæ ſoli conjuncta æſtum duplicat, dictus eſt Sirius, ἀπὸ τοῦ σειραίνειν, à Siccando; ingentes morbos æſtus iſte parit.

1 *Puta*

fortitudinis, patientiæ res eſt; quæ omnia cadunt in paucos. Non veſte quam gerimus, non nomine, non domo, conſtat noſtra diſciplina, addo nec laboribus corporis; quos haud rarò graviores avaritia vel ambitus imperat, aut in damnatis exigunt metalla vel remi. Sola eſt animi ſimplex ac hilaris in deos propenſio, quæ hæc omnia conſecrat, inutilia alioquin, aut ſæpe profana. Quippe abjicere divitias, à dignitatibus recedere, prohibere ab animo inquietas humanarum rerum curas, magnæ demum virtutis eſt, ſi hæc fiant conciliandorum ſibi numinum cauſa. At ſi quis ab honoribus aut divitiis abit, ut ea jactetur reliquiſſe, vel ut ad majora perveniat; ſi quis negocia effudit ut torpeſcat in ocio, aut de paupertate ſe jactat, quam minantem ideo ſponte prævenit ne neceſſaria videretur; illum quidem fraude nihil profuturâ vel hominibus vel etiam diis imponere velle exiſtimo.

Non igitur omnes, fili, ad hanc Philoſophiam compello. Nam pro ingenti mortalium numero, pauci omnino volent ſectari vitæ noſtræ reconditam fœlicitatem, & ex his ipſis adhuc quoſdam ſuo, non deorum conſilio nixos, aut fruſtra aut cum pernicie illam viam inſtituros denuncio. At omnibus ſaltem bonis precari me dices hanc mentem, ut à rerum civilium tumultu ad nos ſecedant. Ne id quidem mihi in votis eſt. Quis enim pia bella improbis inferet; quis Rempublicam geret; at unde impotentibus vitiis frænum; ſi omnis ſe virtus ita in ſolicitudinem ac paupertatem det, ut fracta & abſens, non viribus aut pudore ſceleribus impiorum poſſit obſtare? Magna eſt provincia, quam dii illis deſtinant, quos ſorte naſcendi, vel ſecretis ſtimulis, jubent, non fugâ ſed bello in vitia certare; neque cupiditates enecare, ſed regere. Tales viros & eſſe, & honoribus frui publicè intereſt; tum ſacris præſidere, tum fieri patresfamilias, impiiſque in hoc terrarum orbe miſtos, temperare illorum audaciam in deos, numinumque in mortales ſæva conſilia. Ut cæteros

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

hîc omittam; quid ſapienti Rege fortique præſtantius? Si exemplo, ſi legibus emendabit ſæculum, ſi ad deorum cultum ſuo exemplo cives adiget, quantò fœcundior virtus hæc erit, quam ſi in ſolitaria ſanctitate ſeneſceret? Cur igitur majorem hanc palmam ipſe à diis non expetam quæris? Quia arcano ſenſu admonuere me conſilii ſui, ut ſenectutem meam oblectem ſuâ pace, nec de regno jam curem, quod non præter eorum arbitrium amiſi; ſed hodie maximè viſi ſunt, hanc mihi quam amplector ſolitudinem imperare, poſtquam, ô fili, in te relatam intellexi mei regni, domuſque fortunam. Tanti heredis quem dii ſpontè tribuerunt auſpicium facit, ut quod regnum in hunc libens deponerem, non ſuſtineam ab eo recipere.

Scio quid præterea dicturus ſis, optime fili: ſi à negotiis abhorreo, ſi templa nunc tantùm, & victimæ, & cæteri deorum cultus placent; at in tantâ tuâ fortunâ ſervorum greges fore, qui maneant meos nutus; qui lectulos ſternant, qui convivia parent, & euntem ſtipent ad templa. Illas autem divitias nihil periculi aut turbidi habituras, quia dum ſoluto animo diis vacabo, tu in ſolicitudinem ſuccedes, illique præterea quos præpones familiæ meæ. Ne ſic quidem mihi perſuadebis abjicere inopiæ libertatem. Nam ut abſit hæc cura parandi aut ſervandi divitias; certè alia mala ab opulentiâ abeſſe vix poterunt. deliciarum conſuetudo, corporis blandiens cura, pietatis quaſi ſuperfluæ oblivio; tum illi affectus, qui ſerie juncti divitiis hærent, ſibi eſſe in precio, alios tanquam ex ſolio deſpicere, nullam ferre injuriæ imaginem, & aſſenſu eorum corrumpi, qui adulationis præmia quærunt. Nec facilius putem admiſſis opibus cæteras cupiditates excludere, quàm in concitato mari, ſe rapidiſſimo alicui fluctui permittere; ſed in alios nolle devolvi. Cùm igitur quod reliquum eſt vitæ, donare deorum cultui ſit animus, liceat infeſtam huic conſilio opulentiam fugere, ne ſuo utique guſtu, eorumque affectuum quos perpetuò comites

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

comites habet, captæ & impari menti vitia reponat, graveſque cogitationes & fruſtra in ſydera conantes deducat in terram. Quid miraris me ad paupertatem reſpicere, non quidem in quâ egeam, ſed parvo contentus ſim? quæ neglecto corpori inducat ſui contemptum? quæ vacuo animo libertatem faciat cœleſtis commercii? ac ne me tuæ gloriæ ſalutiſque incurioſum exiſtimes, quæ tibi, tuiſque exercitibus, fili, propitios deos paret?

Tam ſeveram orationem adeò miti & compoſito vultu habuit, ut conſtaret non hanc fingi conſtantiam, à quâ cuperet cogentibus amicis diſcedere. Omnibuſque non adumbratam virtutem veriùs, ut ſolet, colentibus; ſaltem, inquit Poliarchus, noſtrum in Siciliam iter ne deſere, ô Pater. Te Dii verebuntur. Seu mari, ſeu terrâ, fœlix auſpicium facies. Ubi in Galliam redierimus, ſpondeo quo placebit inſtituto te victurum. Et id quoque patriæ debes, ut hanc potiſſimùm tuo exemplo facias meliorem. Parum moratus Aneroëſtus, id ſaltem flagitanti non negavit. Ad convivium deinde ab omnibus itum. Jam enim patientior Archombroti Poliarchus, cum eo apud Hyanisbem cœnavit; ſatiſque viribus inſtauratis, diem cum Regina ad profectionem deſtinavit, qui poſt eum ſecundus luceſceret.

CAPUT XIII.

ARGUMENTUM.

Poliarchus & Archombrotus ad Siciliam navigationem adornant. Hos Hyanisbe ante ipſas fumantes aras ad ſacramento firmandum adigit, nil ſe pactis induciis prævorſuros.

SCRIPSIT igitur Hyanisbe promiſſas ad Meleandrum literas, filioque commiſit, cum arculâ quam à peiratis eripuerat Poliarchus; identidem admonens, ut hanc inſtar fatalis ſarcinæ cum curâ ſervaret, offerretque Meleandro.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

leandro. [1] Puta autem (inquiebat) Erichtonium tibi tradi à Pallade. Si vincula reſignas, ſi quid feras intueris, fortaſſe te perdes, & operam meam. Sin trades Meleandro arcam intactam, videbiſque ex eâ depromi fœlicitatem tuam, æquum erit te Regi Poliarcho habere gratias, qui latronum ſcelere amiſſam reſtituit. Agitatum deinde eſt, an unâ triremi vehi uterque poſſet. Sed majeſtas, & æmulatio, ſecuriora flagitabant conſilia. Tutius viſum, diſtinctâ quoque claſſi ire utrumque: ſed qui prior appuliſſet, alium in portu expectaret. Inde ambo ſuſtinerent conjuncto comitatu proficiſci ad regiam.

Interim nomina atque officia familiis Regum aſſueta Archombroti domeſticis imponebantur. Ipſe majeſtatis inſignibus cultus eſt, appellatuſque à matre Sardiniæ Rex, ne dignitate inferior æmulo eſſet. Memor quoque Hyanisbe ſe Gallorum fortitudine eſſe ſervatum, diſceſſuris Poliarchi militibus numeravit viritim donativum. Edicto deinde diſceſſu nulli ordines aut homines ceſſabant. Maurorum Procerum multi, Principem comitaturi impleverant rates. Siculi qui cum Archombroto venerant, laborabant inter ſe factione. Multis enim priſtinus in Poliarchum favor redierat. Inclyta virtus, paulatimque vulgatum ſub Theocrines nomine robur, & facti ad gratiam mores, valebant tunc maximè cùm eum Regem aſpicerent. Rurſus quod & ipſe Archombrotus virtutibus famâque erat clariſſimus, quodque ejus auſpiciis à Siciliâ venerant, pudore onerabat tranſituros ad æmulum. Nam affinitas cum Argenide, quæ potentiùs quàm cætera traxiſſet obnoxios, in incerto ſic erat, ut paſſim moderarentur affectibus; eſſentque in adverſam factionem clementes, ne ſi ea vinceret, excuſationi & gratiæ locus deeſſet.

Erat

1 *Puta Erichthonium tibi tradi.*] Hanc ciſtellam ne curioſe inſpexeris, ſed arcanam habe, non ſecius quam Erichthonium, qui à Pallade matre creditus eſt Aglauro & ſororibus in ciſtella reconditus cum mandato, ut ab hujus abditæ rei curioſa inſpectione caverent. Ovid. Metam. 3.

1 *In*

Erat vetus [1] in littore ara; incertus quis Regum poſuiſſet; pollebatque religione, quam tot ſecula auxerant. [2] Illic Neptuno, ventiſque, aut thura pauperes nautæ, aut victimam ſolvebant, ſive in mare irent, ſive terra recepiſſet incolumes. Ad eam Poliarchum & filium jam claſſem petituros, coëgit Hyanisbe; nec dubito, inquit, utrique ad ea quæ mihi promiſit integram fidem fore. Sed de præteritis tantùm jurgiis hactenus cavi; ſcio verò quàm facilè cupidis belli principibus ea eveniant, quibus ſoluta eſſe induciarum pacta aut jactent aut credant. Præterea veſtrorum amicorum aut militum culpâ, oriri poſſunt novæ injuriæ, neque iſtis comprehenſæ induciis. Si quid erit hujuſmodi, ego vos per ſanctiſſimam aram dei, cujus regna jam ſubitis devinctos hic cupio, ut illa nova annumeretis veteribus, quorum ambo vindictam mei cauſa diſtuliſtis; neu quis turbo fœlicitatem præcipiat in quam ego vos mitto. Agite, chariſſimi juvenes, & mulieri veſtra cauſa anxiæ hanc veniam date. Interim paribus votis utrumque commendabo numinibus. Nam ſi rationem poſſum inire, cui plùs timeam, deos veneror ut mandata mea neuter accuret, aut ſoſpitem deinde aſpiciat. Victi ſunt tam ingenuo amore, quodque illa jubebat ad aram ſanciverunt. Tunc utrumque illa amplecti, & nunc uni nunc alteri per littoris ſpatia ſe jungere, plurima & ſæpe eadem monens, nec ſatiata abeuntium vultu, ſalutatos juſſoſque valere, iterum revocato ſermone morabatur. Neque illi ad tot ſuſpiria immoti reſtiterant. Aneroëſtum quoque cum Poliarcho navigaturum Regina anxiè monebat, ut in eam firmandorum fœderum curam ſuccederet. Nihil illi Poliarchum, nihil negaturum Archom-

1 *In littore ara.*] More Argonautarum. Appollonius l. 2.

Τὰ δ' ῥέξομεν οἷα πάρεστι βωμὸν,
Βωμὸν ἀνασήσαντες ἐπάκτιον.

2 *Illic Neptuno, ventiſque.*] Homer. Odyſſ.

Ῥέξας ἱερὰ καλὰ Ποσειδάωνι ἄνακτι,
Ἀρνειὸν ταῦρόν τε, συῶν τ', ἐπιβήτορα κάπρον.

Et Virg.

Nigram hyemi pecudem, &c.

3 *Euro-*

chombrotum. Tanquam patrem, deorumque interpretem, eum utrimque valiturum. Quàm ſæpè mortales, & maximè juvenes, ad ſalutem compellendos. Denique cogitaret, maximum ſibi [1] Europæ Africæque depoſitum creditum eſſe. Aneroëſtus ſolicitudine Reginæ laudatâ, ſe illius quidem, & juvenum, ſed deorum maximè cauſa, hanc provinciam curaturum promiſit.

Tandem hoſpitali officio datum, ut prior Poliarchus ad naves deduceretur, etiam comitante ad undarum confinia Archombroto. Cæſæ de more tunc victimæ, [2] quarum exta poſt rogatam Neptuni, deorumque qui maris potentes ſunt pacem, ambo duces primos in fluctus projecerunt. Tunc & ipſe Archombrotus in prætoriam ſuam ſcaphâ delatus eſt. Strepebant longè littora voce nautarum, rudentumque gemitibus, & pelagus eruentibus remis. Addebat & claſſicum miles, per opportuna navigiorum loca in pompam diviſus. Dubitabat Timonides lætari deberet, an dolere, quòd legationis onus tunc reditum ſibi prohibebat in patriam. Certè enim futura illic omnia ſciebat ſummo in motu; quali tempore in fortunâ eſt an præſtet abeſſe an miſceri tempeſtati. More tamen humani ingenii, cum utrumque eſſet intutum, maximè redire placuiſſet; non alia magis cauſa, quàm quia non licebat. Cæterum induciis ritè ſervandis, inter Reges convenerat, ut ſi qui Gallorum in fœdera peccarent, Archombroti arbitrium eſſet; ex illius etiam comitatu noxam eandem quicunque meruiſſet, de eo Gallorum eſſet judicium. Ne confuſa denique claſſe irent, partiti ſunt maria; pauloque interior Archombrotus navigavit; Poliarcho curſus apertos, & ne obſtaret Archombroto, nimium

1 *Europæ Africæque depoſitum.*] Galliæ & Mauritaniæ Reges Poliarchum & Hyempſalem & Archombrotum.

2 *Quarum exta in fluctus projecerunt.*] Ovid. Metamorph. lib. 2.

Inque Deos pelagi vino ſuper æquora fuſo
Et pecoris fibris, &c.

Ut Virg. Æneid. 3.

——— *Extaque ſalſos*
Projicit in fluctus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

mium æquoris permittente triremibus. Erat ex Siciliâ Poëta, qui diſceſſuris Principibus breve hoc carmen cùm tradere vellet, à Timonide eſt prohibitus; quia illis verſibus de eorum inimicitiis meminerat, quarum memoriam ſic objici inconſultum videbatur.

Cærulei fluctus, aſſuetaque flamina curvis
Horrendum iraſci ratibus; nunc parcite raucis
Nunc animis: Tantùm liquido quâ tramite fines
Quæruntur Siculi, placidis Notus ingruat alis.
Non cùm Theſſalicæ primùm de margine ripæ
[1] *Semideos Argo vexit trans cærula Reges,*
Tantus honos puppi, tot credita fata procellis.
Europæ Libyæque deos cerno æquore toto
Omnia ſolicitas partiri in munera mentes.
Hi puppes, querulos alii torquere rudentes
Adproperant; alii roſtris venientibus æquos
Subjiciunt fluctus auraſque ad carbaſa ducunt.
Præcipuè niveo latè ſubnixa volatu
Pax Jovis imperio verba inter talia pontum
Mulcet, & alternis claſses amplectitur alis.
Eſte deûm juſſu mites vectoribus undæ;
[2] *Tuque ferox ſanctas Diſcordia ſpargere bello*
Non auſis ſperare rates. Satis arma cruorque
Hactenus, & dubiis pulſata timoribus Aula.
Nunc mihi debentur mentes, quas fœdere longo
Componam. Nec quòd ſunt Martia pectora Regum,
Deſperanda quies. Eadem qua fervere bello
Corda jubet, jubet emeritos miteſcere virtus.

Dies

1 *Semideos Argo vexit.*] Alludit ad Argonautas, qui cupidine velleris aurei quod Phryxus in inſulam Colchidem tranſvexerat, expeditionem Colchicam ſuſceperunt è quibus Jaſon, Hercules, Orpheus, Neſtor, Caſtor, & Pollux, &c. Theſſaliæ principes inter deos relati. Senſus eſt, non tantus honos fuit navi Argo, dum ſemideos vexit in Colchidem, quæ ſita eſt trans cærulea, ſcilicet Ægeum mare.

2 *Tuque ferox ſanctas diſcordia.*] Etiam illa culta fuit divinis honoribus, nam in Pelei & Thetidos nuptias cum non invitata veniſſet, pomum projecit inter Deas, tot malorum caput.

1 Liby-

Dies jam plures erant ex quo in Siciliam applicuerat Arſidas, Poliarchi atque Timonidis ad Meleandrum & Argenidem literas ferens; nec tardior multò Bocchus advenerat, Hyanisbes & Archombroti legatus. Sed utroque celerior fama, mox certis firmata authoribus, jam in Siciliam pertulerat, Poliarchum ex Galliæ Regibus maximum, in Mauritaniâ cum Radirobane pugnâ congreſſum, vitam hoſti eripuiſſe. Id mercatores nunciabant, qui Radirobane profligato, priùs tamen quàm cum Siculâ claſſe Archombrotus perveniſſet ad matrem, diſceſſerant ab Africâ. Motus rei novitate Meleander præcipuum mercatorum jubet ad ſe acciri; tum ab eo diligenter percunctatur, ipſene audita referret, an adfuiſſet diſcrimini. Mercator, ſe tunc verò in Mauritaniâ fuiſſe reſpondit, cùm primò in auxilium Hyanisbes Rex Poliarchus exercitum expoſuit, & mox ſummis viribus Sardi venerunt. Bis deinde pugnatum referebat; tum Radirobanem à Poliarcho interfectum; quamque inconditè Sardi ab Africâ ceſſiſſent. Vix fidem faciebat Meleandro; qui Radirobanis caſum animo volvens, & fœlicitatem Hyanisbes, maximè tamen hærebat in nomine Poliarchi; illene eſſet ſui ſervator, ille Lycogenis hoſtis, ille privato ſub habitu ſibi olim chariſſimus; ſed & denique expulſus injuriâ.

Neque minùs Argenis (nam eadem omnia ab accerſito mercatore acceperat) ſtupebat ad omnia lætis quidem, ſed ſuſpicioſis pluribus rebus tacta. Præcipue mirabatur quid Poliarcho tantum commercii eſſet cum Archombroti matre, ut deſpectâ Siciliâ ejus præſidio vacaret. Ergo abſenti æmulo, & ignaro, conficiebat hæc bella, fidei & reditûs immemor, dum fœdam lachrymis ſponſam, omnis dies, omnis ſolitudinis locus exercet. Oderat ipſa amantem Archombrotum, non aliâ magis cauſa, quàm quòd ſe Poliarcho ereptam volebat; & ille eundem æmulum, oblitus amoris & odii, ſic juvabat, ut deinde florentior procus in Siciliam rediret. Sed turbatum his cogitationibus

bus virginis animum, placabat Radirobanes cæſus; proclivique in Poliarchum animo, Forſitan ille, dicebat, non Hyanisbe, ſed mihi pugnavit; nec juvari Archombrotum, ſed Radirobanem everti ſic voluit. Nihil gratius accidere poſſe putabam, quàm ſic Radirobanes periret. Cumulaverunt beneficium dii, ut Poliarchi maximè ferro pœnas dederit. Inter hæc oblectabat animum ſuum victoriæ magnitudine quâ Poliarchus celebrabatur, ſperabatque confeſtim aliquid literarum ab ipſo accipere. Nam & commodùm acciderat, quòd ille mercator vel non audiverat in Mauritaniâ quanto ille periculo vulneratus jaceret; vel cætera Meleandro & Argenidi referens idipſum negligenter omiſerat.

CAPUT XIV.

ARGUMENTUM.

Meleander & Argenis audito Principum adventu, & concordiâ variis cogitationibus diſtrahuntur. Volentem obviam ire Meleandrum legati arcent, rogantque in regia remorari.

AT verò cùm Arſidas veniſſet ab Africâ; ut certior, ita acrior motus Principum mentes egit. Nam ille, Poliarchi & Timonidis literis Regi porrectis, eadem quæ in iis nunciabantur longiori oratione expoſuit; maximè in Poliarchi laudibus hærens, quàm latè diceretur imperare; qualibus viris, quantâ opulentiâ claſſem inſtructam adveheret; ut benè pugnaſſet in Sardos; jamque ex vulneribus convaleſcentem adventus Archombroti atque conſpectus, irâ, odio, æmulatione turbaſſet. Nec fuiſſe certamen dilaturos, niſi interceſſiſſet Hyanisbe furoribus, cujus precibus ambo dederunt, ut vel Meleandro conciliatore redirent in gratiam, vel in Siciliâ potiſſimùm odia exequerentur. Ne inimicitiarum quidem cauſam multùm Arſidas diſſimulabat; quas ſciebat & à Timonide eſſe perſcriptas, & à Boccho, ubi mox adveniſſet, offerendas

in publicum. Cùm verò adiiſſet Argenidem, & omnia narrando extuliſſet (ut ſolent qui ſe credunt libenter audiri, referuntque abſentia) facilè excuſſæ ſuſpiciones ſunt, quæ virginem urebant. Omnis læticiæ Gobryas conſors, captatis temporibus, nunc clàm nunc publicè conveniebat cum Argenide aut Arſida. Iiſdemque diebus Bocchus adveniens, quæ Arſidas attulerat confirmavit.

At Meleander quicquid ſpei aut conſilii poſt expulſum Radirobanem ſumpſerat omittens, penè certam expectabat perniciem. Fruſtra non eſſe quòd cum ſuis Gallis Gobryas in Siciliam venerat. Parva Lycogenem, vel Sardos potuiſſe. Nunc Galliam, nunc Mauritaniam, quibus armis aut copiis Sicilia ſuſtineat? Sic dubius, & fatis iratus, jubet Gobryam vocari. Et ille tunc fortè cum Argenide erat; quæ nihil dubitavit, quin pater de Poliarcho interrogaturus illum accerſeret. Nam ſuper eâ rerum novitate ſciebat acerrimè eſſe commotum. Monet ergo diſcedentem, ne timidè agat, aut de ſuo Rege diſſimulet. Eo loci rem eſſe, ut paulatim exui larvam oporteat. Fortè qui vocando Gobryæ miſſus erat, retulit Regi, eum loqui Argenidi, & confeſtim adfuturum. Hoc quoque Meleandrum cœptæ ſuſpicionis pondere altiùs preſſit. Tamen venientem Gobryam hilariter intuitus; Quid tu, inquit, bone vir, tot diebus diſſimulaſti Principis tui nomen? cui mehercule tantum debeo, ut me in ingratitudinis diſcrimen perduxeris, non hactenus paſſus ejus gratiâ te meliùs haberi. Excuſavit ſilentium Gobryas. Neminem quippe ipſo Meleandro meliùs ſcire, non eſſe ſui juris, qui ad Principum amicitiam vocati ſunt. Timuiſſe effundere, quod neſciebat an celatum ſuus Rex mallet. Addidit ſubitò Meleander, habere ſe à Poliarcho ex Africâ literas, quibus ſignificabat ſe propediem adfuturum. Sed hoc ipſum diu eſt, ait, quòd reſciebas, (Gobrya;) ideoque cum claſſe illum iſthic opertus es. Imò, inquit Gobryas, nihil de tempeſtate (Rex) mentitus ſum, quæ me à cæterâ claſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

claſſe divulſit. Nec deinde aut meum Regem, aut comites vidi. Hanc autem Inſulam petii, quia licet incertus quò Rex tendat, aut quid paret, ab eo tamen audivi, navigationis ſuæ ordinem præter Siciliæ oram dirigi oportere.

Nihil amplius à Gobryâ Meleander elicuit, eoque relicto ſolus in ſecreto conclavi diu animum variis cogitationibus vexavit. Cur ſcilicet Gobryam præmiſiſſet Poliarchus, cur non tantâ ipſe claſſe diſceſſiſſet à Galliâ, niſi vindicaturus bello Argenidem; & fortaſſe volentem? Num eâ ſpe hactenus illa deſpexiſſet Archombrotum? Num ipſa hos motus excivi ſſet è Galliâ? Literæ Radirobanis, Seleniſſæ mors, & Theocrine, & Pallas, ingerebantur trepido animo, & in calamitatis faſtigium filiam denique timenti. Repetebat etiam animo virtutes Poliarchi, ſibique præſtitam tanquam à virgine opem, & omnia genero digna. Pudore deinde quòd eum ejeciſſet, quòd non ſine periculo abire paſſus eſſet, illum amare verebatur. Nam & illi juſtum ſui odium aut deſpectum ineſſe credebat. Denique ſi affinem eum vellet, præter famam levitatis nunc reſpiciebat ad patrias leges, hæc cum Gallicis Regibus vetantes connubia; nunc ad Archombroti potentiam, Mauritaniæ viribus, & Siculorum favore eximium. Nec cum filiâ jurgari diſtuliſſet: ſed adhuc ignarus quid molirentur dii, ne eum qui ſibi è duobus gener debebatur offenderet, tenuit iram: niſi quòd ſemel indignanti excidit; expectas mea filia Poliarchum, quem oppidò parum amas, cùm niſi ſuo aut Archombroti ſanguine fœdatum nolis aſpicere. Illa præparato ſilentio atque vultu, ea verba ſic tulit tanquam non intelligentem præterlapſa. Cleobulus verò atque Eurymedes, & cæteri Optimatum, haud parum de conſiliorum ſagacitate remiſerant; ſi quid noxium ſtruxiſſent Archombroto, Regem reveriti; nec dubii ſe in Poliarcho violare Argenidem. Timebat Gobryas, ne tanto in motu abire juberetur à Regiâ. An-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ticipatâ igitur neceſſitate exilii, tanquam ſuas triremes curaturus, ad eas revectus eſt; habuitque, ut cum Argenide convenerat, in ſtatione diſpoſitas.

Inter hæc Poliarchus propitiis ventis ferebatur ad inſulam. Prima [1] Lilybæi cacumina, ſe venientibus aperuere, & mox remis inter hilares militum tonſarumque clamores crebriùs actis, certius terra innotuit. Denique circa Æguſam Inſulam ſiſtitur claſſis; incerto Poliarcho, an Syracuſis, an verſus Epeircten eſſet quærendus Meleander. Sed miſſi Lilybæum qui certa referrent, Panormi eſſe Meleandrum renunciant. Drepanum igitur verſis aguntur triremes, ſuperatoque [2] Agathyrſo, prope Paconiam inſulam Gobryas cum ſuis navibus exceptus eſt. Has enim ad omnes Regis motus circumagebat, ſi quid Argenis imperaret, præſtò futurus. Opportuniſſimè repertum non aſpectu Poliarchus, non amplexibus ſatiabat. Nunc ille amplecti genua, nunc manum venerari; Regem incolumem atque victorem tenere adeò lætus, ut non militia, non ætas, aut ſexus lachrymas cohiberet. Cœperat quoque gratulari victoriam amicorum præcipuis; cùm diverſum revocans Poliarchus, rogavit ecquid illic egiſſet; num in Siciliam intraſſet pace Regis, num vidiſſet, num adiiſſet Argenidem; quid tunc denique in inſulâ aut conſilii eſſet, aut virium. Ille à principio rem totam exorſus, variâ voluptate perfudit Regis animum; nunc extollendo fidem Argenidis, & charitatis conſtantiam, nunc belli Africi famam, quæ illic inclytum apud omnes victorem feciſſet. Sed addebat, Meleandrum, quanquam ad benevolentiæ ſpeciem ſe cogebat, non tamen ſimpliciter amicum videri; ſeque conſilio Argenidis rediiſſe ad claſſem, & ea littora obſervare. His monitis inſtructus Poliarchus, & maximè de Argenide lætus, eveſtigio anchoras jecit, illic certus

1 *Lilybæi.*] Promontorii, quod reſpicit Mauritaniam, Panormum, Drepanum Siciliæ urbes.

2 *Agathyrſo.*] Siciliæ inſula eſt.

1 *Gen-*

certus Archombrotum ex fœdere opperiri. Nam is ſenſim claſſe diviſa lato in mari etiam à conſpectu abiverat.

Qui primi de navibus Poliarchi ad Meleandrum nuncii fuere, fidem ægrè fecerunt, tot naves, tantum belli apparatum cum eo adveniſſe. Et ſub tantæ tempeſtatis diſcrimine, parum literis Hyanisbes credebat pollicentis innoxium fore exercitum. Magis mulieri iraſcebatur, quæ ab oculis ſuis avertiſſet hoc bellum, mandaſſetque Siciliæ. Accerſit deinde Argenidem, nec jam invidioſe, ſed anxie rogat, bellumne in Siciliam illis armis inſtructum ſit. Se enim ſatis ſcire, nihil eâ invitâ vel inſciâ Poliarchum moliri. Illa, nec ſe adeò Poliarchi conſiliis miſtam reſpondit, nec, quod ſciret, Poliarchum Siciliæ eſſe infeſtum. Cæterùm quamquam ad diſſimulandi prudentiam ſexu, & negotiis facta, exundantem tamen læticiam non ſatis capiebat; hoc uno macerata, quòd ceſſabant vicina auxilia, nec cum exercitu Poliarchus veniebat ad Regiam: nihil enim jam aut breve aut celere erat impatientiâ moræ confectæ.

At verò Archombrotus, tanquam Regem conventurus Syracuſis, jam penè ad Pachynum proceſſerat, cùm intellecto errore, vela retro ad Lilybæum egit. Hujus quoque mox viribus ad Meleandrum perlatis, eum novus ac propior metus inceſſit. Hinc furere amantem Poliarchum; hinc Archombrotum Mauritaniæ viribus auctum redire ad nuptias. Sat conſtare nihil ad mitiganda jurgia profuiſſe, quòd Poliarchus pro Hyanisbe in Radirobanem pugnaverat. Nam ſi ideo reconciliatione junxiſſent æmulas mentes, non utique curſu diviſo ab unâ Mauritaniâ in Siciliam navigaturos. Ergo triſti diſcrimine, lacerandam ſub inſaniâ utriuſque Siciliam, vel ſaltem imbuendum mutuo ſanguine mare, Argenidemque parandam alterutrius naufragio! Quæ Scylla, quæ Charybdis tot unquam funera hauſiſſet? Feralem poſt tot odia, & omnibus gentibus ominoſam tantorum cruore Principum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

fore Siciliam. Num denique aut ipſe Poliarchum ſanguine Archombroti perfuſum poſſet aſpicere, aut Argenis amare Archombrotum Poliarchi ſpoliis gravem? Jura deinde gentium invocabat; quòd de filiæ nuptiis ſtatuendi ſibi libertas eriperetur; quòd affinitas, quòd amicitia peteretur vi, armis, ingratiis. Tantis in malis, tamen regni habenas in totum non reliquit. Statim ad ſe prælio idoneos cum armis præcepit coire. Naves præterea objecit portui, ut defenſionis ſaltem ſpecies eſſet. Sed præcipuum fiduciæ in ſeipſo & Argenide erat. Nam & omnia ſe ab Archombroto impetraturum credebat, nec verò obſtiturum Argenidi Poliarchum.

Inter hos motus relatum eſt Regi, naves Archombroti admotas Poliarcho ea pace ſtetiſſe, tanquam ſi una hæc claſſis fuiſſet. Vix credenti nunciatur eſſe in portu legatos, qui ab Regibus Poliarcho & Archombroto venire ſe dicerent. Namque ubi ad Paconiæ oram Archombrotus Poliarcho ſuas copias conjunxit, Siculi qui ſimul navigaverant, feſtinantes in patriam, flagitaverunt quidem illicò agi ad portum; ſed uno conſilio uterque Rex vetuit, ne qua navis à claſſe diſcederet: Ipſi in lembo Gelanorum & Micipſam ad Meleandrum miſerunt. Obſtupuit ille ab his ſimul Principibus legatos veniſſe. Ea res quoque turbavit Argenidem. Igitur æmulis conveniſſe? Tantâ lite ceſſiſſe alterutrum? Uter ſuam gratiam in liberandâ bello Siciliâ facere voluiſſet? quo fœdere, quave lege hæc dirempta odia eſſent? Regem quoque vocari Archombrotum adhuc inſolens auribus erat; timuitque Meleander ne fatis ceſſiſſet Hyanisbe: & is quidem lætior erat, ſpe pacis injecta. At non Argenidi conſtabat quid doleret gauderetve; niſi quòd metuebat hæc pacta, cœperatque vereri, ne de ſuis nuptiis illi arbitria feciſſent. Quid autem, cogitabat, ſi ut vile aut facile pignus me ſortibus permiſerunt? qui ſi ad Archombrotum rejecta ſum?

Ubi verò cum Micipſa Gelanorus ad Regem pervenit tunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

tunc filiæ colloquentem, omnium oculos avidiſſima in eum expectatio convertit. Et rex utrumque amplexus eſt; ſtatimque Gelanorus (nam honori Galliæ datum, ut ante Micipſam loqueretur) Poliarchus Galliæ Rex, inquit, & Archombrotus Sardiniæ, tuo in mari cum claſſibus, ô Rex, ad Paconiam inſulam hærent, miſeruntque nos oratum ut tanquam amicis ſubire portus liceat & in tuum conſpectum unà venire. Adjecit deinde Micipſa, non expectaturum fuiſſe Archombrotum ulla fidei pignora, aut legationem præmiſſurum; niſi quò ita res erat, ut neque ritè Siciliam tangere, neque Regem poſſet adire, niſi comite Poliarcho. Reſpondit Meleander, patêre amicis Siciliam. Succederent portubus quos ex inſulâ totâ mallent, ſe in extremo littore excepturum venientes, aut obviam quoque navigantibus iturum. Retulere ilicet ambo legati; ſuis Regibus fore gratiſſimum, ſi occurſu omiſſo eos ipſe maneret in Regiâ. Tum Meleander, Renunciabitis ergo Regibus veſtris, hoc me illis etiam dare, ut officium potiùs meum quàm eorum mandata negligam. Debebam vel ad Paconiam occurrere; at quando ſic jubent, huc illos opperiar. Tum Gelanorus, eſt præterea, inquit, quod nomine mei Regis efflagitem. Eum aliquot Siculorum inimicitiis eſſe infeſtum, ipſe Rex noſti. Nunc ut tutò huc commeet, petit exercitum ſuum in Siciliam admitti. Nihilque milites nocituros, regiâ fide ſpondet. Exhorruit Meleander renovata utcunque injuriarum memoriâ; ſimul vires in regnum accipere, incertum an ſat amicas, eò gravius formidabat, quòd armato Poliarcho quicquid ſtrueret, quicquid optaret, nihil negari, niſi cædibus & diſcrimine poterat. Sed & pejora inſtare videbantur, ſi ipſe ad bellum vix paratus, & de Argenidis fide jam dubitans, inficiaretur hanc veniam inſtructiſſimo Regi, & forſitan ita belli cauſam quærenti. Ergo metum altè recondidit, & quò prolixior humanitas eſſet; de commeatu etiam, inquit, providebimus, Gelanore. Neque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

que me ſine militibus putabo, quamdiu Regis amici exercitus in Sicilia erit. Quæſiit poſtea cur Archombrotus Rex Sardiniæ appellaretur; & an valeret Hyanisbe. Multa quoque Gelanorum de victoria & vulneribus Poliarchi percunctatus eſt; verbis maximè humanitati & lætitiæ accommodatis. Argenidi, præter quædam vulgaria, nihil publicè Gelanorus dicere debuit; nec privatim ad eam aditus fuit, quamquam anxia, & ſalutis incerta, ſæpiſſimè in reſpicientem intuebatur. Tempore denique conſtituto, ut inde quarto die, ſi venti paterentur, Poliarchus & Archombrotus venirent, legati repetunt lembum, eumque omnibus remis in Paconiam concitant.

Perplexa interim Meleandro omnia erant; Argenidi nihil magis addebat animos, quàm quòd Poliarchus cum exercitûs robore admitti petierat. At Rex nihil ærario, nihil commeatibus parcendum arbitrabatur, ſive amicus veniebat Poliarchus, dignâ pompâ culturus tantum Regem; ſive ſuberat aliquod nefas, ſaltem magnificè periturus. Itaque omnis generis cibos, & cætera à mari venientibus ſolatia, convehi juſſit. Quæ autem in ſupellectili precioſiſſima erant, Regiam ornavere; aureis & eburneis lectis, tapetumque coloribus, & egregiis ex ære vel argento ſimulachris. Populum qui ad eventum atque ſpectaculum Panormum confluxit, anguſtè mœnia capiebant; & cùm regiam publicè ornari aſpicerent, hominum ingeniis ad laſciviam pronis, ignari quid gauderent, curve timere deſiiſſent, repentè in læticiam effuſi ſunt. Quæ cuique divitiæ, ferebant templis ſacra; alii extis pleni, quibus opulentiores litaverant, per ludos & choreas diis gratias agere ſe credebant. Nec averſatus eſt Meleander hos temerè exultantium ludos; utique omnia captans, compulſuſque in tanto tumultu ad læta aut triſtia, ex ſuperſtitionis arbitrio.

CAPUT

CAPUT XV.

ARGUMENTUM.

Vbi Principes in Siciliam appellunt, tanquam rixarum obliti, ad aulam Meleandri perveniunt. Huic Archombrotus arculam cum litteris tradit, quas Rex dum legit, identidem in Archombroti mittere oculos, ad lectionem Epiſtolæ, ad mutua oſcula eum cum Argenide provocare, frendente interim Poliarcho, quem eventus rerum hactenus latuit. Donec Archombrotus Poliarcho Argenidem ultro cedit tot monſtris attonito.

QUARTA dies illuxerat, & procul antemnæ viſebantur venientium Regum. Eurymedes, & Arſidas, à Meleandro cum navibus ad utrumque dimiſſi, auxerant claſſem. Littus Proceribus & populo plenum, tanquam deos ea pompa adveheret. Sed non prætoriæ naves ad portum primæ appulſæ ſunt. Tunc portus viginti ſtadiis diſtabat ab oppido. In eum Gallici exercitûs partem Gobryas tribus vix horis explicuit. Sex armatorum millia fuere. Mauros quoque ad duo millia Micipſa adduxerat. Stabant per cohortes, & vexilla, tanquam in aciem irent, armis inſtructi, niſi quod galeis ut plurimum capita nudaverant. Tandem regia navis Poliarchum Siciliæ dedit; quâ tactâ veluti genio terræ graviores affectus inſpirante, jam propiori ſpe metuque, penè ad oris mutationem exhorruit. Cæterum in ſummâ arenâ expectavit Archombrotum; qui non integrâ horâ ſerior in idem littus deſcendit. Aderant à Meleandro equi, in quos ambo aſcenderunt regio cultu eximii. Poliarchus [1] gentile ſagulum multo colore variatum, [2] braccaſque geſtabat propemodum ſub gemmis latentes. Aureus torquis cervicem lævumque

1 *Gentile ſagulum.*] Galli virgata ſagula cum torquibus aureis geſtabant, ut ſupra dictum eſt. Et Virg. lib. 8.

Virgatis lucent ſagulis.

Livius lib. 1. Belli Punici; *multi ſæpè militari ſagulo opertum conſpexerunt.* Suet. in Auguſt. cap. 26.

2 *Braccas.*] Gallia Narbonenſis, quæ mari Mediterraneo alluitur, Bracchata ideo dicta fuit ab uſu Braccharum apud incolas. Vide Diod. lib. 6. Suet. Comment. Cæſaris de Bell. Gall. lib. 10. cap. 21. Pompon. Melam, Ovid. Elegia 10. lib. 3. Triſtium:

Pellibus hirſutis arcent mala frigora bracchis.

Quaſi ῥάκκας.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

vumque humerum cingens, eburneam gladii vaginam fibulis gemmeis tenebat. Lacertos aliquâ parte nudos colebant armillæ recocto auro fulgentes. Verticem propexâ & rutilâ cæſarie vel ſine alio cultu placiturum, inſuper [1] regia faſcia ex murice, auroque revinxerat. Super hæc eminebat oris decor, & amœnæ gratiæ genius, cujus virtute omnes ipſius motus, omnes nutus placebant. Ergo populus in illum intueri, plaudere multi, & qui eum in privato habitu vidiſſe meminerant, ſeipſos accuſare quòd jam tum non deprehendiſſent indolem illam niſi Regibus à diis non tribui. Cùm verò & ipſe Archombrotus evaſit in equum, vix formâ deterior, aut fortunam minori ſpiritu implens, amictuque inſignis quem Mauri regium habebant, incerta ac propè diviſa aliquandiu ſtudia fuere; moxque votis meliori præſagio confuſis, utrique mirabili conſenſu applauſum eſt.

Ibant ergo, tanquam rixarum immemores, ſuis & Siculis Proceribus medii, longâ militum, longiorique populi turbâ, viam præeunte atque claudente. Quicquid à portu ad urbem itineris erat, intuentium & comitantium ſeries uno examine obtexit. In urbe matronæ virgineſque feneſtras impleverant, miſtis pueris, quibus ad ſpectaculi tanti memoriam, animos aut ſubito metu, aut lætitiâ pulſabant. Humaniſſimi Reges, memoreſque qui eos ſic colerent haud eſſe ſuos cives, non deerant ſalutando, non oculos atque manus ferendo ad populum; donec in regiæ veſtibulo Meleander apparuit. Huc ad ſe pedibus properantem ubi ſimul conſpexere, de equis deſilierunt. Excuſantem deinde quòd non præſtò ad portum fuiſſet; neque verò id dediſſe ſuperbiæ, ſed eorum legatis qui quò progrederetur præſcripſerant; ambo leniſſimâ oratione vetant in juvenes, & jam olim hoſpites, ſuper-

1 *Regia faſcia.*] Diadema. Regum capita inſigni faſcia ornari ſolita ſunt, Imperatorum verò corona aurea & lauro; quoniam ea pars hominis ſanctior in homine eſt, propterea ibi inſigne honoris & diadema eſſe voluerunt.

1 *Gem-*

ſuperfluo cultu eſſe. Gratulatus deinde Poliarcho victoriam, & Archombroto Sardiniam, perplexè querebatur, quòd olim paſſus eſſet tantæ Galliæ Rex privatæ ſe ſortis in Siciliâ haberi.

Jam ad aulam pervenerant; invitabatque hoſpites Meleander ad ſolia, quibus excepti colloquerentur. Sed illi tunc rati adveniſſe gerendæ rei tempus, ſuſtinuere ambo gradum; porrigenſque Meleandro Archombrotus literas matris, poſtulavit ut eas extemplo perlegeret. Priùs enim acquieſcere ſe non poſſe. Idem & Poliarchus rogavit. Rex miratus quid hæ literæ haberent tam celeriter procurandum, [1] gemmam ſolvit, & prolixas exorſus eſt. Neque mora, Poliarchi & Archombroti anxios vultus, haud parvæ perturbationis notæ percurrere cœperunt. Quippe illos codicillos uterque tanquam propria fata ſpectabat. Si ſeciùs quàm promiſerat Hyanisbe, res ceſſiſſet, ſi aut nulla fœdera, aut ingrata offerrentur, jam comparabant ſe ad jurgium; jam arma, jam furorem animis præcipiebant. Arculam quoque (ita mater juſſerat) Archombrotus Meleandro ſimul cum literis obtulerat, quam olim Poliarchus vindicaverat à peiratis. Neque multum ex epiſtolâ Meleander legerat, cùm attoniti inſtar nunc ſeipſum cœpit affari, nunc in Archombrotum mittere oculos, repetere deinde epiſtolam, morarique in omnibus. Puſilla erat clavis incluſa literis: ea ſcilicet qua reſerari arculam oportebat; eam Rex avidè manu tenens, perſeverabat in lectione Epiſtolæ. Nihil amplius Poliarchus vel Archombrotus dubitabant quin aliquid magni efficaciſſimæ literæ afferrent. Tandem ad menſam vicino parieti applicatam Meleander accedit, ſoluſque curioſe in apertâ ciſtulâ recognoſcit quid lateret. Aliquot epiſtolæ inerant; quas ille perlectas cum ſuſpiriis & fletu oſcu-

1 *Gemmam ſolvit.*] Sigillum rupit, quod gemma inſculpta effinxerat juxta priſcum morem.

1 *Opima*

oſculabatur. Annulus quoque, & arcanæ rei pignora quædam ipſi notiſſima, fidem ſeni faciebant, vera ſcripſiſſe Hyanisbem.

Ergo victus magnitudine improviſi affectûs; ſimul à Poliarcho petit, ut excuſet neceſſaria quædam arcana breviter exequentem, ſimul mirantem Archombrotum rapit familiariùs ad eandem illam menſam,& oculis literas Hyanisbes objicit; quas ille dum legit, Meleander in ejus collum effunditur; moxque juvenis objectus ad genua, confuſione oris, alioque quàm ſolebat venerationis genere, omnium qui aſtabant mentes permovit. Præcipuè Poliarchum ſcena illa turbabat. Videretne æmulum ſuum, ad amplexus, & omnia intimæ charitatis indicia acciri? Staret ipſe interim neglectus Meleandro, relictuſque ſcilicet qui colloqueretur Eurymedi? Is enim officii cauſa paulatim ad illius latus acceſſerat,dum Archombroto Meleander loquitur; ne indecenter in mediâ aulâ ſolus ille Rex eſſet. Hæc tumidè agitanti ingens ad ſæviſſimam indignationem pondus acceſſit. Nam admonita Argenis à patre ſe vocari, intrat cœnaculum, cumque Rex aliqua venientem docuiſſet quæ percipi à remotis non poterant, ſpontè ipſa cervicem Archombroti petentis oſculum utraque manu junxit. Miſcuere deinde lachrymas quas gaudio eſſe expreſſas ex reliquo vultu ſcires; dextramque tanquam in fidiſſimi amoris ſacramentum, in cupientis Archombroti manum inſeruit.

Jam vicerat furor Poliarchi patientiam, eratque impetus hæc inviſa ſibi gaudia turbandi. Ignarus quos pejùs devoveret, Hyanisbem, Meleandrum, Archombrotum; adhuc aliquid ampliùs iraſcebatur, eminente rabie in Argenidem, quam ulciſci ſaltem illatâ ſibi morte decreverat. Et ut omni ſermone celerior eſt cogitatio, præſertim irata, multa ille atque atrocia breviſſimo tempore animo ſuo complexus eſt. Hanc igitur mihi gratiam retulit Hyanisbe, per mea meorumque vulnera incolumis? Patebam

incau-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

incautus venenis; ejus medicos adhibebam ægritudini meæ; ſed noluit me perire, niſi antè contemptus, & coram violatus, non abjudicatam modò, ſed faſcinatam Argenidem in ſui filii collo aſpicerem. Miſiſti me ad iſtius mortis atrocitatem, venefica? Hæ ſunt literæ; hæc promiſſa, hæc concepta in penatum deorum auribus ſacramenta? Stolidiorem me, qui fidem expectabam in Africâ. Sed non inulta fefelleris. Contraham tecum certamina, contraham herculè ad internecionem tuæ gentis. Quid cogito amens; & longorum ſolatiorum ſpem, tanquam victurus, ſollicito? Nonne vides quos perire illicò, ſed tecum oporteat? Ibo; & carnifici illi adimam ſpiritum, qui per meam victoriam Sardiniæ regno potitus, etiam hymenæum occupare non dubitat; & inverecundæ Argenidi ſaltem ejus ſanguine ruborem faciam. Tum malignum hunc ſenem, hanc larvam, hanc fabulam, obtruncabo, priuſquam ad auxilium ulli procurrant. Simul ipſi Argenidi, Argenidi, inquam. Hæſit miſer in cogitatione decreti crudelis. Sed quid attinet virgini amenti ſanguinem mittere? Meliùs flagitii ſui memoriâ, & meo vulnere morietur. Aperiam meum pectus, &, ubi cruore exundabit, injiciam me totum in furiarum omen trepidanti. Nam niſi mori ſic vellem, poſſem excire meos milites, poſſem hæc tecta incolumis in hoſtium capita effundere. Sed vivere nolo, ne reconciliari poſſim Argenidi.

Hæc & ſimilia furoris conſilia agitandi ſpatium fuit, dum primæ amoris blanditiæ, Meleandrum, Archombrotum, atque Argenidem, per cæterarum rerum oblivia trahunt. Præcepſque, & obfirmatâ ad facinus mente, jam tangebat capulum; cùm numina tam fœdè errare inſontem non tulerunt. In ipſo igitur articulo, ignarus harum furiarum Meleander, ad illum accedens, Ignoſce, inquit, hoſpes, quod nos ab officio tui colendi pauliſper inſperata avertit lætitia, quam non minùs fortè gaudebis, quàm me modò & Argenidem vidiſti. Veni mortalium chariſ-

chariſſime, fœlicitatis noſtræ compar, & intellige quid hic dies de te meruerit. Mutatus hoc ſermone Poliarchus, & in tantâ varietate affectuum neſcius quid expectaret, ſentiretve, non repugnavit ducenti Meleandro. Ubi verò propter Archombrotum, & Argenidem conſtitere, tum Meleander jam non adeò preſſa voce, ut circumſtantium proximi non audirent; ô fœcundum, ait, hunc diem! ô meæ ſenectuti propitium, quàm antea in unâ filiâ acquieſcentem, duobus & talibus liberis auxit; abſit Cœlitum invidia. Quis me mortalium fortunatior; aut cui precioſius debeat eſſe id pauxillum vitæ quod ſupereſt? Ergo per tot ambages, per tot minarum tormenta, erumpens induſtria fatorum, hæc mihi præſidia, hæc decora familiæ parabat? Deſine Archombroto iraſci, ô hoſpes, ô maxime Regum, & quod utroque præſtantius nomen eſt, Poliarche. Diu eſt quòd ſenſi odia veſtra. Uterque amabatis Argenidem; utriuſque erit Argenis. Huic enim quam genui, in ſororem affectus durabit. Tibi autem, niſi aliter ſentis, eam uxorem deſpondeo. Nam quòd à Siciliæ hæreditate excidit, agnito fratre, nihil minùs, ut te novi, aut tu amabis, aut Regina hæc erit. Quippe Sardinia, & quicquid Radirobanis fuit (quod deinde & paſſus es Archombroti eſſe) hanc in dotem ſequetur. Ita mecum filius meus conſtituit. Tu Archombrote prior omnem inimicitiam ejura; & Regi Poliarcho ſororem tuam trade.

CAPUT XVI.

ARGUMENTUM.

Coactæ plebi literas Reginæ Mauritaniæ Præco, imperante Meleandro prælegit. Atque ubi conſtitit Annam Meleandri primam uxorem, ac ſororem Hyanisbes Hyempſalem Regi peperiſſe, qui plauſus!

PUTASSET hoc quiſquam? Archombroto conciliatore, dextramque puellæ admovente, invitabatur ad Argenidis nuptias Poliarchus, qui in tali fortunæ ludo cun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ctabatur credere ſe eſſe fœlicem. Erubeſcebat quoque Argenis & modò dum obſtabant votis bella, vel pater; tam viriliter audax, tam propè contumax in parentem, & ſequutura Poliarchum quocunque juberet; nunc facilibus rebus, ſe virginem eſſe meminerat. Poliarchus ſimul virgini manum dare, ſimul gratias agere Meleandro; etiamque mirari quâ ratione Archombrotus tam ſubitò evaſiſſet Argenidis frater. Tum, ut fit, in magnis & repentinis rebus, omnes ſine ordine, ſimulque loquebantur. Redibat juvenibus mutua inter ſe gratia, quam olim auſpicati apud Timocleam fuerant. Senex cum virgine receperat ſpiritum; & Principum alacritas ſe in intuentes diffundebat. Stabant nunc Proceres ſilentio defixi, nunc confuſis inter ſe vocibus aulam implebant. Plures quoque ad famam intraverunt. Nec ingrata Meleandro frequentia fuit. Nam tantas res, tamque publicas, ab omnibus ſciri intererat. Itaque clarâ voce, quamque in ſene impetus gaudii fortiùs pulſabat; optimi cives, inquit, & hoſpites, quos hic dies in multiplicis fœderis ſanctitatem coëgit; agite omnes, gratamini Regibus veſtris, & quod ſupereſt lucis inter ſacra impendite. Venire in craſtinum univerſos jubeo ad aulæ veſtibulum. Illic & populus præterea & milites implebunt concionem, ne quis deorum conſilia ignoret, qui neſcio an aliis unquam veriùs quàm nobis indulſerint. Vos tamen & cenſeo æquum jam nunc compendio tanta gaudia præcipere. Comperti Archombrotum ex me genitum eſſe. Hunc mihi uxor inſciò peperit. Regi autem Poliarcho filia mea nubet. Ite læti, & omnium pulcherrimum diem, ſi lubet, pervigilio vocate. Ego interim cum genero & filio quæ in rem ſunt conſtituam.

Sic dimiſſis Proceribus, Poliarchum in interiorem regiæ partem duxit, eâ veſperâ inter chariſſimorum conſortia exultaturus. Quæ tum vota ſingulorum, qui ſenſus fuere? Caſtiſſimæ Argenidi aderat fructus conſtantiæ;

per-

perviceratque tot malis; ne quâ videretur optimâ ſorte dignior eſſe. Poliarcho jam æmulationis, jam ægritudinis oblito, jucundiſſimum erat traduci ſoceri riſu, quòd oſculis invidiſſet quæ Argenis Archombroto ſororiâ charitate poſuerat. Utrumque præterea Meleander ridebat, nunc generum Archombrotum, nunc Poliarchum Theocrinem vocando. Et ab Argenide quærebat Archombrotus, quid ſe agnito lætata potiſſimùm eſſet; an quòd fratrem ſe haberet, an quòd ſponſum non eſſet habitura? Inter hos jocos, vix quicquam negociis permittebat hilaritas. Ipſe Aneroëſtus ſupercilium poſuerat, audebatque lætari; & quamquam in ſubhorridâ veſte. Regis in modum à Meleandro & Argenide colebatur. Pauci erant ex ſecretiori cohorte amicorum tantæ remiſſionis conſcii. Tamen Aneroëſtus, Ibburranes, Dunalbius, cum Regibus cœnaverunt. Gelanorus, Arſidas, Gobryaſque interérant, Mauruſque Micipſa, & cum Cleobulo Eurymedes. Nicopompus bis à Rege vocatus paulò ſeriùs venit. Nam condendo epithalamio ſeceſſerat. Una porrò ex Matronis Timoclea Argenidem comitabatur. Hi propemodum ſoli Regibus ad eam cœnam miniſtri fuere. Et omnibus quidem præcipuus de Poliarcho erat ſermo, ut amaſſet, ut tanquam ſuæ ſortis oblitus adiiſſet pericula, ignotus, prodigus ſui; nec à fortunâ, nec ab hoſtibus tutus. Unde is ardor, quæve initia ad tantæ conſtantiæ amorem fuiſſent! Ille verò avidiſſimè audientibus referebat, ſe de Argenidis formâ atque virtutibus multa inaudiſſe in Galliâ; hinc ſubjectos juvenili animo ſtimulos, quos tantæ indolis admiratio, aut veriùs ipſa fata ſenſim auxerunt; ac cùm ſciret ſpem connubii Siculis legibus interciſam, quæ Gallicas damnabant nuptias, hoc velut obice irritatam cupiditatem acriùs exarſiſſe; & ſe quidem ſimulatâ pietate in deos externos, quaſi eorum templa peteret, ſolum cum Gelanoro (qui quamquam ingenuus ſpontè liberti perſonam induerat) navigaviſſe in Siciliam,

eo conſilio ut præſens agnoſceret eſſetne par famæ Argenis, & eo bello digna quod ipſe in Siculas leges meditabatur; ſi illâ, ut aliquando fore ſperabat, obſequiis ſuis demeritâ, eæ ſolæ morarentur fœlicitatem ſuam; cùm verò Siciliam intravit, ne uſurpare quidem oculis virginem licuiſſe, quam ſcilicet munimentis arcis incluſam nefas erat à viris tunc conſpici. Hinc fœliciſſimæ temeritatis conſilium ſe ſumpſiſſe, ut muliebri ſtolâ virginem ſimularet, ut Seleniſſæ imponeret, appellareturque Theocrine. Cætera narraturum adjuvit Meleander, inter riſum ſtuporemque repetens memoriâ, quàm ille omnia ſimilis puellæ veniſſet; quàm lachrimabili fabulâ elicuiſſet miſericordiam ſuam, aditumque inveniſſet ad Argenidem; quâ denique virtute, quo robore, domuiſſet Sicarios qui in arcem intraverant, & de Theocrine facta Pallas fuiſſet.

A Poliarcho deinde ad Archombrotum ſermone traducto, plurima quoque in eo mirabantur. Ergo ille debebatur Siciliæ Princeps, inſciuſque quem coleret Meleandrum amaverat! Ut diu Hyanisbe habuiſſet rem ſecretam! ut tempori retexiſſet! quàm ſimilem repertis ad aurium voluptatem commentis dii hunc contextum rerum dediſſent! Eos interim docebat Meleander ſuum in Africâ conjugium; & quantum fas erat per præſentem lætitiam, ingemiſcebat uxori defunctæ: ſæpiuſque, & per partes cuncta narrando, ea ipſa digerebat quæ poſtridie in concione diſſereret.

Multùm noctis proceſſerat, cùm à cœna receſſum eſt. Ubi prope ortum ſol fuit, quotquot Panormi erant, impediti frondibus caput, confluxerunt ad regiam. Anguſta multitudini atria erant. Hi in muros evaſere, aut ſubitaria theatra impleverunt. Alii applicuerant ſcalas, quibus plùs juſto oneratis, haud paucæ defluxerunt in ſubjectos. Ad ipſas Palatii fores, exiguæ ſcenæ ſpecies penè ad altitudinem hominis attollebatur. Illic Regum ſugge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ſtus eminebant; duo quidem fronte æquali quibus Poliarchus & Meleander ſederunt; totidem paulò interiùs ad latus receſſerant, Archombroto Argenidique ornati. Poſtquam Reges præbuere ſe populo, & præco plauſum compeſcuit; nonnihil moratus Meleander; ſi quid ominoſum, inquit, afferrem, (optimi hoſpites, atque cives) arte aliquâ eſſet opus, & veluti condimento, quo illud apud veſtra mitigarem ingenia. Nunc quid opus eſt anxiâ eloquentiâ commendare deorum munera, quæ ipſi tantopere ornarunt? Affero vobis læticiam, Regibus gentibuſque pacem ac fœdera, hoſtibus noſtri nominis pavorem, tumultus, exitium. Nec vos credo hæc ipſa ad quæ audienda conveniſtis ignorare. Aliquis deus, & ipſa ſi quod numen habet fama, haud dubie ſparſit in vobis celebrari hunc diem filiæ meæ nuptiis cum Rege Poliarcho, & veluti altero natali filii mei (flexaque cervice in aſſurgentem Archombrotum reſpexit.) Quem cur tamdiu ignorarim, cur nunc demum agnoverim, operæ precium erit (cives) & vos quoque cognoſcere. Accipe Reginæ Mauritaniæ literas, Præco, & quantum voce vales publicè recita.

Tum præco traditam epiſtolam in hunc modum exorſus eſt. Regina Hyanisbe Regi Meleandro ſalutem. Tuâ virtute an vitio dicam factum, ut ante hunc diem non cenſerem gaudium tibi dandum, quo nunc mirantem impertiar? Nam & vitio duco, quòd cum Anna mea ſorore nuptias me celatam voluiſti, nec deinde ea extincta quæſiiſti, an inde tibi aliquid ſupereſſet. Virtutem porrò tuam ſic colui, ut tradere tibi ſtirpem noluerim, niſi experimento priùs capto, an te digna adoleſceret. Nunc cùm omnia generi conſentiant, aperiendum eſt quod tot annis apud me continui. Cùm ſororem meam Annam tibi occultis nuptam auſpiciis, apud nos reliquiſſes in tuam Siciliam iturus, effluxiſſentque menſes quibus ipſa creſcentem uterum variâ arte celavit, tandem cœpit acri-

ter

ter ægrotare. Nos alium morbum ratæ inutilia ferebamus remedia. Sed illa mortis omen concipiens, ita me ſolam affata eſt. Ignoſce, mea ſoror, non aliam deprecanti quàm ſilentii culpam. Meleandri Siciliæ Regis uxor ſum. In partu jam laboro; nec incolumis, niſi dolores fallunt, enitar. Si quid ex me natum vivet, tuum arbitrium eſto, ſoror, vel alere, vel patri tranſmittere. Mallem tamen ſecretum aſſervari; ne me populus matrem priùs quam nuptam intelligat. Cæterùm ſupprimendi fœderis noſtri cauſæ variæ fuerunt; tum quòd Numidam Cyrthum importunum mihi procum, & vi fortè uſurum, metuebamus; tum quòd Meleander regiâ pompâ, quam ornaturus diſceſſit, ſibi me jungi concupiit; denique miſeram me pudor tenebat; quem heu timeo etiamnum & loquendo ne violem. En, ſoror, ad pulvinum conjugii leges ipſius Meleandri manu ſcriptæ, quibus & ego meo nomine appoſito addidi fidem. (ſimulque tabellas tradidit) In iſta autem pyxide ſunt arcanorum noſtrorum conſciæ notæ, aliquot literæ, annulique, & ex utriuſque crine armilla. Cùm hæc oſtendes, ſciet me tibi omnem rem credidiſſe. In ipſo ſermone vocem amiſit. Ego refectam ſolata, paucas fidiſſimarum matronarum advocavi; & ſedulo quæ neceſſaria erant curavimus. Sed vincebat artem dolor. Peperit tamen filium; quem oculis viventis admovimus. Petii deinde, an cogere vires poſſet ad breviſſimam ſcriptionem; neſcio quo numine ad res quas hodie agimus jam tum meam curam inſtituente. Fecit illa, & in tabellis exaravit ſe mori, ſe filium tuum mihi relinquere. Agnoſces manum illius (ô Rex) quamvis literas malè ductas morbi tremor confuderit. Nec multò pòſt inter meos complexus extincta eſt. Quatuor omnino matronæ mecum erant. Ego cuidam Sophonemæ, cui apud me potiſſimùm fides erat, infantem permitto; ageret ejus curam; nutricem inveniret ignaram quem aleret. Verita quoque ne quid ex tot conſciis ulla effunderet, per eandem dein-

de Sophonemem cæteras fallo, ut crederent infantem obiiſſe. Inter eoſdem dies frater Juba decedens reliquit mihi regnum; & vir Syphax, fatis quodam agmine in nos ruentibus, vitâ functus eſt. Ego tot luctibus plena, non tui Meleander, non ſororis oblita ſum. Prægnantem me fingo; deinde poſthumum edere mentior, adjuvante eâdem Sophoneme. Supponi tunc mihi tuus non potuit. Nam non conveniſſe tot menſium infans puerperæ. Sed commodum fœtum Sophoneme cunis inſeruit; quem deinde meo juſſu alendum abvexit; ego ſimulans faſcini metum, vetui ne quis ultra nutrices, unamque Sophonemem, filium meum inſpiceret. Ita biennio circumacto facile fuit Hyempſalem tuum (ita moriens mater appellavit de nomine avi) tanquam ex me natum oſtendere. Huic me deinceps, huic & regnum ſervavi. Nullæ me impulere ad nuptias vicinorum Regum preces. Poſtquam annorum viginti trium fuit, apud illum commendavi virtutes tuas: hortata ſum, ut in rudimentum regnandi ad te profectus, animum ſuum formaret ex tuo. Et hæc faciliùs effecturum ſi omitteret ſuæ fortunæ inſignia, nec pro matre me jactaret; ne indulgentia tua, & cæterorum adulatio, crudam illam veramque virtutem auferret, quæ ſæpè Principibus viris negata, privatorum diſcrimina & fortunam nobilitat. Obſequens dicto ivit; & mirum eſt adeo placuiſſe, ut magnus Rex filiam noviſſimo conjugio ſuſceptam & in quâ liberorum ſummam tibi credebas, ei velles deſpondere. Cùm id mihi nunciaſſet, quamquam illius virtute & genio tuo læta, qui fecerat ut adhuc ignotum filium amares, tamen ad inceſtarum nuptiarum omen expavi, ne frater ſorori jungeretur. Adhuc me alia pericula terrebant; Radirobane in Africæ perniciem cum exercitu veniente. Igitur noſtro Hyempſali, quem Archombrotum appellatis, ita ſcripſi, ut nuptias jam apud vos ut audio conſtitutas differrem; & ipſe ad auxilium meum accitus cum claſſe veniret. Sera tamen fuiſſent auxilia,

xilia, nec inveniſſet quam juvaret, ni Regem Poliarchum cum Gallorum ſuorum exercitu nobis tempeſtas dediſſet. Hujus virtute, [1] opima Radirobanis in Martis noſtri templo ſunt. Sed pene triſtiora fuere apud nos pace quàm bello diſcrimina: Poliarcho atque Hyempſale ſæviſſimâ æmulatione ardentibus. Cauſa odii tui Argenis; cujus nuptias uterque ſupra humanæ cupiditatis morem ambit. Intellecto filii tui errore, ab iis impetravi, ne priùs furioſa lis ad ferrum perveniret, quàm tibi tradidiſſent has literas. Illicò utrumque voti compotem fore. Quod ita demum erit, ſi tuum filium agnoſces, & Poliarcho Regi, quo propior factis deorum, & virtutibus hodie nemo vivit, filiam tuam dabis uxorem. Dotem ex tuis vel meis rebus ei dicas permitto. Sicilia, Mauritania, recenſque incrementum Sardinia, ſatis erunt, ut & filius opulentiſſimè regnet; & gnata pro genere & ſorte collocetur. Mitto in arculâ quicquid arcani mihi ſoror moriens reliquit; inter cætera ultimas ad te literas, quibus ſe ſuperſtite filio extingui ſignificat. Quæ omnia ipſo hoc anno tantùm non perierunt. Arculam, proh nefas! rapuerant peiratæ. Sed Rex Poliarchus cæſis latronibus mihi inviolatam reſtituit. Ita pro parte huic etiam filium tuum debes; debeo ego regnum, jamdiu tuo Hyempſali deſtinatum. Præter Argenidem nihil ad hæc opera mercedis eſt. Vale; & fœlicitate quam dii faciunt ſenium tuum oblecta.

CAPUT

1 *Opima Radirobanis.*] Vidimus erecta in Martis templo Radirobanis trophæa.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

CAPUT XVII.

ARGUMENTUM.

Poliarchus Archombroto viciſſim ſororem ſuam offert. Mox lætitia in plebe, auſpiciaque geminantur. Aneroëſtus ſcenam claudit, cum Numine plenus Meleandro, & Hyempſali, Poliarcho, & Argenidi fœliciter ominatur.

LONGISSIMAS literas raucus præco vix abſolvit. Lectionem confuſæ in populo voces ſequutæ ſunt. Plerique audierant, alii quærendo rogandoque peritos turbabant. Multis quoque literæ erant obſcuræ; quod futurum haud dubius Meleander, cœpit has ipſas aliâ oratione exponere. Hiſtoriam ſuæ juventutis repetiit; ut patre jubente uxorem olim duxiſſet Brutiorum Principis filiam, quæ ſexennio nupta ac ſterilis, deceſſerat ex vulnere, quod de equo inter venandum lapſa in ſtipite accepit. Tunc ſe triceſimum quintum ætatis annum egiſſe, patre adhuc ſuperſtite. Eadem tempeſtate regnaſſe in Mauritania Jubam Siciliæ amicum, ad quem cum paucis comitibus profectus eſt, avertendi luctûs cauſa, quem mors uxoris faciebat. Deinde memorabat duas ſorores Jubæ fuiſſe. Seniorem Hyanisbem, Syphaci, potenti illic viro collocatam; Annam juniori nomen fuiſſe, eamque habuiſſe ex Numidia procum, qui Cyrthus dicebatur, tantarum virium hominem, ut hunc Juba, quamvis ſibi non probatum timeret offendere. Se interim Annæ amore correptum; virginique illum Numidam exoſo placuiſſe. Secretis ergo fœderibus conſenſiſſe utrumque in nuptias; eaque admonente contrahendas ex Sicilia vires priuſquam huic Numidæ palàm obſtaret, ſe navigaſſe in patriam; & illic, ne promiſſo tempore in Africam rediret, patris funere fuiſſe tardatum. Inter has moras de Annæ interitu audiviſſe, & omiſſa Mauritania amaviſſe Siculam virginem, patruo ſuo genitam; ex qua nata erat Argenis. Cætera ex Hyanisbes epiſtola habetis, optimi cives, ut ipſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

fratri Jubæ in regnum ſucceſſerit, ut hunc mihi filium Anna pepererit. Veri pignora in obſignata arcula miſit; mihi quidem maximo præteritarum rerum ſenſu recognita.

Tum in Poliarchum intuitus; Te verò maxime Regum, inquit, quo nomine compellem; cujus munus eſt quòd vivimus, quodque regnamus? Tu me vinculis, tu Argenidem exemiſti, cum in Gynecæo Lycogenis mancipia furerent. Tu in acie meis militibus præiviſti ad victoriam iter; denique unus hoſtes fudiſti. Inde meo heu malo, & quicquid excuſes dedecore, exceſſiſti Sicilia. Nec contumeliæ noſtræ tuam bonitatem vicerunt. Læſus quoque amaviſti Argenidem. Quid dicam te indicia per quæ ego ad filii notitiam, ille ad patrem perveniret, inveniſſe diis ducentibus apud peiratas, & virtutem ſervaviſſe? In Africa autem non triumphare Radirobanem quantæ molis res fuerit, nondum toto ſanguine reparato, in tuo vultu pallor oſtendit. Utinam nomen amares quod me tibi ſubmitteret. Socerum dici mavis. Fœlicem Argenidem in tanta fœdera ituram. Tu quidem tua virtute damnaſti nimis formidoloſam majorum noſtrorum ſolertiam, qui ad Gallicam magnitudinem adeò expavere, ut Siculis Principibus interdicerent conjugia veſtra; quaſi tanta affinitas ſervitutis inſtar eſſet. Meruiſti ut conſenſu publico antiquemus omnes hanc legem. Sed & dii fecerunt, ne opus ſit ab ejuſmodi ſanctione recedere. Filium enim ad quem Sicilia perveniat, mihi reſtituerunt. Meam autem Argenidem fortuna non inferior, Sardinia cum Liguribus manet: quæ regna, nihil vetantibus legibus noſtris tuæ Galliæ adjunget. Hîc Archombrotus, uti convenerat, pacem patris petiit ad dicendum. Mox ita Poliarcho. Sardiniæ poſſeſſio, quam habeo, inquit, quid eſt aliud quam victoriæ tuæ fructus? Eam debellaſti in Africâ. Veni ego ad triumphum. Tu ergo, chariſſima ſoror, tu quam à me fuiſſe amatam vel ipſe Poliarchus

ignoſcit, ſume regium inſigne, & pro ſpe Siciliæ, in quam me natalium jura inſeruere; terrarum omnium quæ ſub Radirobane fuerunt, eſto Regina. Feres ad virum, quod ipſe victoriæ jure ferre potuerat. Simul diadema Sorori impoſuit; flente quidem præ læticiæ copiâ Meleandro; populo autem tantis acclamationibus rem probante, ut diutiſſimè auribus uſus abfuerit. Poliarchus ut eloquentiâ pollebat, ita cœpit [1] beneficiorum ſuorum memoriam elevare, ut ſolerter augeret; reverentiſſimus Meleandri; Archombroto, Argenidi, populo blandus; ut dubium eſſet arma an pacem magis deceret.

Jamque omnibus ad templum proceſſuris, filius Nicopompi vix decennium egreſſus, patre ducente ſe admovit Argenidi, blandeque epithalamium à patre conditum tradens, ſe illius authorem non ineptâ aut timidâ jocoſitate aſſeruit. Cumque eum Meleander vocaſſet, ſibi & Poliarcho juſſit ejuſdem carminis exemplaria donari, quæ puer præparata manu tenebat; rogandoque cujus opus hoc eſſet, ſæpiùs adegit ridentem mentiri. Pauci verſus, ut ad Principes, & occupatos, erant, ideoque & plures à quibus legerentur habuere.

Lapſus ab aſtrifero feſta ad connubia cœlo
Phœbus adeſt. Vos, ô Superi, vos cernere coràm
Poſſumus [2] *Aonii vates. En panditur æther,*
Et longo in noſtras deſcenditis ordine terras.
Dumque faces accendit Hymen, dum Numine pompam
Exornat Regina deûm, parvuſque Cupido
Lene facit vulnus, nulloque exerrat in ictu;
Ecce coronatâ plectrum teſtudine ducens,
Sic pulcher roſeo Latonius inchoat ore.
[3] *Jungite concordes manſura in fœdera dextras,*

Quæ

1 *Beneficiorum ſuorum memoriam elevare.*] Deprimere per antiphraſin, ut alibi paſſim.

2 *Aonii vates.*] Ab Aone fonte Boëtiæ Muſis conſecrato.

3 *Jungite concordes.*] Ita Ovid. Metam. 14.

Inde fides dextræque datæ thalamoque receptus,
Conjugii dotem, ſociorum corpora poſcit.

1 *Fax*

Quæ non ulla dies, quæ non fata impia rumpant,
Jungite iô Reges. Blandis lux aurea ſurgit
Auſpiciis; Hymenæus adeſt; date laurea ſerta
Poſtibus, & quinos [1] fax pronuba ſurgat in ignes.
Gallica Trinacrios jungunt ſibi numina divos.
O ſocer! ô ſponſi! ſperataque turba nepotum!
Aſpice nunc fœlix promiſſæ virginis ora.
Palladiis hæc forma genis; has alma nitentes
Fert [2] Cytherea comas; tali Saturnia regnat
Lumine, vulnificos vel cùm Latonia cinctus
Exuit, eque ſuis magnum petit æthera ſylvis.
Talis ſponſa venit: Tu divûm hæc munera, Princeps,
Cuncta vide; mentiſque bonis tamen acrius omne
Figi animi lumen: mortalia corda puellæ
Eſſe neges, ſorteſque tuas æquabis Olympo.
Illa etiam vultuſque tuos, auroque nitentem
Cæſariem, & caſtis vibrantia lumina flammis,
Cernere gaudet amans; & tunc te mente ſub altâ
Effingit, qualis ſævis quatere ardua bellis
Arma ſoles; nunc quantus eris patria agmina quando
Occurrent reduci; parilique invecta triumpho
Ipſa per effuſas tecum ſpectabitur urbes.
Jamque timet, ne vana ferant hæc gaudia venti
Quæ cernit, redeatque novis inſomnia curis.
Ah ne, Virgo, time: Non hæc efficta ſopore
Læticia eſt, cupidæve errant ludibria mentis.
Certa vides. Adſunt [3] genialia numina mecum.

Stat

1 *Fax pronuba.*] Supra dictum eſt de quinque facibus in nuptiis & de poſtibus laureatis. Martial. lib. 12. Epigramm. 41.
Præluxere faces, velarunt flammea vultus,
Nec tua defuerunt verba Thalaſſe tibi.
Propert. Eleg. 2.
Inter utramque facem.
Has faces vocabant nuptiales, tædas jugales, faces legitimas, tædas geniales. Apud Romanos, à pueris quinque geſtatas.

2 *Chiterea, Saturnia, Latonia.*] Venus, Juno, Diana.

3 *Genialia numina.*] Quæ præſident nuptiis, quales ſunt Venus, Hymen, Diana, Jupiter adultus, Juno adulta, Suadela: has dici pronubas & novam nuptam comitari & virum domum deducere nonnulli tradunt.

 1 *Pur-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Stat cunctis mens una deis, vox omnibus una;
Jungite concordes manſura in fœdera dextras,
Jungite iô dextras, tu formoſiſſima virgo,
Tuque viros inter qualis ſub nocte ſerenâ
[1] *Purpureus ſocios extinguit Lucifer ignes.*
At tu ſancta veni, tandemque merentibus adſis,
Exorata quies. ſatis exhauſere pericli,
Sat pigras perpeſſa moras inſignia Regum
Pectora; nunc votis expectatoque fruantur
Connubio. [2] *Sic & Tirynthius aſtra ſubire*
Non niſi biſſeni potuit mercede laboris.
Jungite concordes manſura in fœdera dextras,
Jungite iô dextras. Quò tandem nubila rerum,
Et fœdi ceſſere dies? En leniùs aura
Ridet, & ingenti cumulant ſua dona favore
Cælicolæ. O nunquam tranquilla exordia fatis
Heroum eximiis, nec denique naufraga virtus!

Paratæ ad [3] Junonis Lucinæ delubrum victimæ erant; Augureſque & Pontificum ordo, nuptiis omen facturi. [4] Populus viam hymenæo, aut [5] pæane celebrabat: & quia Argenidi mater non erat, quæ facem nubenti filiæ luceret, is Timocleæ honos, Poliarchi & Archombroti commendatione

1 *Purpureus ſocios extinguit Lucifer ignes.*] Lucifer, Sydus Veneri ſacrum, quod primum omnium oritur, & ultimum omnium occidit: unde ſic appellatum, quod auroræ prævium eſt. Heſperus vero, ſeu Veſper dicitur, quod ineunte nocte appareat. Mantuan.

Lucifer Auroræ ſocios qui cætera vincit.

Et Polit.

Tamque ſuos vincit comites quam Lucifer oræ
Purpureo rutilans aſtra minora premit.

2 *Sic & Tirynthius aſtra.*] Hercules ab urbe Tiryntho ubi educatus eſt. Virg. 7.

Gerione extincto Tirynthius attigit arva.

3 *Junonis Lucinæ.*] Dicta vel quod partum profert in lucem, vel quod oculis & luci præſit, ut Plin. ait. Vel à luco, qui Romæ Junoni ſacer eſt in Exquiliis. Præeſt quoque nubentibus; unde & pronuba & conjuga, & domiduca, ſeu interduca, & ſocigena, & populonia, & Cinxia dicitur.

4 *Populus viam Hymenæo.*] Nuptiale carmen idem quod Romanis Thalaſſion. Catull. in Epithal.

Hymen ô hymenæe, Hymen ô hymenæe.

5 *Pæane.*] Hymno Apollinis; ſumiturque pro quocunque Deorum Hymno, avertendorum malorum cauſa; cani ſolet maximè poſt victoriam, ut ſupra, ubi nota ritus nuptiales.

1 *Tute-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

datione collatus eſt. Invocatis genialibus diis, [1] tutelisque præcipue ignium qui [2] velatæ Argenidi præferebantur, cùm jam in victimas caderet ferrum, Poliarchus ſacrorum miniſtros jubet ſubſiſtere, dieique læticiâ auguſtior ita Archombroto loquutus eſt. Si fas eſt mihi apud te fidem eſſe, ô frater, doleo me marito adhuc matronam te quærere. Mihi ſoror eſt vultu & indole quæ vel ignobilem commendaret; annorum plùs minùs viginti. Si ſolida fœdera inter nos placent, hanc tibi jure fraterno deſpondebo. Et quoniam ritu gentili nulla pars regni in eam cadere poteſt, dos erit talenta ſexcenta præſentia. Meleander ſermonis erat arbiter qui Archombrotum non tam cunctantem aſſentiri (nam placebat affinitas) quàm jus patri facientem ut de nuru ſtatueret, interrogavit an eam ſibi his legibus pactam vellet. Argenidem quoque, quamquam inter verecunda tunc ſacra ſilentium tenentem, monuerat Poliarchus, ut fratrem in mutua fœdera ſolicitaret. Ille ſe conditionem accipere apertiſſimo vultu reſpondit; amplexuſque Poliarchum; præcepiſti mea vota, fortiſſime Regum. Quis te deus in mei animi ſecreta perduxit? Ergo hæc etiam ſacra mihi abſentem conjungant. Tu fidem, chariſſime, utrimque præſtabis. Admoniti ſacerdotes ut [3] geminarent auſpicia, ſedulitate eximiâ circa templum omnia turbabant; cumque res emanaſſet in populum, novo gratulantium clamore plenus aër prætervolantes aliquot aves intercepto alarum officio exanimavit. Omnes plaudebant. Omnes erant [4] bacchantium læticiæ proximi; cœtuque confuſo, nulla diſcrimina ordinum tanta gaudia meminerant.

Diis interim proſecta dabantur: & cùm hoſtiæ, quarum

1 *Tutelisque ignium.*] Quos cum ſponſo communes habitura erat.

2 *Velatæ Argenidi.*] Flammeo

3 *Geminarent auſpicia.*] Victimarum exta, pro geminis nuptiis.

4 *Bacchantium lætitiæ.*] Celebrantium Orgia lætitiam imitabantur. Ut ſupra Gonter. lib 4.

— Totaque caterva
Acclamante viro fauſtum fœliciter omen.

1 *Vit-*

rum una [1] vittati jecoris fuit, placuiſſent Haruſpici; [2] thure accenſo Sponſi in fœdera nuptiarum ad aram ſubiere. Perpetratis denique ſacris, jam pompa vertebatur ad regiam, cum in templi veſtibulo Aneroëſtus occurrit diſceſſuris, pallido vultu, & divinandi ſtimulis pleno. Nam meritum pectus numina inſederant. Igitur quaſſans emotum deorum furoribus caput, Salvete, inquit, ô Reges ô numinum cura, exerciti hactenus fatis, nunc eorundem clementiâ experturi nihil virtute jucundius. Fœliciſſime ſenum, ah ne diis exprobra, Meleander, iſtos annos bella ſceluſque tuorum civium conſumptos. Vivida ætas, anniſque adhuc plurimis ſuffectura nihil publicè, nihil domi timebit. Nunc in Africâ videbis Hyanisbem, nunc in Siciliâ illam excipies. Procul mala factionum, procul inſidiatorum atrocitas. Veſtrum ſenium, juventuſque Archombroti, reverentia & terrore ſubiget omnes; hunc triumphantem fœlix pater de proximis Brutiis, Lucaniſque, & Epeirei littore aſpicies; hujus pignora in veſtris adoleſcent amplexibus, longam Principum ſeriem datura Siciliæ; nec charior tibi gnata nunc Galliæ deſtinata, quàm quæ inde nurus adveniet. At vos ſæculi gemmæ, tu Poliarche, tuque Argenis, ne hîc fidei, hîc virtutum præmia, quæ certa vos manent, expectetis audire. Multa ignoro; multa ſilenda ſunt. Fata ipſa fœlicitatis partem in quam producti eſtis, deos celant, ne illi vobis invideant. Pauca tamen de multis accipite. Qui vos amor hodie jungit, ad ſenium inviolatos deducet. Non eum jurgia, non faſtidia, non ægrarum ſuſpicionum cura libabit. Proferetis imperii fines. Hinc vos Rhenus, hinc Oceanus victores aſpiciet. Timandræ inter nepotum cuneos

1 *Vittati jecoris.*] Pelle obducti: optimum omen ut ſupra.

2 *Thure accenſo ſponſi.*] Seneca Octaviæ actu 4. Scen. 1. refert paucis pene omnes ritus nuptiales.

Vidit attonitus tuam
Formam ſenatus thura cum ſuperis dares
Sacraſque grato ſpargeres aras auro
Velata ſummum flammeo tenui caput:
Et ipſe lateri civium læta omina
Inceßit habitu atque ore lætitiam gerens
Princeps ſuperbo.

1 *Pro*

neos exultantis imagines, ſæpe [1] pro Cybele bonus poſteritatis error accipiet. Gloriam veſtram, fortitudinem, nutus, ſuſpicient vicinæ latè gentes; non abnuent vinci, non regi. Si quò ibitis, ipſa vos ſalus feret. Quicquid optabitis, dii vota prævenient. Ac ne fœlicitas mortem deſtituat; nox una feſſos ſenio exolvet, plura mox aſtra exhibitura mortalibus. Nec de famâ dubitate. Hanc præſtabit æternam hiſtoriæ genius, quam in gentibus olim ſparſam nulla vis, nulla ætas extinguet.

1 *Pro Cybele.*] Matre Deorum, nam hæc ingentem deorum turbam Saturno peperit.

—— Qualis Berecinthia mater
Læta Deûm partu centum complexa nepotes.

Virgil. 6. Vel poſteri Timandram accipient pro Cybele: quia cum Cybeles Jovem plurium patrem Saturni alvo ſicuti alios deſtinatum ſubduxerit clam, crudeliſſimo atque voraciſſimo. Ita Timandra eam imitata eſt, quæ Aſtioriſtem deſtinatæ illi ab Commindorige, ut alio Saturno, morti ereptum, dedit clam alendum ruſticæ mulieri.

Hacte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

HActenus de Argenide, quam utinam Reges & Optimates aſſidua verſarent manu. Studui Laconiſmo, ne faſtidio foret moleſta prolixitas: dixi tamen ſatis ad eliminandam noctem, diemque eruendum. Horatius:

——— *ſi quid noſti rectius iſtis,*
Candidus imperti, ſi non, his utere mecum.

Ζεὺς ἀρχὴ, Ζεὺς μέσσα, καὶ ὕστατα.

ANTO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

ANTONI QUÆRENGI
CARMEN.

AUdiit ut magni primùm Ciceronis ab ore
Eloquii præſtante Molon celeberrimus arte
Illita Cecropio manantia nectare dicta,
Obſtupuiſſe diù tacitus, dein fertur acerbis
Aſpera Grajugenûm fata incuſaſſe querelis;
Quos decus oblitos priſcæ virtutis in armis,
Oblitos doctæ ſtudium immortale Minervæ,
Ipſa etiam patriæ inſignis facundia linguæ
Deſereret, dominamque orbis migraret in Urbem.
Quàm mutat Fortuna vices! nunc maxima rerũ
Roma dole; quibus en populis trans ardua clauſtra
Italiæ, non laude magis fera bella gerendi,
Quàm veteris purè cultum ſermonis ob uſum
Gaudebas meritò quondam admiranda videri,
Hos inter nunc mœſta vides, te verba ſonante
Barbara, & infecto Geticas ab ſanguine voces,
Antiqui dulces Latii florere lepores.
Aſpice ad Oceani extremos quem Gallica fluctus
Ora Caledonii genuit de ſtirpe parentis,
Ut ſimul ingenio, & linguæ vernantis honore
Auguſti referat felix BARCLAIUS ævum.
Aſpice quot famæ jam commendata perenni
Edide-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Ediderit doctis pridem monumenta libellis.
Et nunc ille animi certiſſima ſigna latentis,
Et docet ingenitos populis deprendere mores;
Subjiciens oculis longè diſtantibus orbem.
Nunc Regum innumeris exercita pectora curis
Sciſſa inter procerum ſtudia, inſidiaſque clientum,
Semper & infidas ſperantibus exprimit aulas.
Ille etiam æratas in prælia ſæva cohortes
Ducit, & humano perfundit ſanguine campos;
Aut feſſæ jucunda ciens certamina menti
Diſſidiis placidos pugnacibus armat amores.
Flexaminæ ô Charites fandi, ô latè inclyta tanto
Dedecus in noſtrum miſeri, terra ultima cive.
Parce tamen mea Roma queri, ſeſe ille tuorum
In numerum jam ſponte refert, nomenque Latinum
Principis Auſonii donis ingentibus auctus
Provehit, & ſegnes poſt tempora longa Quirites
Ad veteres ſcriptis inſignibus excitat artes.

INDEX

INDEX,

RERUM, RITUUM,

ET

VERBORUM MEMORABILIUM.

Literæ *a, b,* columnas paginarum indicant, ubi verò litera deeſt, textus innuitur.

A

*A*Bluebantur qui cædem hominum vel animalium commiſiſſent ad piaculi luſtrationem. 516.a,b

Acegoras ad Meleandrum regem primus tranſivit. 228

Achilles, ne in expeditionem Trojanam proficiſceretur, ſub habitu muliebri delituit, ſed ab Ulyſſe compertus aſtu, ad bellum ductus eſt. 35.b

Achillis & Patrocli amicitia. 329.a

Actæonis fabula. 169.a

Acus muliebris uſus duplex. 41.a. *dicebatur & Diſcerniculum & Calamiſtratorium.* ibid.

Adorea, quid? 254.a

Ad ſaga ire & redire ad togas. 441.a

Adulatio familiaris in aulis damnatur. 322.

Advocatorum, Patronorum, Rabularum, &c. cenſura. 356

Æacus rex, poſt enecatos peſte populos, à Jove petiit, ut omnes formicæ, quibus formicabat antiqua quercus, in populos mutarentur, quod annuente Jove voto reſpondit. 367.a

Ædepol, juramentum, per ædem Pollucis. 474.a

Ægis Palladis quid? 101.b

Æguſa inſula. 612

Ægypti deſcriptio. 59.a

Æmon Theſſaliæ mons. 209.a *ibi Æmonides, Theſſaliæ mulieres, quæ æris crepitantis ſonitu & magicis artibus Lunam immutari credebant.* ibid.

Æquitas Deorum defenſa. 438

Æſculapius, Apollinis fil. præſtantiß. medicus. 291.a. *à Jove fulmine percuſſus, quod mortuos ab inferis in vitam reduxerat.* 528.b

Ætna, mons Siciliæ flammivomus. 131.a *tres rivos evomuit.* 234.235

Africæ termini. 478.b

Africani tunicati, Siculi palliati. 76.a

Agnis, quia mites ſunt, Deos placare, conſulere, futuraque prænoſcere, mos fuit. 418.a

Alcææ literæ ad Seleniſſam. 295

Aldinæ catellæ epitaphium. 179

Alphæus, fl. Elidis 237.a. *cur fingatur deamaſſe Arethuſam.* ibid.

Amentum, lorum quale? 3.a

Amethyſtus, lapillus. 142.a

Amphiaraus in expeditione Thebana hiatu terræ abſorptus. 279 a

Anancæum poculum, quid; 191.b

Anaximander, Lycogenis nepos, Ariſtocratiam & Democratiam Monarchiæ præferendam quibuſdam argumentis probat. 85. 86. *Catanam dum obſidet, Ætna igneos rivos evomit in ejus caſtra.* 236

Andron Cataneus primus motiones corporis & rythmos exogitavit. 277.a

Anceroëſtus, rex Allobrogum, Poliarchum dono habuit. 442

Angara Perſica voce Regum nuncii. 16.a *hinc ἀγγαρεύω, cogo ad officium præſtandum.* ibid.

Anna ſoror Ayanisbes, mater Archombroti. 626.

Annulorum uſus apud Romanos quis? 97.a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Annulus dimidiatus, hoſpitalis fœderis icti quondam Symbolum. 215.b. 216.a
Aon, fons Bœotiæ, Muſis ſacer. 632.a. *hinc Aonii vates.* ibid.
Antemna, quid; 422.b
Antenorius Apollinis ſacerdos 177
Anthedon, urbs Bœotiæ, juxta quam Glaucus in mare præcipitatus, virtute graminis in Deum maris commutatus eſt. 366.b
Antium oppidum, & Antiana Fortuna. 413.a
Antiqui in ædibus ſuis multa Deorum ſigna habuere. 337.a
Apes, gentilitium ſtemma Vrbani VIII. *Pont. Max.* 68.a
Apii uſus in manium ſacris cœnis feralibus. 254.a
Apollinis tranſmutati in corvum fabula. 60.b
Apollo, Muſarum præſes. 67.b. *ejus tripus.* 197.a. *Arelatæ ſummo ſtudio colebatur.* 298.b. *ut & Delphis.* ibid.
Apollo, Æſculapius, Medicinæ inventores. 522.a
Apotheoſis, ſeu conſecratio, Rom. Impp. quomodo fiebat. 63.a,b. *Imperatoribus tantum decernebatur.* 249.b
Aqua duplex, pro duabus horis. 190.a
Aqua non altius extra alveum creſcit quam origo. 45.b
Aquila, Rom. olim auſpicatiſſimum ſignum. 93.b
Aquila, inſigne imperatoris. 372.a
Aquilius, duobus regnis excidit. 95
Aquilii, imperatores, ſic dicti ab aquilis. 93.a
Arachnes, à Pallade in araneam mutatæ, fabula. 342.a & 347.a
Aræ, primum Anſæ dictæ. 115.b
Araris amnis. 413.b
Arcades credebantur gentes ex arboribus inter robora natæ. 503.a
Archombrotus primò in Siciliam appulſus, à Timoclea, ad opem præſtandam Poliarcho, quem prædones adorti fuerant, ſollicitatur. 2. *extrema omnia Poliarcho pollicetur.* 22. *à Ruſticis pro Poliarcho capitur.* 69. & ſeqq. *Meleandrum periclitantem undis eripit.* 124. *amore Argenidis torquetur.* 129. *deciſum Lycogenis caput arrepto capillitio ad Meleandri pedes projicit.* 246. *Radirobanis inſidias detegit.* 373. & ſeq. *inter ſuos Hyempſal dicebatur.* 472. *filium Meleandri eſſe palam fit.* 626
Area, Arenarium, quid? 110.b
Argenis quo animo Poliarchi necem exceperit. 40. *mortem ſibi inferre conatur.* 42. *admotâ gelidâ ruborem ex nimio fletu coutractum temperat.* 44. *Triumphali curru vehitur ſola.* 258. *Palladis ſacris præficitur.* 11. 341. 342. *morbum ſimulat.* 375. *per Arſidam Poliarcho ſcribit.* 410. & ſeq. *Poliarcho deſponſatur,* 623. *ejus Epithalamium.* 632
Argiæ & Eryphiles fabula. 277.a
Argonautæ. 607.a
Argos, urbs Græciæ. 104.a. *cur Deorum hoſpita dicta.* ibid.
Ars fabrilis in Æoliis inſulis viguit. 13.a
Arſidas inviſit latentem in ſpecu Poliarchum. 53. *ab Argenide ad Poliarchum mittitur.* 412. 413. *intemperie glaciei exhauſtæ ægrotat.* 552. *ægrotanti pretioſum ſacculum ſuffuratur Phorbas.* 553. 554
Aſiatici propter ubertatem ſoli intemperantes. 478.a
Aſyla, perfugia ſervis, obæratis, & maleficis. 28.b
Ate, dea, filia Jovis. 135.b
Athenæ, unde dictæ? 102.b
Apud Athenienſes nulla dabatur nuptui, niſi Palladis ſacra obiiſſet. 474.b
Atlas Mauritaniæ rex, unde dictus Cælum humeris ſuſtentare. 29.b
Atlas mons Mauritaniæ. 58. b. *per hunc montem è cœlo fugiſſe Dii crediti ſunt metu Gigantum, & in Ægypto quæſiſſe latebras.* ibid.
Atlantis, Perſeo negantis hoſpitium, fabula. 176.a
Aves oſcines, præpetes, &c. 260.a
Auguria ab avibus. 260. a. *à fulminibus.* ibid. *extorum prodigiis.* ibid.
Aulæ Tropici, intriques de cour. 30.a

Auli-

Aulicorum lenocinia acerrimè perſtringuntur. 321. & ſeqq.
Avorum nomen imponi ſolitum infantibus. 429.a
Aurea mundi catena Homeri. 131.a
Auris memoriæ conſecrata. 45.a
Auſonium littus, unde ſic dictum. 131.b
Autolicus filius Mercurii & Chiones. 563.a

B.

Bacchantes. 2.b. vide *Mænades.*
Bacchus unde Lyæus dictus? 321.a
Bacchus, id eſt. *vinum, medicus Poliarcho febricitanti.* 312,313.
Bajæ, oppidum in Campania. 178 a
Baleares inſulæ, unde ſic dictæ? 274.a. *harum incolæ ſagittarii & fundibularii peritiſſimi.* ibid.
Balſamum ubi naſcatur. 417.b
Bellerophontis, ad interimendam Chimæram miſſi, fab. 367.b
Berecynthia mater, ſive Cybele. 637 a
Bidentes, quaſi oves biennes. 59.b
Bocchus ferendis Archombroci epiſtolis delectus. 578
Bracchæ, quaſi ῥάκκαι. 617.b
Britomandes Poliarchi avus. 426. *pater.* 427
Brutii, populi qui? 55.b
Buſiris, Neptuni fil. hoſpites ſuos Jovi immolabat, &c. 53.b

C.

Cadmi Tyrii, ejuſque uxoris Hermiones fab. 278.a
Cæcam nil purpura tardat Erinnym. 18
Cæleſtis quæ Dea fuerit. 477. a,b. *vulgo Venerem interpretantur.* ibid. *hanc & ſub Libitinæ* & *unius Parcæ nomine coluere.* 478.a
Cælus, maſc. gen. 375.a
Cæna feralis. 193 a,b
Caſtus, zona virginea, quam maritus prima nocte diſſolvebat. 380.a. *unde dicta.* ibid.
Calaris, Sardiniæ littorale oppid. 393.a 469.a
Caler le voile, *Adag.* 422.b
Calidæ uſus apud Romanos. 553.a
Campi Geloi. 1.b
Candidati qui? 95.a
Caninus catulus de ritu Spartano Marti Enyalio immolatur. 226
Canis, ſydus cæleſte. 131.a
Capite cenſi, qui? 354.b
Carbunculus, unde Pyropus dictus. 142.b
Carthaginenſes ancilibus utebantur in acie. 224.b. *à Tyriis deducunt originem.* 478.a
Caſtor & Pollux cur Dii maris habiti? 5.a,b
Catana, Siciliæ oppidum. 194.a
Celeuſma, vox lætantium nautarum. 468 b
Cenotaphion, ſeu inanis tumultus, abſente cadavere erigebatur, ne redditis juſtis, umbra per centum annos in ripæ Stygis erraret. 298.a. 158. & 164.a
Centurio dicitur qui centum peditibus præeſt. 373.a
Cephiſſus, amnis. 238.a
Cera. In primâ & imâ cerâ. 165.b. *pro codicillo.* 181.a. *pro tabulis cereis.* 473.a
Ceraſtes, ſerpens cornutus. 18.b
Cercyon latro à Theſeo occiſus. 53.b
Cere, urbs. 202. a. *hujus incolæ everſa urbe ſua à Rom. vagi erravere.* ibid.
Cereris ſacra nocturna præcipuo cultu celebrabantur in Sicilia. 68.b. *Theſmophoria dicta.* 238.a
Cereris ſignum. 119. a. *frumenti inventrix.* ibid. *compreſſa à Jove fatre Proſerpinam peperit.* 120.a
Cerviſtus, Poliarchi nutritor. 429
Chamæleonte mutabilior, prov. 56.b
Chaonii rami, pro glandibus decerptis ex Chaoniâ ſylva. 119.b
Charontis cymba. 524.a
Charybdis fabula. 237 a
Chimæra. 367.b
Chryſippi philoſophi apophthegma, qui correptus, quod ſuam ſortem ita deprimeret, reſpondit, in genibus ſuo regi aures eſſe. 45.a 83.a
Chryſolithus lapillus. 142.a
Cicatrix, quid? 135.a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Cingulum, quid? 229.a
Cingulum ponere, una ex pœnis levioribus militiæ. 273.a
Clavarium quid? 452.a
Cleopatra morſu aſpidis ſe interemit. 258.b
Clupeu, Africæ oppidum. 174
Coccalus Rex Dædalum Minois iram fugientem excepit hoſpitio. 45.b
Columbæ Dodoniæ ſylvæ alis oracula dabant. 306.a
Cometes mala, &c. præſagit. 27.a
Commindorix tyrannus. 427. *ab Aſtioriſte occiſus.* 454, 455
Concordiæ varia templa conſtructa. 260.b
Congiarium, quid? 452.a
Convivia publica celebrandi ritus in fæderibus & triumphis. 115.b
Corallium, frutex mollis & viridis coloris. 120.a
Corona obſidionalis. 257.b
Coronarum in triumphis, ſacrificiis, conviviis, &c. uſus. 235.a.490.a
Corpora urenda ungebantur à Pollinctoribus. 296.a
Corpus abluendi ritus ante ſacra, apud omnes nationes. 415.b
Corvus Apollini ſacer. 60.b
Corybantes, Cybeles ſacerdotes, ſacro correpti furore, cymbala cum ululatu pulſabant. 2.a. *Idam Phrygiæ montem tenuerunt.* ibid.
Corymbus propriè quid? 490.b
Cothurnus Tragædiam denotat. 115.b
Creta ἑκατόμπολις. 367.a. *hodie vulgò* la Candie. ibid.
Cumæ civitas Campaniæ. 560.a
Cumani Neapolis conditores. 553.b
Cuniculariæ inſulæ. 580.a
Cupidinis tela duplicia diverſæ cuſpidis & effectus. 365.a
Currus falcati. 210.a
Curtius ſe pro patria devovit Manibus. 409.a
Cyaneæ, ſeu Symplegades, ſcopuli ſub Thracio Boſphoro. 394.b
Cyanes in fontem commutatæ fab. 237.b
Cybele, mater Deorum. 637.a
Cyclopes, unde denominati. 231.b.
Cycni cantantis authoritas multa, experientia nulla, ut & Leonis paveſcentis ad Gallicinium. 85.a.b
Cyllarus equus Pollucis. 320.b.527
Cymothoë, una ex Sirenibus, nuncia ſerenitatis, &c. 218.b
Cynthia, Lucina. 458.a
Cypria mater, pro Venere. 534.b
Cyrrha oppidum Phocidis. 503.a. *hîc Apollo religioſè colebatur.* ibid.
Cythæron, mons Bœotiæ. 2.b

D.

ΔΑιδούσκειν, *quid!* 328.b
Dædalus unde dicatur videndi & ambulandi facultatem dediſſe. 45.b.276.b
Damnatis diras evomere ultoreſque deos ciere olim licitum. 191.a
Darius ignem præire volebat exercitui quaſi victoriam auſpicaturum. 259.b
Deceſſirat, pro ceſſerat. 1.a
Decimum quemque ſorte ductum ad ſupplicium petere, fuit una ex graviſſimis militaribus animadverſionibus. 493.a
Decius uterque, pater & filius, ſe pro patria devovere Manibus. 409.a
Delia Diana. 170.b
Delos Latonia, ante Ortygia dicta. 394.a
Delphicus pater pro Apolline. 278.b
Delus inſula Ægæi maris. 169.b
Demortuos comburendi ritus. 254.b.255.a
Deorum de imponendo Athenis nomine contentio. 102.a
Deos evocandi ritus priſcus. 100.b
Deucalionis & Pyrrhæ fabula. 143.b
Deus belluas in triplici differentia creavit. 417.b
Devovendi ſe diris pro publica ſalute, ritus. 504.b.506.a,b
Dextra fidei conſecrata. 45.a.575.a
Diadema ex faſciis. 151.a
Diadema & purpura ſigna regiæ majeſtatis. 224.a
Dianæ Tauricæ templum. 5.3.b. *huic carne tantum humana litabatur.* ibid.
Diana unde Delia dicta. 369.a. *Sylvis etiam præeſſe credebatur.* 861.b
Dictatores creandi ritus. 195.a
D. Hynna, caſſium inventrix. 170.a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Diei dicendi formula. 35.a
Dies Caniculares. 131.a
Dieſpiter, Jupiter diei pater. 406.a
Dii Manes. 388.b
Dii Pelagi Caſtor & pollux. 393.b
Diogenis, hominem in multitudine quærentis, lucerna. 61.a
Dirce in fontem mutata. 491.a,b
Diſcordia divinis honoribus culta. 607.b
Dracon legiſlator Athenienſ. oleris furta capitalia reputa vit. 133.a
Druidum carmina. 438.457.490
Druidæ ſacerdotes Gallorum. 425 a
Dryades, nymphæ Sylvarum. 169.a
Ducis ſapientis eſt, ſerere diſcordiam inter hoſtes. 227.b

E.

ECliþſis Solis fit per interpoſitionem Lunæ. 503.a
Elephanti frequentes in Africa. 495.a
Elevare, pro deprimere. 632.a
Eleuſinia ſive Theſmophoria Sacra. 17.b *in memoriam orbæ Cereris Proſerpinam quærentis inſtituta.* ibid. & 238.a
Elyſii campi, unde ſic dicti? 366.a
Empedocles, cuique mortalium binos genios ab ipſo natali, munere Deorum datos credidit. 43.b.44.a
Enceladus, Gigantum maximus, à Jove fulmine ictus, monti Ætnæ ſuppoſitus. 19.b.
Enna, urbs. 194.b.213.
Enyo, propriè Bellona, impropriè pro Furia ſumitur. 26.a,b.226.b.394.a
Epeircte, mons in Panormitanorum finibus. 118. *propugnaculum Siciliæ.* ibid. & 120.
Ephyra, urbs. 144.b. *alio nomine Corinthus dicta.* ibid.
Ephyræi Syracuſas condidere. ibid.
Epidamus, urbs. 299.a
Epipolis, juxta Syracuſas. 126.b
Epityrum, caſei, aut cibi caſeati genus. 71.a,b
Equi funales, σειραφόροι, qui? 257.b
Equites Senatum inter & plebem mediæ ſortis erant. 64.a
Erbeſſus, urbs Siciliæ. 48.a
Erichthonii fabula. 101.b. *unde dictus.* ibid. *ut deformitatem pedum tegeret. primus curruum uſum invenit.* & ibid. 604.a
Erigones, ejuſque canis fabula. 370.a
Erinnys, furia, unde dicta? 18.a
Eriſichthonis fabula vendentis filiam ſuam ſe convertentem, modo in hanc, modo in illam formam. 170.b.484.a
Eriſthenes Meleandri regis aurigam confodit. 124. *ejus in Meleandrum conjuratio.* 139,145,146. *armillam ab Argenide Poliarcho miſſam veneno imbuit.* 144.
Eriſthenes & Oloodemus veneno necantur. 191
Erycina Venus. 5.a. *ejus templum.* ibid.
Eryphile, aureo monili, virum, ne ad Thebanum bellum proficiſceretur, latentem, Adraſto prodidit. 277.b
Erythræum ſalum, Latine rubrum, unde dictum. 142.b
Eryx, Butæ & Veneris filius. 237.a. *hinc mons Eryx & Venus Erycina.* ibid. *ab Hercule, in ceſtuum certamine interemtus.* 20.a.277.a
Exta triſtia, irata. 260.a. *bona, & læta, quæ?* ibid. *unde dicta?* 418.a
Extiſpicina. & Extiſpicium quid? 103.a 260.a
Europa, ab Europa rapta à Jove in taurum transformato, dicta. 478.a
Eurotas fluvius Laconiæ. 170.a
Eurymedes Poliarchum ſibi ignotum virga verberat. 108

F.

FAbii ccc. ſe pro patria devovere Manibus. 409.a
Fabis nigris in urnam dimiſſis damnabatur, candidis abſolvebatur reus. 190.b
Faces nuptiales. 633.a. *pro ipſis nuptiis.* 534.a
Fœderis iciendi ritus. 115.a.112.a.518.a
Faſces, inſignia Rom. principum. 18.a. *pro ipſis Regibus.* ibid. *pro magiſtratu.* 88.a.
Faſti, ſeu Faſtorum libri. 307.a

Fati præſciæ volucres quæ? 208.b
Fauni minores nemorum dii. 169.a
Feciales, unde dicti? 114.b. *eorum Collegium à Numa Pompilio inſtitutum.* 115.a. *ſacroſancti.* 381.b. *inſignia, quæ?* 226.a,b. *munus, quod?* 111.b. 470.a,b
Fides in dextrâ. 76.a
Fidius, Jovis filius. 65.a.299.b
Flamines qui & unde dicti? 515.b
Flammeum, genus veli lutei. 328.a. *unde ſic dictum, & cur à novis nuptis geſtatum.* ibid.
Fluctus decumanus, unde ſic dictus. 410.a
Flumina, ad locum, unde exeunt, revertuntur, ut iterum fluant. 499.a
Fortitudinis ſimulachrum. 582.b
Fortunæ templum. 414
Fortunæ immolabant lactentem vitulam. 415.a. *falsò temeritatis inſimulata.* 418, 419
Frons Genio conſecrata. 45 a
Fruſta panis mero intincta, jentaculum Græcorum. 98.a
Furiis angues ſunt pro crinibus. 18.b

G.

GÆſum, haſtile Gallicum. 440.b. *hinc Galli dicebantur Geſtoriacii & Geſſi.* ibid.
Galateæ Acim extinctum lugentis fabula. 45.b. 46.a
Galli torquibus aureis utebantur in bello. 440.a. *ut & virgatis ſagulis.* 441.a. & 617.a
Gallia Narbouenſis unde Bracchata dicta? 617.a
Gallica connubia Siculis intrrdicta. 611. 624. 631
Gallia poſt Clodovæi & Clotarii regna in Toparchias diviſa eſt. 283.a
Ganges Indiæ fluvius. 142.b. Phiſon *in SS. Litteris dicitur-* ibid.
Gelanorus Poliarchi mortem ſcitè ſimulat. 35, 36
Gelas fluvius. 1.b. *undi ſic dictus.* ibid. *eſt & nomen urbis.* ibid.
Gemma, pro ſigillo. 619.b
Genialia numina quæ? 633.b
Genius, Deorum filius. 43.b. *per hunc juvabant veteres.* 44.a.b. 22.b. 251b
Gentilitas ſupe itioſa omnia in omen trahebat. 2 b
Genua miſericordiæ conſecrata. 45.a
Gereates campus. 232.b
Geryon, Rex Hiſpaniæ, cur tricorpor fingebatur. 56.a. *ab Hercule cæſus.* ibid.
Gigantes cur fingantur Jovis ſedem occupaſſe. 198.b
Gigantomachiæ deſcriptio. 18.a. 248.b
Gladiatorum buſtuariorum origo unde? 255.b
Glauci in Deum marinum commutati fab. 366.b
Gobryas præfectus navium. 424

H.

HAllirrothii latronis cæſi à Marte, fabula. 55.a
Hamadryades, nymphæ, quæ naſcebantur & occidebant, naſcentibus & occidentibus arboribus. 170.a
Harſicoras & Cornius, Radirobanis nepotes. 579
Hecatombe, ſacrificium centum boum. 522.b
Helena, ſidus cæleſte. 5.b
Heraleon, Poliarchum ſimulans, à ruſticis ad regiam ducitur. 79
Heraclea, urbs Siciliæ. 48 a
Hercules moriens, arcum & ſagittas Hydræ veneno imbutas Philocteti dono dedit. 29.a
Herculis, Junonis ubera ſugentis, fabula. 527.b
Hermes, cur Triſmegiſtus dictus. 343.a
Heſperidum fabula. 479.a
Himæra fluvius. 8.a
Hiſpali, Herculis filia, nomen & primordium, urbi, quæ nunc Sivilla, atque adeo toti Hiſpaniæ dedit. 274.b
Hiſpania unde denominota. ibid.
Hirudinum, ſive ſanguiſugarum diverſus olim uſus. 267.b
Homines immolati Saturno, Dianæ Tauricæ, Mercurio. 126.b
Horologia aquea. 190.a,b

Hoſtia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Hoſtiarum immolandarum ritus. 101.b. 102.a
Hoſpitale fœdus violare nefas. 352.a. 567.a
Hyanisbe, Mauritaniæ regina. 175.467. 472. *Poliarchum regio cultu excipit.* 475. *nulla tributa exigenda ducens, Poliarchum ad ea impellentem arguit.* 480. & ſeqq. *puerum Saturno mactandum profert.* 504. *ejus epiſtola ad Meleandrum.* 626
Hyblææ valles, pro Siculis. 526.b
Hydaſpes fluvius Indiæ. 142.b
Hymen, nuptiarum Deus. 533.a,b
Hyperephanii qui? 132. *iis arcana cum Lycogene conſilia.* ibid.
Hypſa, flumen Siciliæ. 37,a

I.

IAſpis, lapillus. 142 a
Ibburranes Lydus. 66
Ida, mons Phrygiæ. 307.a. *in hoc Cybele cum ſuis Coribantibus hæſit.* ibid. *ibi Idæi Dactyli.* ibid.
Idus, ab antiquo verbo iduare *dicti.* 292. a, b. *accidebant ſemper decimo tertio, vel decimo quinto menſis.* ibid.
Iecinoris caput in extis ſi deeſſet, gravia portendebat. 130.a
Iecur vittatum. 636.a
Ignes Angari. 16.a. 39.a
Ignium artificalium origo ex Græcis emanavit, qui Trojam incenderant. 353. b. *Gallis* feux gregeois. ibid.
Immolare, quid, & unde dictum. 102.a.
Imperatorum victrices dextras deoſculabantur milites apud Romanos. 44.a
Infans, cum aditus primam lucem hauſiſſet, ab obſtetrice exceptus humi ſternebatur apud Rom. 429.b
Infulæ, pro dignitate pontificiâ. 91.b
Inſaniæ nulli expertes. 96
Jovis metamorphoſis in arietem. 59.b. 60.a.
Jovis Palladem è cerebro gignentis fabula. 102.a
Iphigeniæ fabula. 409.b
Iſthmus Corinthiacus. 232.a
Juba Mauritaniæ præfectus, Arſidam blandè accedens de patria, &c. percunctatur. 548. & ſeqq.
Iudicum urna, pro ſententia judicum. 55.b.
Iuno œſtro in pellicem Inachidem immiſſo eam in furorem egit. 80.a,b. 297.a
Iunoni Lucinæ puerilia crepundia nuptiarum die conſecrabantur. 389.a
Iuno, Mauritaniæ protectrix. 479.b. *nuptiarum præſes.* 342.a. *Pronuba dicta.* ibid. *pertæſa, quod ſine liberis eſſet, hoc Jovi exprobravit, qui ira calens caput in ſaxum arietavit, moxque cataphracta Pallas exiluit.* 338.b. *unde Lucina dicta.* 634 b
Iupiter Ammon ſub ſpecie arietis colebatur in Lybia. 479.a
Iupiter cur aquilæ inſigni uſus adverſus Titanas. 93.a
Iupiter Feretrius, unde ſic dictus? 514.a
Iupiter Hoſpitalis. 550.a
Iupiter, pro Æthere. 421.a
Iurandi variæ formulæ. 140.a
Iuſta mortuis perſolvendi ritus à Græcis ad Rom. tranſlatus. 253.a
Ixionis, nubem ab Jove ſuppoſitam pro Junone amplectentis, fabula. 19.a. *ex hoc congreſſu nati Centauri.* ibid. *cur perenni rota diſcruciari dicatur à Poëtis.* ibid. & 523.b

K.

Κυκλώπειος βίος, *pro vita fera.* 231.a

L.

LAcedæmonii canem extra caſtra Marti mactabant. 226.a
Lares, dii domeſtici. 22.b. 317.a
in Lare ſedere tacitum, maximum ſupplicandi genus habebatur. 281.b
Latium famoſum ob regnum Saturni aureum. 53.a. *unde dictum.* ibid.
Laurus, pro doctrina. 67.b
Lectiſternia unde dicta? 115.b
Ledæum numen, pro Caſtore. 526.b
Legati pacem rogantes ramos olivæ laneis vittis alligatos præferebant. 281.a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Legati quales eſſe debeant. 535. *ſunt venarum inſtar.* ibid.

Legio conſtabat ex ſexcentis equitibus & ſex millibus peditum. 471.a

Legum condendarum jus regibus. 488

Legum ferendarum ritus apud Romanos. 488.a

Lemniaca arma Martis. 5.b

Leo XI. *Pont. Max.* XX. *tantum diebus pontificatum rexit.* 84 a

Leones in Africa frequentes. 511.a

Lethe flumen. 523.a. *qui de hoc bibiſſet, præterita obliviſcebatur.* ibid.

Lictores unde dicti? 256.a

Ligures vicini Hetruſcorum. 220.a. *ab his Tarquinius Priſcus omnia Regiæ dignitatis inſignia ad Rom. tranſtulit.* ibid.

Litare, quid? 140.a

Lixa, urbs Mauritaniæ. 166. & 467.a

Lotos arbor. 251.a. *hinc Lotophagi populi.* ibid. *proverb. Loton guſtaſti*, Λῶτον ἔφαγες. ibid.

Lucifer, ſydus Veneri ſacrum. 634.a. *Veſper ſeu Heſperus cur dicatur.* ibid.

Ludus antiquus, in quo fauſta Venus, infauſtus Canis, Senio medius. 144.a

Ludi Olympici à quo & in cujus honorem inſtituti. 51.a. *Iſthmici-* ibid.

Luſtrandi ritus? & Luſtrare, quid? 195.b. & 105.a

Lybiæ deſirta, ob æſtum vehementem dant ortum Leonibus. 478.b. *hinc dicti Marmarici.* ibid.

Lycaonis, jugulo Jovis inſidiantis, fabula. 24.a

Lyciæ ſortes. 170.a

Lycogenes Argenidem rapere conatur. 10. *falſo Meleandrum veneficii apud Poliarchum per litteras inſimulat.* 146.165. *occiditur.* 246

Lycurgus vites amputans, ſibi falce crura abſcidit. 491.b

Lymphati homines. 460.a. *ſic dicti, quaſi nymphati.* ibid.b.

M.

M*Acaria, Herculis filia, ſe pro incolumitate publica devovit Manibus.* 409.a

Mænades Orgia celebrantes fanatico ſpiritu agebantur. 2.b. & 502.a

Manes, dæmones. 131.a

Manes virorum fortium, cruore humano placari credebant veteres. 255.a,b

Manes centum annos ſupra ripam Stygis errabant, quod naulo carebant. 517.a

Marmor Numidicum pretioſiſſ. 168.a

Marſyæ & Apollinis certamen. 372.a,b

Martis in adulterio cum Venere deprehenſi fabula. 6.a. *à Diomede vulneratus.* 528.a. *ferreorum armorum author.* 58.a Mavors *dictus per epentheſin.* ibid. *Gradivus, unde ſic dictus.* 516.a. *unde* Enyalius *dictus.* 226.b

Maſſili populi Africæ, ſola virga equos regunt. 173.a

apud Maſſylienſes, quoties peſtilentia laborabant, unus è pauperibus ſe alendum integro anno publicis ac purioribus cibis offerebat; dein ornatus verbenis, cum execrationibus, ut in ipſum civitatis mala reciderent, projiciebatur in mare. 53.a,b

Mathematicorum ludibria. 196,197. *Senatuſconſulto ex Italia pulſi ſub Tib. & Ner.* 196.a,b. *aſſerunt omnia ſublunaria regi ſyderum motu.* 394.b

Mecaſtor, juramentum ſolis mulieribus commune. 29.b. & 122.a

Medicina trifariam ſecta. 522.a

Medius fidius, Juramentum. 65.a

Meduſæ caput. 566. *ad hujus adſpectum omnes in ſaxum rigebant.* ibid.a

Meleagri, Oenei Caledoniæ regis filii, fabula. 151.b

Meleander Siciliæ rex. 9. *plus juſto venatui indulget.* ibid. *oleâ cur coronetur?* 11. *in nummis noctuam effingi juſſit.* ibid. *ingens vitæ periculum ſubit, equis in lacum demerſis* 123. *Archombroto arma & inſignia ſua tradit.* 241. *cæſis militum ſuorum corporibus juſta perſolvit.* 253

Memphitica arva. 60.b

Mercurius virga ſua umbras in Orcum mittere & educere Orco dicebatur. 157.a.b. 366.a. *furum patronus.* 205.a. *ei quomodo libarent Græci & Romani.* 238.b. *eloquentiæ præſes.* 321.a.

quomodo

quomodo depingeretur. 366. a. ſomnum conciliare & adimere fingitur. ibid. b. cum Morpheo inſomnia vera credebatur afferre. 443. a. Africam cur amare dicatur. 479.b
Mergania à ſuis principibus defecit. 267. anagrammatiſmo pro Germania. ibid.a
Meſſana, urbs. 55.b
Mineides in hederas converſæ. 491.a
Minerva oleam terræ concuſſu eduxit. 102. b. 104.a. 307.b. cur Ἀθήνη, id eſt, ſine mammâ dicta. ibid. è Jovis cerebro nata. 103.a
Minervæ parma. 103.b
Minos, Æacus, Rhadamanthus, inferorum judices. 19.a. 366.a. 524.b
Mirmidones populi, unde ſic dicti. 367.a
Morbus ſonticus. 148 a. vulgo, mal caduc. ibid.
Mortuos conclamandi ritus apud veteres. 43.a
Mulſum, quid? 68.b
Murex, piſcis, ex cujus ſanguine purpura exprimitur. 120.b
Muſæ novem. 63.a
Myſtæ, ſacerdotes, unde dicti? 135 a

N.

Natalis dies Hyanisbet. 490
Natura Cereri cognata cur dicatur. 119. b
Navis Meleandri inſcriptio. 218
Neapolis, quondam Parthenope dicta. 553.b
Nemeſis unde dicta? 439. a. cum claudis & plumbeis pedibus pingitur. 438.b
Neptunus concuſſo ſolo phaleratum equum eduxit. 102.b. ejus delubrum in Calaritano littore. 499.b. ara. 605
Nereus Deus Marinus. 119.a
Ne ſacrificato ſine farre. Adag. 102.a
Nicon, nom. viri, à νίκη, victoria. 210. a,b
Nicopompus, contra Anaximandrum, Monarchiam, Ariſtocratiæ & Democratiæ præfert. 87,88
Nili fl. origo ignota. 59.a. per VII. oſtia in mare effunditur. ibid.
Nobilitas antiqua conſiſtebat in imaginibus cereis, &c. 259.
Numerus ternarius, &c. 107.a
Numidia, pro Mauritania. 326.a. hujus populi à Græcis Nomades dicti. ibid.
Numinibus ſingulæ corporis partes conſecratæ. 41.b.45.a
Nundinæ Paganorum. 11.b
Nundinæ, unde dictæ, earumque ratio & cauſa. 100.a,b. 343.b
Nuptiales ritus. 636.a
Nyſæum nemus. 307.a

O.

Odryſii equi, ab Odryſa urbe Thraciæ 320.a. 534.a
Oebalii dii, Caſtor & Pallux. 5.a. 218 b
Ogygius arbiter, pro Actæone. 169.a
Olea coronabantur Palladi facientes. 11 a
Olea, ſacra Palladi. 102.b
Oliva, Symbolum pacis. 215.a, 260.b
Ominabitur te conſpecto. Adag. 2.b
Onyx, lapillus. 142.a
Oreades, montium Nymphæ. 169.a
Orionis, ſeu Urionis fabula. 169.b
Oſci populi in Campania antiquiſſimi. 294. a,b. unde ſic dicti. 414.a. hinc Oſcena & Obſcena verba. ibid.
Oſſa, mons Theſſaliæ. 18.a

P.

Pachynus, promontorium. 125.a. 248.b
Paconia inſula. 612
Pæan, hymnus triumphalis, ſacer Apollini. 257.a. 634.b
Pæoniæ artes pro Medicina. 528.a
Pallas dea, unde ſic dicta? 11. a. huic noctua ſacra. ibid. olim cornicula, ſed propter loquacitatem noctuæ locum ceſſit. 11.a. Oleæ inventrix. ibid.
Palladis clypeus, ſeu Ægis. 58.a
Pallas unde Minerva dicta? 101.a. unde Tritonia dicta. 103.a. 421. 479.a. 339.b
Pallenæa arva, ſive Phlegræa. 248.b
Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat. 153.a
Pampinus inſigne Bacchi. 490.a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Pan, Deus terrorum, & nocturnorum phantaſmatum. 229.b
Panathenæa feſta inſtituta in honorem Minervæ. 341.a. *à Latinis Quinquatria dicta.* ibid.
Pandioniæ arces, pro Athenis. 104.b
Pandora, dea, unde dicta. 574.a
Papavera ſomnum conciliant. 491.b
Paphos inſula, Veneri ſacra, & famoſa luxu. 5.b. *hinc Paphia unguenta.* ibid.
Parcarum trium tria munera quæ? 525.a
Parrhaſiæ ſylvæ, pro Arcadicis. 503.a
Patroclus ab Hectore interemtus. 244.a
Pedarii & Pedaria ſententia. 190.a
Pegaſus. 367.b
Peiratæ, Gallis Corſaires, *à Corſicâ vicinâ Sardiniæ.* 226.a
Pelagi genius non permittit, ut cadavera in navi vehantur. 163
Pelaſgi, populi vetuſtiſſimi ab Arcadibus originem trahentes. 524.a
Pelles, pro Tentoriis ſive Tabernaculis ex pellibus. 396.b. *iis olim utebantur pro lorica & clypeo.* 480.a
Pelorus Siciliæ promontorium. 19.b. *hodie,* Cabo de la terre del Faro. ibid.
Penates familiæ præſides. 337.b
Pentathlon, ſeu quinquertio, quid? 277.a
Pentheus à matre & ſororibus Bacchantibus laceratus, quod Bacchi numen contemneret. 491.b.151.a
Perduellionis definitio. 21.b
Perithoi & Theſei fab. 374.a
Phariæ ripæ, pro Nilo. 59.b
Pharos, urbs Ægypti. 59.a
Phæacia navis. 465.a
Phædri fabula de arboribus diis ſacris. 307 a
Philippus Medicus de cauſis inſaniæ Heraleontis diſſerit. 81
Philomelæ & Terei fabula. 308.a
Phlegræa arva. 248.b
Phœbas, vates Pythiæ. 299.b
Phœbi cortina. 208.a
Phorbas pretioſum ſacculum Arſidæ ſuffuratus aufugit. 553.554
Phrygiæ mulieres crinibus ſolutis funera proſequebantur. 2.a
Phryxæi ſinus, & Phryxi fabula. 248.b
Phthinthia Siciliæ civitas. 8.a.16.17
Piacularia auſpicia, quæ? 114.a
Pietatis tamplum. 260.b. *cur huic ciconia ſacra.* ibid.
Pindus, Theſſalia mons. 170.a.307.a
Pinus, pro haſta. 248.a
Pinus, Phrygiæ cur dicantur? 307.b
Planetæ, cur alii noxii, alii innoxii. 198.b
Platonici, & inter Chriſtianos nonnulli, aërea corpora Dæmonibus obeſſe credunt. 25 b
Plebiſcito confirmatum, ne ulla cella duobus diis dicaretur. 101.a
Pluto cur Dis appelletur. 238.a. *ubi Proſerpinam rapuerit?* 351.a
Poëſeos genius extra verum exerrat. 321
Poëtæ divino furore correpti, œſtro perciti dicuntur. 297.a
Poliarchus prædones fugat, ultimumque cædit. 3. *aceto vulnera lavat.* 8. *cum Archombroto, apud Timocleam divertit.* ibid. *perduellionis inſimulatur.* 21. *latronis capillitio tectus ex inſulâ fugit.* 56. *Argenidem ſacrorum Præſidem ſub ignota veſte alloquitur.* 107. 108. *peiratas occidit.* 159.160. *ereptas à Prædonibus gemmas Hyanisbæ Mauritaniæ reginæ reſtituit.* 173. *febrim multo vino excutit.* 313. *ſub crine adoptitio & mentito mercatoris habitu latens ad Argenidem venit.* 325. *Theocrinem puellam ſe ſimulaſſe aperit.* 334. *infantis ſtatus & conditio.* 430. *Aſtioriſtes dictus.* 430. *ut & Scordanes.* 442. *Britomandi patri à matre offertur.* 448. *Commindorigem occidit.* 454,455. *inſcius in Mauritaniam appulit.* 467. *ejus cum Radirobane certamen.* 512. *Argenidem uxorem ducit.* 631. & ſeq.
Pollinctores, qui? 254.a
Polluce oriente occidit Caſtor. 426.b
Poma glaciei per æſtatem inſerta. 551.
Præfectorum perpetuitas damnatur. 286.a
Præficæ ære conductæ lamentabantur in funeribus. 254.a.296.b
Præſtitum vigiles formæ, Penates. 576.a
Prætexta puerilis. 247.a
Procinctum, teſtamenti genus quale? 494.a

Prole-

Proletarii, plebei, qui arte ſua victum quærebant. 354.b
Promulſidaria : & Promulſis cibi genus quale? 551.a
Proſecta, minutæ particulæ extorum. 550.b
Proſerpinæ raptus. 237.b
Proteus, Triton & Glaucus, Dii marini. 365.b
Prudentiæ Symbolum cur ſerpens? 582.a
Pulla, veſtis atra, quâ utebantur in funeribus. 34.b
Pulvinar in ſupplicationibus quaſi diis præſentibus ſternebatur. 115.b
Purpura, pro Cardinalatu. 67.a. regium ſymbolum. 175.b
Pyrami & Thisbes fabula. 43.a. 411.b
Pythii receſſus. 208.a
Python, ſerpens. 457.b

Q.

Quercus ſacra Jovi. 307.a. fulmine illibatæ. ibid.

R.

Radirobanes Siciliæ rex Meleandro regi ſuppetias fert. 215,225. Argenidis nuptias petit. 274,275. munere dato Seleniſſæ familiarior, ſecretiora Argenidis arcana docetur. 288. & ſeqq. ex conſilio Seleniſſæ adornata chorea Argenidem rapere ſtudet. 352,353, & ſeq. ejus inſidiæ deteguntur. 374,375. per litteras, Argenidis famam proſcindit, & ſecreta quæ à Seleniſſa acceperat, detegit. 379. & ſeq. Hyanisbæ bellum. indicit. 471. occiditur à Poliarcho. 513
Reges infulati. 240.a
Reges olim ſacerdotio initiabantur apud Perſas, Ægyptios, & Æthiopas. 343.a
Regum capita inſigni faſcia ornari ſolita, Imperatorum vero corona aurea & lauro. 618.a
Regum familiaria vitia. 598
Rei flammis & undis expiabantur. 39.a
Rei & damnati bonis & facultatibus ſuis excidebant. 34.a
Rhadamanthus Lyciæ rex. 367,a
Rhegium oppidum quale, & unde dictum. 99.a
Rhodanus fluvius. 295.a
Rhododaphne, & Rhododendrum. 170.b

S.

Sabæa regio Arabiæ felicis. 417.b. ibi optimum thus naſcitur. ibid.
Sacerdos, excluſus à re militari. 399.a
Sacra ſemel incepta ſine piaculo non differebantur. 114.a,b
Sagulum quid? 617.a
Salum, pro mari. 373.a
Saluti, tanquam Deæ, templum vovit Bibulus Cos. 247.a
Sapientes omnes liberi, ſtulti ſervi. 203.a
Sapphyrus, lapillus. 142.a
Sardinia, unde Sandaliotis & Ichnuſa dicta? 579.a
Sardi tempeſtatibus devoventur. 394
Sardus, Herculis filius. 274.b
Saturnia indoles, unde ſic dicta. 202.b
Saturnus à Jove devictus profugit in Latium. 249.a. ejus ætate aurea ſecula fuere. 321.b. imperii diviſio, inter Jovem, Neptunum, Plutonem. 354.a. 363.a. à Saturando dictus. 504.a. huic humanis hoſtiis ſacra fiebant. ibid.
Satyri in Venerem proclives. 6.b
Saxum Olymp. LXXVIII. de cœlo cecidit. 130.b
Scorpii & Draconis concurſus ominoſus. 201.b
Scyllæ, Regis Megarenſium filiæ, Minois amore captæ, fabula. 42.a. 236.a,b
Seleniſſa Argenidis alumna. 39. Timocleæ famæ detrahit. 122. ſibi mucrone vitam eripit. 389. hujus epitaphium. 390
Senatores pedarii. 329.a
Serpentes cur Cereri ſacri. 119.a
Sibylla, unde dicta. 208.a
Sicambre, Poliarchi nutrix. 429
Σικελίζειν pro ſaltare. 277.a
Σικελικὴ τράπεζα. proverb. 52.b
Sicilia Cereri ſacra fuit, ob fertilitatem. 20.a. 119.b. Romani Imperii horreum fuit appellata. ibid.
Sicilia, quaſi Secelita, id eſt, reſecta. 103.b

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

à Sicano rege Briarei Cyclopis filio, vel à Sicaniis populis ſic dicta. 134.b
terræ motu ab Italia diviſa. 131.a
Siculi deliciis infames. 52. a. Trinacrii unde dicti. 20.b
Sidoniæ reverentia pallæ. 151.a
Sies, pro ſis. 544.a
Simois. fluvius Troadis. 523.b
Sirius, ſtella in ore Canis cœleſtis. 600.a
ἀπὸ τȣ̃ σειριάειν, id eſt, ſiccando. ibid.
Sitalces pro ſalute publica ſe diris devovet. 505
Smaragdus, lapillus. 142.a
Soccus Comœdiam denotat. 115.b
Socrates morte iniquiſſima fuit condemnatus. 34.b
Sol & hamo generant hominem, axioma Philoſ. 59.a
Soles gemini & trini aliquando viſi. 130.b
Solium, veſtis purpurea, ſica, &c. inſignia regum Siciliæ. 194.b
Soteria, carmen gratulantium poſt ſalutem reparatam. 522.b
Sparus, telum ruſticum. 453.a
Speculum Deabus tenebant mulieres. 293. a, b
Specus Ætnæi. 232.a. Leontini. ibid.
Statuæ & imagines erigebantur viris illuſtribus. 261.a. hæc evertebantur ſi quid dignitate priſtina indignum geſſiſſent. ibid.
Stichus, & Ambirinus: ita Græci optimos moloſſos vocabant. 433.a
Sublunaria virtute Cœleſtium aguntur. 133 b
Supercilium, pro arrogantiâ. 69.a
Supplicatio honos fuit, qui ad gratias Diis referendas decernebatur Victori. 458 a
Sybaritarum luxus. 62. a. Saltatoriis equis utentes, à Crotoniatis, dolo transfugæ decepti, qui equos in ipsâ acie ad ſaltationem tenore buccinæ concitavit. ibid.
Synthesis, veſtis genus. 1.b
Syracuſæ à Corinthiis conditæ. 353.a

T.

Tabulæ votivæ. 5.a
Tabellæ cerâ obductæ veterum. 165.a
Talentum majus & minus. 142.a
Tantali fabula. 526.a
à Tarantula percuſſi, quomodo curentur? 182.b
Telchines Minervæ & Solis filii. 143.a
ab his Telchinis inſula dicta. ibid.
Tempeſtati litaturi capillos deponebant. 153.a
Terra veſana mater Gigantum. 58.b
Terror Panicus. 229.b
Teſtudo, ſcutorum connexio, &c. 242.a
Thalaſſion, nuptiale carmen. 634 b
Thargelion, menſis Aprilis, Apollini & Dianæ ſacer, &c. 138.a
Themis. 439.a
Themiſon Afer, Medicus. 519
Theocrine, filia Alcææ. 295. latrones occidit. 305. 331. 332. Poliarchus eſt. 334. Pallas eſſe creditur à Meleandro. 338
Therius Smyrnæus Platonicus, ternarium numerum omnia eſſe dixit. 107.b
Theſeus Creontem Thebanorum regem, propinquos prohibentem funeris officio, interemit. 517.a
Thetis, ut filium ſuum Achillem invulnerabilem redderet, adhuc infantem, Stygis undis immerſit. 511.b
Thyrſi, haſtilia, quibus Euantes utebantur. 491.b
Tiberius Cl. Nero, per jocum Biberius Caldius Mero dictus. 553.a
Timandra, Britomandis uxor, Commindorigis ſcelus metuens, Aſtioreſtem filium Sicambræ alendum dat. 428. & ſeqq.
Timoclea Archombrotum ad opem præſtandam Poliarcho ſollicitat. 2
Timonides ad ferendam Poliarcho armillam electus 143, 144
Tiphæi gigantis fabula. 57.a, b
Tomyris, Scytharum reginæ, caput Cyri in dolium ſanguine affluens immergentis hiſtoria, 471.a
Toxicum, quaſi Taximum, venenum præſentiſſ. 144.a
Tragœdia de Heroibus agit. 116.a
Trentacommilcondorus, Theocrines pater. 295
Triclinium unde dictum. 8.a, b

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Trifidum Sceptrum, id eſt, tridens, pro Pelagi imperio. 26.a
Trinacrii, pro Siculis. 20. unde ſic dicti. ibid.a
Triton, palus. 104.a. hinc Tritonia Pallas. ibid. & 103.a
Triumphantes, ne humanitatis ſuæ immemores eſſent, licitum Feſſenninis ſalibus petere. 258.b
Trophæum, quid? 258.a
Tumulus honorarius, ſeu Cenotaphium. 459.a
Tygres, Lynces, Pantheræ addicuntur Bacchi currui, quia ſunt vini amantes, &c. 490,b
Tyria purpura optima. 543a.
Tyrii pop. unde dicti. 151.b
Tyrinthius pro Hercule. 634.a
Tytii jecur à vulture roditur apud inferos, quod Latonæ vim inferre conatus eſſet. 190.a

V.

VEctigalia an & quomodo à Rege exigenda. 480. & ſeqq.
Vector Phryxæus, aries, Zodiaci ſignum. 131.a
Venus Erycina, unde ſic dicta. 5.a. 20.a. funeribus etiam præeſt ſub nomine Libitinæ. 180.b. ex ſpuma maris & Cœli ſpermate nata. 218.a. unde dicta Aphroditis. ibid. à Diomede vulnerata. 528.a
Veneris Cœleſtis templum. 478
Veſtales patris poteſtate eximebantur, & teſtamentum facere non poterant. 342.b ſolutis ſacerdotio nubere licitum. ibid.
Veſtis palmata, quæ, & unde ſic dicta? 257. ſciſſa & ſqualida ſignum mæroris. 436.a
Veteres quid & pro quibus olim voverent. 4. a. 5. quomodo in tricliniis diſcumberent. 8.b. nudo enſe umbras ſubmoveri credebant. 25.a. mortuos VII. diebus per intervalla conclamabant. 43. a. nullum negotium aggrediebantur, inauſpicatò. 152.b. ante inventum papyri uſum pugillares ſuos cera obducebant. 165.a. natalem urbis, ut & ſingulorum dies natalitios celebrabant pulte, fitillo, mero, cibis, floribus. 353.a. cui malè, terram gravem; cui bene volebant, levem precabantur. 390.a,b
Υ'γίεια, Salus, fingitur Æſculapii filia. 522. a imago ejus Corinthi ſervabatur. ibid. huic Ædes ſtructa. ibid.
Via lactea, unde denominata? 527.b
Victi victorum triumphum præcedebant. 258.a
Victimæ mactandæ in atrio templorum vendebantur. 416. a. immolatis cur veſcerentur? 418.b
Victoriæ templum apud Rom. 249.b
Vitæ Monaſticæ deſcriptio. 383. & ſeqq.
Vittæ duplex, virginalis & nuptialis. 380. a,b. vittæ & ſupparum pudoris & verecundiæ inſignia. ibid.
Ulyſſes ventos in utre recluſos accepit ab Æolo. 266.a
Umbræ volitare & ſtridere more apum finguntur à Poëtis. 26.b
Ungendi corpora mortuorum ritus. 254.a
Urnas ferales admovendi pectori mos. 412.a

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
184 E 34